TRACTATUS
DE
STUDIIS MONASTICIS
Volumen alterum,
SIVE APPENDIX:

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS
DE STUDIIS MONASTICIS
Volumen alterum, ſive Appendix
COMPLECTENS ANIMADVERSIONES
D. JOANNIS MABILLONII
IN RESPONSIONEM
R. P. ARMANDI BUTHILIERII
ABBATIS TRAPPÆ
AD EUNDEM TRACTATUM,
Nunc primum Latine redditas.

Quibus Studiorum Monaſticorum Praxis & Traditio validius aſtruuntur, & ab Adverſariorum objectionibus omnino vindicantur.

Accedit Hiſtoria Diſſidii Litterarii circa hæc Studia, à D. Vincentio Thuillier Monacho Benedictino Gallice concinnata,

Et variorum EPISTOLIS huc ſpectantibus ad calcem aucta & illuſtrata.



VENETIIS, MDCCXXX.

Typis Andreæ Poleti.

SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

In hanc Editionem latinam Animadverſionum P. Joannis Mabillonii ad Reſponſionem Domini Abbatis de Trappa.

DE ratione Studiorum Monachalium, Joannem Mabillonium in Benedictina S. Mauri Congregatione Monachum pietate ac ſcientia celeberrimum, docte & copioſe ſcripſiſſe, vulgata dudum res eſt. Ejus liber labente præterito ſæculo in lucem editus, & è gallica lingua paulo poſt in Latinam translatus, in Germania & Italia impreſſus, adeo ſua utilitate diffuſus eſt, ut non modo a Religioſis Juvenibus, ſed & ſæcularibus quibuſcumque ſtudia ſectantibus pro familiari atque unica ſtudiorum methodo comparanda adhiberi cæperit, ac omnium manibus teri jam ex illo tempore ad hanc diem numquam deſierit. Supervacaneum, aut ſaltem minus ad rem eſſet, in laudes eruditiſſimi Operis hoc loco excurrere; cum nobiliſſimo-

morum virorum innumera pene multitudo huic argumento ſatisfecerit, & libri ipſius præſtantia ex literatorum commodis, quæ ab ejus lectione & uſu redundarunt, ſatis perſpicua, ampliori commendatione non egeat. Sed in hoc libro cum docuiſſet Auctor, licere Monachis eſſe literatis, diſplicuit hæc ſententia piiſſimo illi Abbati de Trappa, qui eam dedita opera refutare aggreſſus eſt, & Reſponſionem ad Tractatum de Studiis Monaſticis ſtudioſe concinnatam typis vulgavit. Huic vero Reſponſioni Mabillonius ſuas Animadverſiones oppoſuit, quæ tandem viſæ ſunt rem plane extra controverſiam ponere, adeo invictis argumentis, & validis rationibus ad objectiones Abbatis diluendas, refertæ ſunt.

Hiſtoriam hujus celeberrimæ concertationis ab ovo deductam, & particulatim a ſe deſcriptam vulgavit nuper inter Joannis Mabillonii Opera Poſthuma Dom. Vincentius Thuillier Congregationis S. Mauri Monachus Benedictinus. Atque ideo hac ſuper re plura hic adjicere ſuperſedeo; neque id mihi propoſitum eſt, ut hoc diſſidium renovem: obiter adnotaſſe contentus ero, nobiliſſimos viros, eruditione pariter ac pietate maxime conſpicuos, tam in Gallia quam in aliis Regionibus, Benedictinorum Patrum ſtudia a clariſſimo Au-

ctore

ctore propugnata communi ſuffragio approbaſſe: quorum videlicet Studiorum utilitatem ipſe Pontifex Clemens XI. luculentiſſimè declaravit in eo Brevi, quod anno 1706. ad Monachos Congregationis S. Mauri direxit, prout refert Dom. Le Cerf ejuſdem Congregationis in ſua Bibliotheca. Omiſſis igitur quæ ad hujus Controverſiæ notitiam pertinent, quod noſtrum eſt, hic exequemur.

Admonendi autem ſunt Lectores de hac editione Animadverſionum Joannis Mabillonii, de quibus antea meminimus, eas nunc primum in latinam linguam translatas prodire. Et vero hic Typographi Veneti promptam diligentiam æquum eſt ut laudemus; qui cum Tractatum de Studiis ſecundò editurus eſſet, docto cuipiam viro edendas quoque Animadverſiones, & duplex totius Operis Volumen conficiendum monenti, continuò acquievit. Quo ille conſilio Literariæ Reipublicæ præclare conſuluiſſe mihi videtur. Quamvis enim hæ Animadverſiones jampridem innotuiſſent, ſtudioſis tamen Juvenibus, atque aliis quamplurimis, qui latina Tractatus verſione utebantur, aut ignotæ, aut nullius fere uſus, utpote gallica lingua tantum ſcriptæ, hactenus fuerant. Carebant interea illi neceſſaria ad Tractatum Appendice; atque ipſe Tractatus

cete-

ceteroquin abſolutiſſimus & doctiſſimus, ſine his Animadverſionibus aliquomodo mancus & imperfectus videri potuit. At nunc denique cum ad illum, tamquam ſepes aliqua, Animadverſionum Opus accedat, jam ex omni parte tutiſſimus illius uſus cunctis exhibetur, & ad ferendum de tota controverſia æquabile judicium optime comparati Lectores redduntur.

Harum Animadverſionum ſcopus & materia ex ipſa lectione ſatis quidem elucebunt: interea tamen ſcias, in illis momenta rationum ex Traditionis Monaſticæ & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ fontibus eruta, quibus in ſuo Tractatu eruditiſſimus vir Studiorum Monachalium praxin defenderat, validius proponi, & data opera ab objectionibus vindicari; ut eorum vis immota maneat, & ne veriſſima illius de ſtudiis ſententia olim ſtudioſis Aſcetis indita ullatenus vacillet.

Ut vero nihil eorum, quæ huc ſpectant, impoſterum deſiderares, curavit idem Bibliopola, ut Hiſtoria diſſidii Literarii circa Studia Monaſtica a Thuillierio concinnata, quam ſupra innuimus, latine verſa in calce Animadverſionum ederetur, adjectis inſuper variorum Epiſtolis qua Gallicis qua Latinis, quibus ipſa Hiſtoria mirifice illuſtratur.

Quod

Digitized by Google

Quod ad latinam interpretationem Animadverſionum attinet, ea tibi exhibetur, haud ſane elegantiſſimo ſtylo confecta, ſed perſpicuis verbis ex autographo fideliter expreſſa. Potiſſima interpretis cura in eo poſita eſt, ut omnia Auctoris ſenſa integre redderentur, & argumentorum ſeries eodem verborum ductu ſervato proponeretur. Nonnullos propterea in ea gallicismos fortaſſe offendes, quos evitari Latinæ linguæ dignitas & rectus uſus poſtulabat. Sed de candore ac fidelitate viri alioquin contentus, hos nævos, puto, mitius excipies, & bona voluntate minores conatus æqui bonique te facturum ſperamus.

Reſtat porro, ut horum Operum doctiſſimi Mabillonii, quatenus ad dirigenda Studia referuntur, lectione prudenter inſtituta, magis ac magis in ſcientiis ope tutioris methodi proficias. Ipſe Auctor illud in primis omnibus propoſitum voluit, ut in rectum finem ſtudia dirigerentur. Amorem ſummum veritatis, & ſoli Deo in omnibus placendi & adhærendi intentionem ſæpius inculcavit. Quòd ſi alio fine, ac præpoſtero modo ſtudia literaria amentur, hoc minime tolerandum cenſuit, nimiam curioſitatem damnans, & adverſus eos invectus, qui plus ſapere appetunt, quam oportet ſapere. Servetur igitur Studiorum modus;

b dus;

dus; ſed exulet tandem aliquando non ſolum a Monaſteriis, verum etiam ab omni hominum præſertim Eccleſiaſticorum cœtu ignorantia. Vigeant ubique ſcientiarum ſtudia: utilibus literarum laboribus deſudent ingenia; & quæ redundant ex ſtudiis ampliſſima commoda ante oculos omnium deinceps ponantur. Pergant, ut faciunt, Benedictinæ Sodalitates exemplo aliis eſſe, & cunctorum labores in publicam utilitatem concurrant. Quanta porro Romanæ Eccleſiæ & Catholicæ Fidei accedet gloria, ſi aliquando, uti certe ſperandum eſt, eatenus dilatetur per plurimos Regulares & Sæculares Sacerdotes divinarum humanarumque rerum ſcientia, ut alienæ ſectæ hominibus omnium ſcientiarum ceteroquin curioſiſſimis formidabilis ſit futura! Sed quid ego currentes incito? An puto Mabillonii rationibus in Studiorum patrocinium aliquid addi poſſe? Rem ille confecit, non ſolum verbo, ſed etiam exemplo. Nulla ſiquidem firmiori defenſione rectus Studiorum uſus vindicari & commendari poterat, quam ſi ratio ſtudiorum Auctoris, & ejuſdem profectus in medium producerentur. Quis neſcit, quanta ille religione inſtituti ſui officia cum ſtudiis graviſſimis ita conjunxerit, ut literatum ſe vix umquam, Monachum ſemper eſſe meminerit?

Sed

Digitized by Google

Sed non eſt hic locus, neque noſtræ ingenii tenuitati convenit, tanti viri merita laudibus proſequi. De quibus nihilominus quoniam in hac Præfatione aliqua incidit mentio; ne videar lectorum animos harum laudum ceteroquin avidos inaniter provocaſſe, eos haud omnino vacuos dimittam. Facturum itaque me operæ pretium, tibique rem jucundiſſimam fore confido, ſi P. Joannis Mabillonii Elogium a P. Rouſſel ejuſdem Congregationis concinnatum, quod harum rerum docti æſtimatores plurimi faciunt, ex Bibliotheca Maurina P. Le Cerf depromptum, hic tibi ſubjiciam. Vale & lege.

Digitized by Google

Immortali Memoriæ

Clariſs. ac Religioſiſs. Viri

JOANNIS MABILLONII

EPITAPHIUM.

Sub hoc lapide ſepultus jacet
Cujus memoria in oblivione nunquam jacebit
JOANNES MABILLONIUS:
Suos natales Campaniæ debet,
Ejus natalibus Campania ſuum decus.
Sortitus eſt animam bonam,
Et cum ætate adolevit præclara ingenii
Virtutiſque indoles.
Vix ephebus aris initiatur, adultus ſolitudinis
Jam tum latebras quæritans qui nunquam potuit latere,
Domino Militaturus
In Benedictinorum Congregatione Sancti Mauri
Nomen dedit
Tanto nomine nobilitanda:
Ibi ſub modio jam tum ardere cæpit,
Qui quondam ſupra candelabrum poſitus
Futurus erat in Domo Domini
Lucerna ardens & lucens.
Precibus doctiſque operibus diurnas nocturnaſque
Horas dividens
Aſceta literatus
Totum ſe virtuti dedit
Totum ſe literis abdidit,
Ratus licere Aſcetis eſſe literatis:
Virtutes omnes diligentiſſime coluit,
Et in ſingulis eminere viſus eſt.

Prin-

Digitized by Google

Principem tamen locum obtinuere
Paupertatis amor,
Lenitas morum
Religioſa humilitas;
Virtutes
Quas non infecit, quæ inflat, ſcientia
Quas perfecit, quæ ædificat, Charitas.
Chriſti paupertate affatim locuples,
Victum ac veſtitum divitias Chriſtianorum
Exiſtimavit;
Docilis pauperiem pati,
Ut annuum ex regio Ærario beneficium acciperet
A ſupremo Ærarii præfecto numquam potuit
Addiſci,
Quæſtu liberali liberalium artium dignitatem
Lædere noluit,
Litterarum Cultor.
Sub Chriſto paupere divitias erubuit
Religionis amator,
Parvo dives & parvi ducens perituras opes
Carius venales dum paupertates emuntur diſpendio.
Omnium hominum ſibi conciliavit animos
Hominum mitiſſimus:
In ipſis etiam litterariis diſceptationibus
Quas plurimas cum viris clariſſimis habuit
Nemini aſper,
Neminem læſit etiam læſus;
In hujuſcemodi concertationibus
Scribentem incitabat veritas,
Certantem moderabatur lenitas,
Vincentem coronabat charitas,
Coronatum ornabat humilitas.
Hac ſingulari morum ſuavitate
Devinciebat animos, leniebat invidos.
Ut debitæ tantis virtutibus gloriæ ſe ſubduceret
Eas humilitati tegendas commiſit ſimul atque
Servandas,

 Cete-

Ceteris teſtibus nemo major
Se ipſo judice nemo minor,
Eo clarior quo ſibi vilior:
Cœleſtis gloriæ cupidus mundanam ſprevit
Meliore ambitu,
Et ut Deum ſolum mereretur habere mercedem
Magnam nimis,
Reſpuit hominum plauſus, mercedem quam dare
Solent homines
Vani vanam.
Nullum in clauſtro tenuit dignitatis gradum,
Omnes meruit,
Mereri pulchrius putavit quam adipiſci,
Et ſubeſſe quam præeſſe tutius.
Alienis non indigebat ornamentis,
Vir propria virtute omniumq; hominum ęſtimatione ornatiſſimus:
Cum virtutum ſtudiis ſtudia literarum conjunxit,
Ut alterno fœdere mutuiſque officiis
Scientia pietatem, pietas ſcientiam adjuvaret.
Quæ prima illi fuere ſtudiorum elementa
Prima itidem habuit pietatis alimenta
Opera Doctoris melliflui;
His emendandis dum iterato labore incumbit
Cordis cellulis melleum infundit opus,
Unde ſimiles Bernardo trahit mores
Mellifluos.
Ipſo reſtauratore Sanctorum acta reviviſcunt,
Quorum, dum facta ſcribit, ſequitur & exempla,
Illorum faſtis olim aſcribendus.
Operibus opera ſuccedunt, & alii ex aliis nectuntur labores
Sepultam ſcribendi artem ſuſcitat,
Obliteratas reſtituit literas,
Antiquos renovat apices
Abrogatas recudit literarum formulas:
Et ingens illud condit Diplomaticum opus
Rei litterariæ miraculum,
Quod ſtupent docti ſimul & indocti

Monu-

Monumentum ære perennius.
In reconditiori litteratura verſatiſſimus
Vetuſtis dat novitatem,
Novis auctoritatem,
Obſoletis nitorem,
Neglectis pretium,
Obſcuris lucem
Faſtiditis gratiam,
Dubiis fidem
Sæculo doctiſſimorum virorum feraci
Præcellenti inter eruditos eruditione conſpicuus.
Juſſu Ludovici Magni regiiſque ſumptibus
Auctore Clariſſimo Colberto generali Ærarii
Moderatore
Germaniam peragrat;
Auſpice Illuſtriſſimo C. M. Tellerio Remorum
Archiepiſcopo
Italiam ſubinde perluſtrat,
Publicas ac privatas ſcrutatur Bibliothecas,
Muſæorum rimatur angulos,
Latentes effodit opes,
Veterum theſauros tranſmittit poſteris,
Et ad totius Reipublicæ literariæ commodum
Comparatis ad fere tria millia manuſcriptis
Codicibus
Regiam Bibliothecam auget & ditat:
Ex obſitis ſitu & pulvere membranis,
Ex corroſis marmorum inſcriptionibus
Ex inciſis ex ære & tempore exeſis monumentis
Multiplex exoritur literarum ſeges,
Varia promitur libellorum ſupellex;
Mira exurgit actorum, annalium, analectorum
Moles;
Tam ſolerti obſtetricante manu
Præterita retro ſæcula renaſcuntur,
Et poſitis rugis
Tota nobis juveneſcit antiquitas.

Hinc

Digitized by Google

Hinc quanta apud omnes viri exiſtimatio?
Quantum nominis pondus?
Quanta eruditionis auctoritas?
A Summis Pontificibus
Innocentio XI. Innocentio XII. & Clemente XI.
Aureis numiſmatibus honoratur vir eruditiſſimus,
Aureis ſcriptis de Eccleſia optime meritus
A Ludovico Magno
Regiæ Inſcriptionum Academiæ adſcriptus
Reconditam Numiſmatum ſcientiam ornat & promovet
Antiquariorum ſagaciſſimus.
Pariſiis
In ſuprema Galliarum Curia
Lites quæ totæ pendebant in ſemeſis Chartarum Apicibus
Suo teſtimonio & auctoritatis pondere dirimit
Sequeſter Pacis.
Romæ
In Sacra Indicis Congregatione
Invitante Eminentiſſimo S. R. E. Cardinali
Caſanata
De quibuſdam Iſaci Voſſii operibus ad purpuratos PP. ſententiam refert
Cenſor orthodoxus.
Quam ubique fugit, ſic eum ubique ſequitur Gloria:
Interim oneris quam honoris patientior,
Litterariis totum ſe impendit laboribus,
Et de theſauro ſuo nova perfert & vetera,
Scriba doctus.
Verum heu!
Dum ſcribendis Annalibus improbo labore incumbit,
Illis necdum perfectis intempeſtiva morte occumbit
VI. Kal. Jan. Anno MDCCVII. ætatis LXXVI.

IN-

Digitized by Google

INDEX ARTICULORUM,

Qui in his Animadverſionibus continentur.

PROLOQUIUM. pag. 1

ARTICULUS I. *Status Quæſtionis : Quid Studiorum nomine intelligatur.* 4

II. *De lectionibus, quæ Monachis permitti poſſunt, Domini Abbatis diverſæ ſententiæ.* 10

III. *Quodnam diſcrimen interſit inter Domini Abbatis opinionem, & noſtram circa lectiones Monachorum.* 13

IV. *Utrum Studia & ſcientiæ Monachis permitti poſſint.* 16

V. *Quid ſuper Studio & doctrina Monachorum Domino Abbati videatur.* 19

VI. *Primum Principium, cujus ope dirimenda eſt hæc controverſia; nempe Regulæ veterum. An eæ ſtudio Monachorum opponantur.* 21

VII. *Inquiritur, num Regula S. Benedicti Studio & ſcientiis adverſetur.* 26

VIII. *De quorumdam Ordinum Conſtitutionibus, & de Regula S. Franciſci.* 32

IX. *Secundum Principium. Traditio Studiorum numquam in Cœnobiis intermiſſa. Magnorum virorum ac Sanctorum exempla. Quid adverſus hanc Traditionem atque hæc exempla Reſponſionis Auctor excipiat.* 36

X. *Tertium Principium tuendis Monachorum Studiis inſerviens.* 45

XI. *Quam late patere poſſint Studia Monachorum.* 53

XII. *Documenta ex priſca Monaſteriorum diſciplina deprompta, quibus Studiorum communium uſus probatur.* 56

XIII. *Ponderantur difficultates, quæ occurrere poſſunt circa dicta in Articulo præcedenti.* 62

XIV. *Ejuſdem argumenti continuatio : ubi de Caſſiodoro, de Lupo Ferrarienſi, & de S. Anſelmo diſſeritur.* 67

XV. *Alia argumenta ad probandam communium Studiorum latitudinem, quæ Monachis permitti poſſunt relate ad Sacram Scripturam.* 74

XVI. *Proſecutio ejuſdem argumenti, ubi ſermo ſit de Rhetorica, de Philoſophia, & de Theologia.* 81

XVII. *De*

Digitized by Google

XVII. *De lectione librorum Veteris Teſtamenti, & Commentariorum in Sacram Scripturam.* 88
XVIII. *De Studiis privatis & peculiaribus, quæ vel ſimplices Monachos, vel Monachos presbyteros, ac Superiores decent.* 95
XIX. *Proſecutio ejuſdem argumenti, ubi de obligatione & jure Abbatum interveniendi Conciliis: & de nonnullis aliis eorum juribus diſſeritur.* 106
XX. *De lectione & ſtudio Sanctorum Patrum, & Dogmaticæ Theologiæ; De Critica. Sententia Sancti Auguſtini circa Studium Dogmaticum.* 113
XXI. *Privata & certa Studia Monachorum novis rationibus confirmantur, deſumptis ab ingenti Epiſcoporum, & magnorum virorum numero, quos Monaſteria edidere. Cœnobii Lerinenſis Elogium.* 123
XXII. *Afferuntur argumenta deſumpta ex magno illuſtrium Scriptorum numero, qui in Monaſteriis floruerunt.* 130
XXIII. *Alia argumenta, deſumpta a Cœnobiorum Academiis, & Bibliothecis, ubi incidit ſermo de manuſcriptorum utilitate. Reſpondetur ad objectum magni momenti, & accuratius demonſtratur, Studia cum Opere Manuali Monachorum non eſſe incompatibilia.* 146
XXIV. *De Studiis privatis, ſive particularibus apud Monachos Ciſtercienſes, & Carthuſianos. Idea horum Studiorum a S. Hieronymo deſcripta.* 163
XXV. *De Studiis extraordinariis penes Solitarios: de eorum Compoſitionibus, Concionibus, & Miſſionibus.* 170
XXVI. *De Opere Manuali Monachorum: & utrum quædam Studia legitima ſint cauſa diſpenſationum, atque exemptionum.* 179
XXVII. *Incommoda & abſurda, quæ à Studiis & ſcientia proveniunt. Hæc incommoda & hi pernicioſi Studiorum effectus cum iis quos parit ignorantia, juxta ponuntur & comparantur.* 187
XXVIII. *Utrum Monachorum ſcientia cauſa fuerit hæreſeon, quæ in Reſponſione nobis oppoſita ipſi tribuuntur.* 195
XXIX. *Particularia quædam Reſponſionis objecta diſcutiuntur.* 207
XXX. *Anacephalæoſis & Concluſio hujus Operis.* 219

Finis Indicis Articulorum.

NOI

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la ſede di reviſione, ed approbazione del P. Fr. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato: *Tractatus de Studiis Monaſticis, Volumen alterum, ſivè Appendix, complectens Animadverſiones D. Jo: Mabillonii*, non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica; & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza ad Andrea Poletti Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venezia, & di Padova.

Dat. 24. Decembre 1729.

{ Gio: Franceſco Moroſini Kav. Reform.
{ Andrea Soranzo Proc. Reform.
{ Pietro Grimani Kav. Proc. Reform.

Agoſtino Gadaldini Segret.

1730. 19. Luglio.
Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſſimo contro la Beſtemmia.

Angelo Legrenzi Segretario.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS
DE STUDIIS MONASTICIS
Volumen alterum, ſive Appendix.

ANIMADVERSIONES
In Reſponſionem D.ni Abbatis de Trappa ad Tractatum de Studiis Monaſticis.

PROLOQUIUM.

QUUM primum ad ſcribendum de Studiis Monaſticis animum appuli, rei conficiendæ difficultatem ſatis quidem præſenſeram; nunquam tamen ex ea ſcriptione tam acrem Reſponſionem, quæ ſub nomine Abb. de Trappa nuperrime vulgata eſt, in me torqueri poſſe credideram. Cui enim probabile videri poterat, talem virum magno nomine, pretioſo otio, ſublimi & prægrandi ſtylo uſurum, ut confutaret adeo exigui pretii Auctorem, qui nunc tandem de opere ſuo vix parcè ſentiet, poſtquam ad illum reſponſura tam præcellens manus calamum arripuit.

Præterea verò quiſnam putaſſet, Tractatu ſtyli adeo ſimplicis, &, ſi dicere auſim, etiam modeſti, perturbatum iri quietem ſanctæ ſolitudinis, & vel minimos motus excitandos in eo pacis loco, qui ab humanis jactationibus ſecurus videtur?

Quod ſi huic turbationi anſam me dediſſe ſuſpicarer, profectò ſummopere dolerem, atque emendato ſtatim errore, æterno me ſilentio condemnarem. Longe tamen ego mihi videor ab hac culpa abeſſe, utpote qui quàm potui diligentiſſimè proſpexerim, quominus Dominum Abbatem de Trappa & Commune ipſius offenderem. In mea illum lucubratione nullo pacto aggreſſus fueram: de eo & de domo ejus ita honorificè ac obſequenter memineram, prout ab homine qui ſe totum illi dedidiſſet expectari poterat. Denique, ſecus habitis & nequaquam improbatis Domus de Trappa quoad ſtudia inſtitutis, cæterorum Monaſteriorum Ord. S. Benedicti uſum laudare atque tueri, licere mihi putaveram; & eò magis quod hujuſmodi uſum conſtanti tot ſæculorum traditione ſuffultum, vel ſeverioris Criticæ molimina commovere haud poſſe viderentur.

Interea tamen poſt tot præcautiones, & rationes, quibus hunc uſum propugnare conatus ſum, audio jam opinionem meam quaſi *periculi plenam* traduci, & ad hoc ut ab ea quammaxime abhorreat ſocietas, cui operis mei lectione prorſus interdictum eſt, admodum immanem ejus picturam exhiberi, ac ſub vivaciſſimis ſolertis eloquentiæ coloribus vulgi oculis ſubiici. *Præf.*

Si ea tantummodo, quæ in hoc opus de meo penu congeſta ſunt, exagitata fuiſſent, mihi ipſi ſilentium indicerem, & a querimoniis abſtinerem. Sed illud in clariſſimi viri Reſponſione nimis moleſtum eſt, quod non modo opinionem oppugnat, quam ego certam atque indubiam exiſtimo; verumetiam ſubtiliſſimis ſtyli aculeis pleraſque convellit prærogativas, quas Statui Monaſtico homines minus in eum propenſi ex æquo & bono hactenus adjudicaverant; atque eos pernicioſos effectus ſtudio tribuit, qui ſola hominum corruptela, aut etiam gravioribus externis eventis in monaſteria irrepſere.

Imo vero ne cum ſanctis quidem, & priſcis S. Benedicti diſcipulis mitius agit: eos nimirum exhibet quaſi homines ab illa perfectione devios, quam S. Patriarcha per ſuam Regulam conſtabilire voluerat; ſed & ſupponit, tentatas excurſu temporum Reformationes irritis perſæpe conatibus priſcam reducere diſciplinam voluiſſe, ad eam verò nequiviſſe niſi quàm longiſſimè accedere.

Sileo hic facta quædam peculiaria, quibus aliquæ novæ Congregationes a bonis viris uſque adhuc ſemper probatæ in hac Reſponſione gravantur. Quæ etiamſi plane vera eſſent, & reipſa accidiſſent; non video quodnam operæ pretium ſit illa ob oculos ponere Communitatis, cujus rationibus fortaſſe conducit, quod ſe a ceteris putet haud multum diſtare; imo vero non video cui utilitati foret illa in lucem publicam emittere, in tanta præſertim colluvie hominum, qui de ſe minus proni ſunt ad benignè de Monachis ſentiendum.

Hæc autem hic loci non eo animo præfatus ſum, ut iniquo præjudicio onerarem opus Domini Abbatis, aut ejus perſonam, cujus exiſtimationem colere omnes debent; ſed ut oſtenderem quam mihi neceſſe fuerit ſequentes Animadverſiones edere ad meam ſententiam explican-

dam,

Digitized by Google

dam, & rationes expendendas, quæ afferuntur ut ejus *autoritas elevetur*. Nam diſpiciendum eſt an mea opinio ſit ita *plena periculi*, ut in iſta Reſponſione aſſeritur; an æquo jure traduci ea poſſit quaſi quædam *macula*, aut quoddam *vulnus toti Ordini Monaſtico inflictum*; denique an obnoxia ſit perniciofis illis effectibus, qui in Reſponſione proponuntur; ob quos, ſi res ita ſe haberet, procul ab omnibus Cænobiis merito eſſet ableganda. *Reſp. pag.* 152 *pag* 460.

Si enim conſtet, *ſcientias Monachis prorſus nocere, illorum corda pervertere, eos læthaliter afficere, atque illud pietatis, ſimplicitatis & puritatis fundamentum diruere, cui adhæret illorum ſanctificatio*. Si verum ſit, *Regulam, regularitatem, conſtitutiones, diſciplinam, atque ædificationem ibi excidiſſe, ubi conſtituta ſunt ſtudia*. Si probetur, *ſpiritum orationis ſcientia aboleri, & humilitatem labefactari*. Si denique conſtet, *Principatus & Principes occaſione ſtudiorum iis fraudari adminiculis, quæ olim apud Solitarios ſibi comparabant; populos vero deſtitui exemplo atque ædificatione, quæ in univerſam redundabat Eccleſiam:* nullum dubium eſt quin oporteat Monachis Studia & ſcientias prorſus interdicere, & ab omnibus Monaſteriis relegare. Econtra vero ſi ſtudia & literæ fovendæ pietati, meditationi, & diſciplinæ neceſſaria aliquomodo ſunt: ſi alere humilitatem, & ſpiritum orationis augere; ſi Regnorum, Regum, & Eccleſiæ bono conferre valent, profecto intereſt, ut ſuus illis honor aſſeratur, probeturque non eam inde perniciem conſurgere, cujus immerito arguuntur; nec non ut ea propugnentur quæ ego vere ſentio, quæque alio prorſus modo plerunque exhibentur, ac ego ſentiam. *pag.* 150. *pag* 350. *pag.* 463. *& ſeq.*

Abſit vero, ut ego iſtas hallucinationes in D. Abbatis propoſitum rejiciam. Nullus dubito, quin rectum fuerit ejus conſilium; & certus ſum nihil aliud quam majus bonum & majorem utilitatem Status Monaſtici eum ſibi propoſuiſſe. At fortaſſe nimio zeli ardore longius abreptus, cum res ipſas oblique eſſet, ut ita dicam, intuitus, minus æquum de iis judicium tulit. Crediderim ego, ex perfectionis Monaſticæ peculiari notione, quam ſibi animo effinxit, hujuſmodi vitæ inſtitutum animo ejus obverſatum eſſe ceu quoddam ens metaphyſicum, cujus natura in puncto individuo conſiſtat, nempe in exacta & literali Regulæ obſervatione. Adhæc perſuaſum illi fuiſſe, ſtudia literarum in ea non præſcribi; quod ſi illa Monachis permittantur aut ſuadeantur, a ſuo illos ſtatu in rei ſumma divelli; denique pleraſque diſſolutiones, quæ in Monaſteriis identidem obortæ ſunt, a ſtudiis ſcientiarum proceſſiſſe. Quæ quum ita ſint, non eſt cur miremur, illum in noſtram de Studiis Monaſticis diſſertationem nimis incitatum, tam acrem & vehementem orationem adhibuiſſe, ut ejus apud ſuos Aſcetas omneſque Communitates exiſtimationem minueret. Neque enim aliud ſibi propoſuiſſe in ſuo ipſe opere profitetur, ut ſtatim videbimus.

Hic jam quiſque putabit, illius opinionem a noſtra penitus diſcrepare, neque fieri poſſe ut aliquatenus inter ſe conſocientur. At, quod mirum eſt, in multis reipſa uterque conſentimus; ita ut novum fortaſſe atque inſolens videri poſſit, quod tam gravis concertatio a leviſſimo diſcrimine ſubnaſcatur.

Spes mihi eſt, poſtquam nitide ea, quæ circa Studiorum rationem vere ſentio, explanaverim, haud multum inter nos diſcriminis deprehenſum iri; neque ſi aliqua diſcrepantia ſupererit, propterea charitatem labefactandam, que utrumque noſtrum indiſſolubili nexu ſemper conjunget, quin ulla unquam poſſit altercatione vel leviſſime perſtringi.

Id mihi in hiſce Animadverſionibus propoſitum eſt. Toto pectore in illud incubui, ut apta orationis forma uterer neque remiſſa nimis neque incitata, mediam inter extremas viam ineundo. Nimirum poſt elegantem & vividum dictionis characterem, qui in tota nitet Reſponſione, triſtis ſermo ac languidus ferri haudquaquam potuiſſet. Ceterum quia ejus opus titulo inſcribitur Domini Abbatis de Trappa, putavi mihi licere huic congruenter titulo, nomen D. Abbatis uſurpare, quandocunque in progreſſu diſputationis uſu venerit.

Porro ejus Reſponſio ad Religioſos de Trappa dirigitur; initio enim Auctor in compoſitione operis ſui nequaquam aliò ſpectaverat. Sed poſtea hos fines egreſſus, edere illud maluit ad communem ceterarum Communitatum utilitatem. Hinc non videtur abludere ſequentium
pag. 459. & 460. verborum ſenſus, quibus ejus hac ſuper re conſilium aperitur. *Principio, fratres, neminem præter vos ante oculos habui. Id mihi ſolum propoſitum fuerat, avertere, quominus ab eruditiſſimo opere improvidi deciperemini, nomenve aut exiſtimatio Scriptoris vobis fucum faceret. Sed poſtea longius mente proceſſi, neque prorſus inutile putavi, rationes noſtras iis quoque innoteſcere, cum quibus ego iiſdem nexibus atque officiis conjunctus ſum.* Hiſce verbis Auctoris conſilium fit omnino exploratum; quod niſi ita ſe aperuiſſet, nihilominus æquo jure crederemus, vulganti opus ſuum placuiſſe, ut ex eo fructum omnes perciperent, & ſimul cognoſcerent, quid ſuper Tractatum de Studiis Monaſticis ipſe ſentiret.

ARTICULUS I.

Status Quæſtionis: Quid Studiorum nomine intelligatur.

Apprime intereſt in quacumque Diſputatione quæſtionis ſtatum recte ponere; ac terminos definire, qui ad eam exprimendam uſurpandi ſunt. Aliter ſæpiſſime quaſi cum ſpectro manus conſerimus, & poſt diuturnam concertationem id de quo agitur ignoramus: difficultatibus vero quas explicare nitimur, magis magiſque præpedimur. Ab hoc igitur capite Dominus Abbas ſuam Reſponſionem exorditur, *ut rem de qua agitur, diſtincte* (ut ipſe ait) *patefaciat*. Et ſua quidem placita prius in medium affert, ut quid ipſe probet, intelligi poſſit; deinde illa quæ mea eſſe putavit, ut quid ipſe reſpuat, cognoſcatur.

Quoad primum, perſuaſum ſibi omni tempore fuiſſe ait, *Religioſis in ſolitudine degentibus abunde eſſe, quod legant, intelligant & meditentur S. Scripturam, & expoſitiones SS. Patrum, S. Joannis Chryſoſtomi, S. Auguſtini, S. Hieronymi, S. Gregorii: hiſque addant ſcripta eorundem SS. Patrum*

aſceti-

Digitized by Google

aſcetica: licet vero intra hos fines ſeſe contineant, omnia quæ tum ad illuſtrationem tum ad doctrinam ſpectare valent, in iis lectionibus ſuppetere. Hic ſe vertit illius cardo veritatis, quam apprime gravem & neceſſariam exiſtimat, *ad hoc ut in Cænobiis regularitas cuſtodiatur: vigeat humilitas, & mentis collectio: exulet vero inde animi diſtractio, quæ nunquam eſt a pietatis & religionis extinctione ſejuncta.* Atque hæc eſt ejus ſententia, qua proculdubio graviſſima veritas continetur, ſiquidem, ut ipſe contendit, ex contraria opinione luctuoſiſſimi dependent effectus. Nunc videamus quam mihi ſententiam attribuat his verbis.

Oppoſitum aliorum judicium in eo ſitum eſt: oportere, Monachos literis humanis, Philoſophiæ & Linguis operam dare: præterea Theologiæ & ſcientiæ Eccleſiaſticæ omninò peritos eſse: Hiſtoriam Eccleſiæ, ejus diſciplinam & Canones probe callere: quidquid SS. Patres & Scriptores hiſce de rebus ſcripſerunt, attente legere; Denique Incriptionum, Manuſcriptorum, & Numiſmatum notitiam ſibi comparare.

Hæc verba typis Italicis ſunt impreſſa; in margine quoque citantur pagina 242. & ſequentes noſtri Tractatus, puta, ut ibi quærantur, ſi cui dubitationem iniicerent. Id verò, ſi ex more ſcribentium judicemus, nihil aliud ſignificat, quàm me ita eſſe locutum, & ipſa verba loco citato reperiri. Sed cum nihil horum inibi reperiatur, fatendum eſt, recenſitis verſibus dumtaxat exprimi ideam, quam Dominus Abbas de mea opinione animo effinxit.

Ait ille, mihi videri, *oportere ut Monachus ſtudeat literis humanis.* Hic non unius ſeorſim, aut quorumdam Monachorum, ſed omnium generatim, qui Ordinem Monaſticum amplexi ſunt, innuitur officium atque obligatio. Nam exiguus Monachorum numerus, qui peculiari quadam propenſione, ſinente Priore, literarum humanarum atque linguarum ſtudio ſe dederint, occaſionem præbere nequit dicendi, *opus eſſe, ut Monachus ſtudeat literis humanis.* Id mihi nunquam in mentem venit. Perſuaſum mihi eſt æque ac D. Abbati, Monachum bonum eſſe poſſe, quin ſtudeat *literis humanis, Philoſophiæ & Linguis.* Superiori licet quidem ex certis rationibus illud ſtudium aliquibus permittere: ſed nunquam illud poteſt quaſi debitum commune aut generalem & neceſſariam occupationem ab omnibus expectare. Denique inter hæc duo magnum diſcrimen intereſt, Superiorem poſſe hæc ſtudia permittere; quod ego cenſeo; & oportere ut Monachi ad illa incumbant, perinde ac ſi alias Monachi eſſe non poſſent; quod ait D. Abbas.

Aliud quoque prorſus eſſet, ſi forte diceretur ſtudia alicui Congregationi, aut integræ Communitati eſſe neceſſaria: hoc eſt, oportere ut in illa Communitate aliqui privati in illis operam ponant: aliud verò, oportere Monachos illis vacare, quod de omnibus Monachis intelligeretur, ſiquidem hoc debitum commune a Monachi qualitate deducitur.

Aliorum ſtudiorum congeries, videlicet *penitioris Theologiæ, & ſacrarum rerum ſcientiæ; Eccleſiæ Canonum, diſciplinæ, atque hiſtoriæ*; attentæ lectionis *omnium Scriptorum, & Patrum qui de hiſce rebus monumenta*

reliquę-

reliquerunt; denique *Inſcriptionum*, *Codicum manuſcriptorum & numiſmatum notitiæ*: quorum omnium ſtudiorum ſarcina, ceu quadam obligatione, atque officio me oneraſſe Monachos præſumit D. Abbas, quippe qui ait, me judice, oportere iis omnibus Monachos eſſe intentos; nova prorſus eſt, ac inaudita. Tam pauci enim ſunt tantæ ſcientiarum varietatis capaces, ut ſi ad Monachi ſtatum earum ſtudium requireretur, pleroſque oporteret non eſſe Monachos.

Itaque expeditius eſt, quin ſingillatim inficias eam opiniones tam parum rationi convenientes, quæ mihi a Domino Abbate tribuuntur, ab illo impoſterum petere, ut ſi quid ei libeat mihi adſcribere, ex iis hauriat, quæ revera in eo libro ſunt, quem ipſe refutat; neque ad id genus notionum confugiat, in quas ex incenſo ſtudio, & mentis fervore, nec non ex modo, quo Adverſarii cogitationes quaſi præjudicatò excipiuntur, multa ſæpe parum exacta confluere ſolent. Quò vero facilior reddatur hæc methodus, quid ego ſuper hac re ſentiam, per quemdam quaſi typum exhibebo, iis locis Tractatus de Studiis Monaſticis in medium allatis, in quibus mentem meam dilucidius explicavi.

Tractatus iſte in tres Partes diſtributus eſt, quibus adjectus fuit librorum ad Eccleſiaſticam Bibliothecam comparandam Elenchus.

In prima Parte ſumpſi mihi probandum, *Studia nedum minime opponi ſpiritui ac perfectioni Monaſticæ, nec unquam fuiſſe Monachis interdicta, verum iiſdem potius eſſe quodammodo neceſſaria*. Mihi in tota hac prima Parte ſermo eſt de Studiis in univerſum, nulla facta peculiari deſignatione ſcientiarum, quarum ſtudium Monachis conveniat: qua de re in altera Parte pertractatum eſt. Præterea nominè *ſolitariè degentium* non intelligo quemlibet ſingillatim Monachum, ſed ipſa ſodalitia communiter ſumpta, quæ aſtruo diutius ſtare non poſſe abſque ſtudiorum ſubſidio. Quæ ſit planè mea ſententia, cognoſci poteſt ex primis ſecundi Capitis verſibus, qui ſic ſe habent: ,, Quamquam verum eſt, ut etiam ,, a me nuper fuit oſtenſum, ſtudia in Cœnobiis nunquam fuiſſe præci- ,, puum Monachorum intentum, neque ſingulis ipſorum neceſſaria ad ,, acquirendam proprii ſtatus perfectionem, nihilominus poteſt indu- ,, bitanter aſſeri, impoſſibile fuiſſe abſque eorumdem adminiculo Mo- ,, nachorum ſodalitia diu in eo ordine, rectaque Æconomia ſuſtine- ,, ri, quam ibi ab initio hujus profeſſionis Auctores ſtabilierant. Porro eamdem rem tot locis paſſim repeto, ut quiſquis hanc primam Partem legerit, omninò perſuaſum habiturus ſit ita eſſe.

Quod ad ſcientiarum varietatem pertinet, quarum notitia poteſt in ſolitudine degentibus convenire, id ſecundæ Parti præbet materiem: ubi inquiritur, *quænam ſtudiorum genera Monachos magis deceant*. Quo verò luculenter pateat, quis mihi in hac ſecunda Parte ſcopus propoſitus ſit, ſat erit legere primum illius Caput, in quo ſtatuo, ,, Eadem ſtudia ,, ſingulis Monachis convenire non poſſe: Ea ad uniuſcujuſque inge- ,, nium accomodanda, & ponderandum inſuper, quid ſingulis Com- ,, munitatibus magis conducat. Eſſe aliqua Monachorum Cænobia, ,, in quibus mediocris ſciendi ratio videtur ſufficere; quæ tamen in aliis

,, ad

Digitized by Google

„ ad rem non eſſet, ob ampliores occupationes, & Eccleſiaſtica mu-
„ nia, quæ gerunt. Idem de ſingulis Monachorum analogicè intelli-
„ gendum: Nam quum impari talentorum numero omnes donati ſint,
„ nullam rationem poſtulare ut paria omninò ſtudia ſequantur: Deni-
„ que Superiorum eſſe illa tali prudentia diſponere, ut vel juxta ſingu-
„ lorum capacitatem, vel Cœnobiorum, in quibus degunt, exigen-
„ tiam opportune diſtribuantur.

Et quiſquam dicet poſthac, videri mihi fas eſſe ut Monachi ad illas omnes ſcientias indiſcriminatim ſe applicent, quæ in Præfatione Domini Abbatis deſignantur? De illo multiplici ſcientiarum genere orationem habui eatenus tantum quatenus hodiernus uſus viget in Monaſteriis, ſive apud Eccleſiaſticos; inquirens, an earum ſtudium ſolitariis, qui a ſuis ſuperioribus idonei judicantur, ſit concedendum aut permittendum, & quis ſit in hac re modus ſervandus. Profectò qui ait, quædam ſtudia quibuſdam Religioſis permitti poſſe, non ait, *oportere* ut ad ea ſe applicent, perinde ac ſi abſque his ſtudiis vere Religioſi eſſe non poſſent.

Nequaquam ego ſic cenſeo: Quod ut compertum cuique foret, non ſatis habui quod in pluribus Tractatus mei locis ejus rei paſſim meminerim; verum etiam peculiarem admonitionem præmiſi in ea epiſtola, quam noſtræ Congregationis Religioſis Alumnis incripſeram: En ipſa Epiſtolæ verba: „ Non vereor quin hæc ſcribendi methodus ple-
„ riſque admirationem pariat, qui forte autumabunt, ipſam a me
„ ſingulis Monachorum æquè proponi. Sed hæc mei non eſt meta con-
„ ſilii; compertum quippe mihi eſt, quod cum pauci ſint ad horum
„ omnium vaſtitatem laborum idonei, ſic etiam pauciores occurrunt,
„ quos Deus ad eamdem metiendam advocet. Quinimo ſæpe numero
„ contingit, ex tot literariis occupationibus inanem curioſitatem auge-
„ ri, potius quam puro ad veritatem affectu attendatur. Verum cùm
„ non cuivis homini, ut fertur, contingat adire Corinthum, & ad pe-
„ culiares ſcientias aptiores nonnulli appareant, quæ pleroſque alios
„ vix decent; hinc operæ pretium fuit in præſenti Tractatu de iis variè
„ diſſerere, eaſdemque multifariè proponere, ut ſingulorum inclina-
„ tioni, ac viribus, inſinuando modum ad eas ſe applicandi juxta pro-
„ prium uniuſcujuſque inſtitutum, ſatisfaceremus. Cæterum pruden-
„ tiæ, ac Superiorum conſilio remittendum erit, quibus onus incumbit
„ ſubditos ſibi Monachos ad ea potiſſimum ſtudia capeſſenda dirigere,
„ quæ tum ipſorum captui ſint magis accomoda, tum etiam Eccleſiæ
„ aut Religioni, quam profitentur, mage proficua.

Poſt tam luculentam cogitationum mearum ſignificationem cui non luce clarius videbitur, plurimum abfuiſſe, ut ego cenſerem, omnibus Monachis indiſcriminatim deſudandum in illarum varietate ſcientiarum, de quibus in ſecunda Parte egimus; econtra vero me pro certo ſumere, non niſi *pauciſſimos* in tam late patentem ſtudiorum meſſem a Deo vocari, & quod ad ſingulos attinet Sodalium, habendam rationem eorum capacitatis, & rem totam bene oculati Superioris prudentiæ committendam.

Fruſtra

Fruſtra igitur illud mihi non ſemel obtruditur, quod hunc Tractatum, in quo de illorum omnium ſtudiorum ratione diſſeritur, Religioſis Alumnis Ord. S. Benedicti nuncupaverim. Fateor id quidem; ſed cum adeo aperte quod ſentio patefecerim, haud puto ampliorem a me exigi poſſe opinionum mearum declarationem.

Primum igitur cum hac imminutione ponenda eſt ea quæſtio, quæ præſenti diſſidio materiem præbuit, & ſic ſtatuendum: me omnibus ſine ullo delectu Monachis ſtudium omnium ſcientiarum minime proponere, ſed earum dumtaxat, quæ ad captum uniuſcujuſque ſunt accommodatæ, ex lege Superioris.

Deinde cum ego non dicam, *oportere* ut dent illis operam, ſed illarum ſtudium poſſe illis tantummodo permitti, ſi Superioribus videatur: quæ duo ſummopere differunt, altero quamdam inferente neceſſitatem, altero ſimplicem veniam atque indulgentiam; id quoque de expoſitione quæſtionis eſt minuendum.

Tertio aliqua deductio fieri debet quoad majorem partem harum ſcientiarum, quarum ſtudium non niſi cum quibuſdam temperamentis probo, quæ Dominus Abbas in ſua Reſponſione diſſimulat. Agens ex. gr. de Humanioribus literis ſic pronuncio: „ Qui Monaſticum induunt cucullum, nec latinam linguam ſatis callent, poſſunt eamdem aliquandiu doceri ante Philoſophicum ſtudium, ut proprios facilius ac rectius poſſint conceptus enunciare. *Illi* etiam qui ad aliorum eruditionem deligi poterunt, vel demum Reip. Literariæ prodeſſe, & Latina lingua ſcripturi ſunt, iſtud Humaniorum literarum ſtudium convenit; nimirum ut nitidioris ſtyli præceptis atque exercitatione informentur, dumodo tandem non niſi caſtos & puros Scriptores legant: & primi quidem ſtata ſolum adoleſcentiæ tempora hujuſmodi lectioni dedicent; alteri vero quædam tantummodo proprii otii intervalla. Conſtat vel ab Eccleſia id in primo caſu permitti; & quod ad ſecundum pertinet, nemo eſt qui id merito vituperare poſſit, præſertim ſi per Regulas Communitatis, in qua quis degit, illud liceat.

Quartò: nedum eò proceſſi ut dicerem, neceſſe eſſe Numiſmatum ſcientiæ vacare; verum etiam pronunciavi, Cœnobitas ab hoc ſtudii genere immunes eſſe poſſe, quod nimium curioſitatis & voluptatis ſæpiſſime excitat, & unde facile poſſent ab utilioribus diſtrahi, proprio inſtituto apprime conſentaneis. Iſtud rei nummariæ ſtudium ſæculares magis decere quam Monachos, quibus noviſſimas eruditorum Collectiones ſat fuerit inviſere. Quod & de iis intelligo, qui literariæ Reip. ſuas lucubrationes deſtinant: Neque arbitror poſſe reprehendi (puta) Dom. Tillemontium, qui haſce Collectiones in ſuum uſum convertit, ubi agitur de ſtatuenda aliqua Chronologica Epocha, e. g. Nativitatis & Mortis Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

Poſtremò ſubducendæ ſunt Mathematicæ diſciplinæ; quarum notitiam, aſtruit Dom. Abbas, mihi videri Cœnobitis neceſſariam; cum ego prorſus contrarium ſenſerim, ut ipſa ſonant verba Capitis 9. ſecundæ Par-

Partis, videlicet non expedire ut Monachi ſtudio Matheſeos operam navent.

Poſtquam de expoſitione quæſtionis hæc omnia dempta ſunt, plane evincitur, quidvis aliud a Dom. Abbate oppugnari, quam meam ſententiam, ac ejus animo alium præter me obiici Adverſarium: ait quippe, opinionem, quam ſibi propoſitum eſt refellere, in eo ſitam eſſe, quod *oporteat* Monachos literis humanioribus, Philoſophiæ, & Linguis ſtudere, ac reliquis quæ paulo ante memoravimus; quodque hæc omnia ſcire *neceſſarium ſit*. Quid magis ab opinione mea remotum? *pag.* 19. Nonne extra rem magnis clamoribus illi detractum eſt, ut anceps & periculoſa credatur, quamquam talis videri nequeat, niſi quia ſub abſurda quadam ſpecie exhibetur? A me igitur potiori jure quam ab illo diceretur: *Id ſane eſſe, grande ædificium moliri, fluxa vero & caduca ſubſtruere fundamenta, quæ nihil habeant ſoliditatis & firmitatis.* *ibid.*

Opportunum putavi omnia hæc ſingillatim perſequi, ut recte ſtatuatur & in aperto ſit res de qua agitur in hac controverſia. Adhuc tamen neceſſe eſt, quorumdam terminorum vim definiendo declarare, qui niſi explicentur, in progreſſu diſputationis ambiguitatem creare poſſent.

Exempli cauſa cum dico, ſtudium in univerſum Communitatibus Monachorum *aliquo modo neceſſarium eſſe*, quo in illis rectus ordo & Œconomia cuſtodiatur; addo *aliquo modo*, ut oſtendam me de abſoluta quadam neceſſitate minime loqui, ſed videri mihi dumtaxat in iſtis Monachorum ſodalitiis rectum ordinem ſine hoc ſtudiorum ſubſidio vix ſuſtineri poſſe.

Studii verbo, intelligo gravem animi contentionem ad aliquam ſcientiam, ſive id ſub moderamine Præceptoris, ſive legendo aut lectionem audiendo fiat.

Porro lectionem quæ ſerio fit, ſtudii loco haberi poſſe, haud puto quemquam ambigere: in ea ſiquidem præſtantium virorum ſtudium proprie reſidet; qui cum non egeant magiſtro, abſque aliena ope in aliqua ſcientia prorſus erudiri atque informari ſola lectione poſſunt. Neque ipſe D. Abbas ab hoc plane diſſentit, cum dicat lectionem non commune quidem ſed *particulare ſtudium* eſſe; quamquam ſubinde videatur lectionem a ſtudio ſecernere. Non ita ſe geſſit in ea Epiſtola ſeu Diſſertatione quæ de fictionibus atque abiectionibus tractat; in qua hæc verba D. Bernardi, *lectio ad ſcientiam*, gallico ſermone ſic tranſtulit: *la ſcience s'acquiert par l'étude;* ubi patet vocem *étude* reſpondere voci *lectio*, quæ eſt in textu latino. *pag.* 103.

Accedit etiam, quod ne legere quidem aut ſcire legere neceſſe ſit ad perdiſcendas ſcientias, & doctrinam comparandam. Ad hanc metam pertingi poteſt alterius vocem ſive lectionem audiendo: quod Didymo accidit viro doctiſſimo, qui a puero captus oculis ita in omni floruit eruditionis genere, ut S. Scripturam in ſchola Alexandrina docuerit, & S. Hieronymum diſcipulum habere meruerit. Caſſiodorus, qui poſt *divin.* Palladium aliosque id narrat, fatetur id ſibi initio viſum eſſe impoſſibi- *lect. c.* 5.

le: ſed cum aliud ſua ætate & in ſuo conſpectu ſimile exemplum contigiſſet, tunc veteri exemplo fidem adhibuiſſe. Memorat vero quemdam Euſebium, qui ab Aſia venerat, quique a quinto ætatis anno excæcatus omnes ſcientias didicerat, tamque accurate ſciebat quidquid innumeris libris contineretur, ut locum libri, quo quæque materies reperiebatur, deſignaret.

Dici poteſt, magnum quoque Antonium, ingenio alioqui excellenti præditum, ſimili fere ratione tantam vim doctrinæ ſibi comparaſſe. Quamquam enim, ex multorum ſententia qui S. Athanaſii teſtimonio nituntur, nunquam legere didiciſſet, adeo doctus evaſit, ut Hæreticos & acutiſſimos Philoſophos diſputando de gradu deiiceret. Porro ab eodem Athanaſio de hoc illuſtri Anachoreta ita proditum eſt: *Auditioni etiam Scripturarum ita ſtudium accommodabat, ut nihil ex ejus animo laberetur: ſed univerſa Domini præcepta cuſtodiens, memoriam pro libris habebat*. Elucet quoque in ejus ratiocinationibus multum dialecticæ facultatis; ex concertationibus vero quas cum Hæreticis atque Ethnicis Philoſophis habuit, perſpicuum fit, eorum placita apprime fuiſſe illi explorata. Cui dubium eſt, lectiones crebrò audientem multa illum didiciſſe, quæ ejus maximum licet ingenium nunquam ſuppeditaſſet, & frequentes denique lectiones ſtudii loco illi fuiſſe? Nam quid refert audiendo ne, an legendo docti evadamus. Scientia ex auditu acquiri nobis poteſt perinde ac Fides.

ARTICULUS II.

De lectionibus, quæ Monachis permitti poſſunt, Domini Abbatis diverſæ ſententiæ.

Quamquam Dominus Abbas a Monachorum Sodalitiis ſtudia ableget, lectiones tamen, quæ a Regulis permittuntur, non interdicit. In hoc conſentit, neceſſe eſſe ut Monachi aliqua ſciant, ſed aſtruit *ea ſufficere quæ illos decent ut Chriſti fideles, vel etiam ut Presbyteros, ſi qui ſunt hujuſmodi charactere inſigniti*. Prorſus rectè iſta ſe habent; at videndum, num media illa permittat atque inſtrumenta, quæ ad earum rerum notitiam comparandam neceſſaria ſunt. Quod ad hanc rem pertinet, nullam aliam viam aperit, niſi quorumdam librorum lectionem. Quouſque vero hæ lectiones proferendæ ſint, & quibus libris utendum, non una eſt ejus ſententia. Juvat in medium afferre varia loca, in quibus hac de re pronunciavit; ac deinceps quærere, quatenus ejus opinio a mea diſſentiat.

In ſuo de Officiis Monachorum tractatu, qui inter ejus opera primum ordine locum tenet, capit. 19. ait: lectionem a S. Benedicto ſui Ordinis ſectatoribus præſcriptam *tanquam præcipuam exercitationem, intra Sacram Scripturam, Scripta Sanctorum Monachorum, & narrationes quibus eorum vitæ, colloquia & geſta continerentur, duntaxat ſtetiſſe*. Non abnuo hujuſ-

modi

Digitized by Google

modi lectiones quibuſdam Religioſis ſufficere poſſe, quibus mediocre ingenium eſt, aut qui cum plurimum ingenio valeant, multa ſcire non appetunt, ſed in abiecto atque ſimplici ſtatu conſiſtere malunt, quam illo contendere, quo ingenii quadam felicitate poſſent attolli. Facile vero patet, haſce lectiones arctiſſimis circumſcribi terminis, neque ex re fore populi, Religionis, aut etiam privatim ipſorum Monachorum, ſi omnes nemine excepto hiſce contenti eſſe debeant. Sed ne Sancto quidem Patri Benedicto in animo fuiſſe rem tam anguſtis finibus coercere, fiet poſtea exploratum.

Sane D. Abbas in hac ſententia diutius non hæſit; ſed cum argumentis atque rationibus ſibi objectis valde premeretur, paulo latiorem reſeravit viam in ſuis Illuſtrationibus. Ibi enim præter S. Paginas, vitas Patrum Eremi, Collationes Caſſiani, Documenta Sanctorum Baſilii, Ephrem, Bernardi; *quidquid S. Auguſtinus, S. Hieronymus, S. Gregorius ad emendationem morum, vitæque inſtitutionem conſcripſere*, legi indulſit. *Diſſ.21.*

In ſua Regulæ explanatione adhuc minus arctos hiſce lectionibus limites conſtituit. Ita enim in ſua ad Lectores admonitione loquitur: *Nunquam mihi conſilium fuit Monachis lectionem ſubtrahere Sanctarum Scripturarum, neque operum SS. Patrum quæ ad illarum intelligentiam perducunt, quæque continent pia documenta & axiomata, ad quorum amuſſim ſe componere homines debent. Quibus velim adiicias ſcripta S. Baſilii, Homilias S. Joannis Chryſoſtomi, eaſdem S. Gregorii in librum Job, atque Evangelia, quæque vetus autor ex ejus commentariis ſuper Epiſtolam S. Joannis decerpſit: Sanctum quoque Hieronymum in Prophetas, S. Bernardum, atque hujuſmodi alios complures.* His capite 4. annumerat opera S. Baſilii, Caſſiani, S. Ephræm, Vitas SS. Patrum, S. Joannem Climacum: Magna hæc quidem lectionum amplitudo, ſi primæ comparetur.

In ſua denique Reſponſione, in quo opere ultimò laboravit, adhuc multum de priori ſeveritate detraxit. In præfatione etenim ſolitariam vitam agentibus permittit, *ut legant, intelligant, ac ſtudioſe meditentur S. Scripturas, expoſitiones SS. Patrum Joannis Chryſoſtomi, Auguſtini, Hieronymi, Gregorii, quibus addant omnia Patrum ſcripta quæ ad monaſticæ vitæ inſtitutum referuntur, ac veritates eo ſpectantes explicant: cujuſmodi ſunt illa Baſilii, Ephræmi, Caſſiani, Iſidori Peluſiotæ, Nili, Dorothei, Bernardi, de Imitatione Jeſu Chriſti.* Neque improbat quidem alibi lectionem *pag.184.* S. Gregorii Nazianzeni, veſtigiis inhærens S. Nili Junioris, qui in ea lectione fuit aſſiduus: quin etiam indulget, ut Monachi ſtylum S. Leonis ad imitandum ſibi proponant, cujus propterea lectionem non reiicit. Qua occaſione cur de Sancto quoque Cypriano non meminit? Denique ſuperaddit *Acta Martyrum, ſcripta S. Thereſiæ, S. Franciſci Saleſii, ea præſertim quæ de profeſſione religioſa tractant: omnes Chriſtianæ pietatis & doctrinæ tractatus, qui noſtris temporibus conſcripti ſunt, Rodriguezium, S. Jure, Specimina Moralis diſciplinæ in Epiſtolas atque Evangelia totius anni; &, quod ad caſus conſcientiæ pertinet, Collationes omnes, quæ factæ ſunt in diœceſibus Gratianopolitana, Lucioceſi, Petrocoricenſi &c.* Ac vero peracta *pag.105.* *pag.227.* *228.*

cta enumeratione, ſubdit, iſta ſatis eſſe *non ſolum ut diſcat Monachus quidquid illum ſcire decet, verum etiam ut ad majorem quàm ipſius ſtatus poſtulet eruditionem aſſurgat; & ne ipſos quidem SS. Patres Joann. Chryſoſtomum, Auguſtinum tanta viclaruiſſe doctrina*. Subinde vero lectionem quoque permittit *Catechiſmi Concilii Tridentini, Inſtitutionum P. Bellarini, aut aliorum bujuſmodi*, nempe ut Religioſi tirones Fidei dogmata ac veritates doceantur, *tres ad ſummum menſes:* „ quibus adiiciantur nunnulli „ tractatus S. Auguſtini, ſimul cum explanationibus, S. Scripturæ, „ veluti *de Doctrina Chriſtiana, de Moribus Eccleſiæ*, iis tantummodo „ prætermiſſis, quæ ſcripſit in materiis polemicis, quæ ad Monachos „ non pertinent.

pag. 467.

Hæ fere ſunt lectiones, quas Monachis in univerſum D. Abbas indulget; qua ſuper re nonnullæ difficultates ſuboriri poſſunt. Primo, quod iſte Catalogus lectionum cum illius principiis parum cohæret; vult ſiquidem, ne, quod ad lectiones ſpectat, a textu Regulæ S. Benedicti minimum diſcedamus. *At Collationes Gratianopolitanæ, Lucioccenſis & Petrogoricenſis diœceſis circa caſus Conſcientiæ*, in eonumero librorum quos S. Pater a ſuis Aſcetis legi permittit, non comprehenduntur.

Quod ſi quis reponat, S. Benedictum nullam horum tractatuum, qui tanto poſt tempore conſcripti ſunt, rationem habere potuiſſe; ceterum ſi noſtro ſeculo vixiſſet, horum lectionem probaturum fuiſſe: Nos quoque pari ratione dixerimus, S. Benedictum ſuis Aſcetis indulſiſſe eas lectiones, quæ tunc temporis doctis & piis Eccleſiaſticis permittebantur; at ſi uſque ad noſtram ætatem proceſſiſſet, haud egrè conceſſurum eis fuiſſe eadem ſtudia, quæ illis Eccleſia non modo permittit, ſed etiam præſcribit.

Deinde cur cenſet D. Abbas Patres legendos reſtrictè quoad eorum Expoſitiones S. Scripturæ, ac Moralem diſciplinam; eos vero tractatus qui de Dogmatibus atque polemicis materiis agunt, excludit: cum S. Benedictus nullum librorum aut tractatuum SS. Patrum excipiat, ut poſtea latius patebit: ait enim alicubi: *Quis liber Sanctorum Catholicorum Patrum hoc non reſonat, ut recto curſu perveniamus ad Creatorem noſtrum?*

S. Bened. cap. 73.

Tertio non plane ſit compertum, quare reiiciatur ſtudium Dogmatum aut Controverſiarum, quæ a Patribus pertractatæ ſunt; quidve impediat quominus legamus Apologias, quæ illi pro Chriſtiana Religione compoſuere. Mirum eſset profecto, ſi cum vulgus Chriſtianorum digne & utiliter legere eas poſſit, Monachi eaſdem legentes crimine obſtringerentur.

Poſtremo quare interdicitur Monachis quarumdam ſcientiarum ſtudium eo prætextu quod ſint ultra eorum inſtitutum; dum illis interea permittitur lectio multorum librorum, ex quibus non modo addiſcere poſſint quidquid illos ſcire deceat, ſed etiam majorem conſequi eruditionem, quam eorum ſtatus poſtulat, uno verbo talem qualem conſequuti ſunt SS. Joannes Chryſoſtomus & Auguſtinus. Id mihi perobſcurum videtur, & intellectu difficile. Verum hæc ad progreſsum diſputationis reſervemus.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS III.

Quodnam diſcrimen interſit inter Domini Abbatis opinionem & noſtram circa lectiones Monachorum.

SUperiores proferenti difficultates non id mihi propoſitum fuit, ut a D. Abbatis ſententia longius recedam: cum gaudeam contra, eum ad nos propius acceſſiſse. Quod ſi antea quod cenſeo recte pervidiſset, non putaſset operæ pretium eſse me refellere, ubi adeo modicum diſſidium reperitur, ut ſubeat mirari, eum contra tractatum de Studiis Monaſticis tam vehementer exarſiſse. Jam enim ille omnibus Religioſis eas multiplices lectiones, quarum meminimus, indulget, neque aliunde diſsentit, poſse Superiores iis qui dotibus quibuſdam eximiis ceteros antecellunt, lectiones & ſtudia permittere eorum ingenio accommodata, *cum ſit hæc quædam*, ut ipſe ait, *exceptio Regulam firmans*. Hoc *pag.* 103. igitur ab eo poſitum videtur, ut Monachis in univerſum lectio permittatur omnium librorum, quos in ſua Reſponſione memoravit.

Porro ne mihi quidem, ſi de Monachis in univerſum loquamur, libéret plura concedere; quod multoties profeſsus ſum. „ Ex libris ſpi„ ritualibus ſunt qui mediocri ingenio ac intelligendi acumine præditis *Tract.* „ abundè ſufficiunt: qui vero perſpicaciori pollent mente, altioris quo- *part.* 1. „ que doctrinæ pabulo poſſunt enutriri. Sed de hac re poſtmodum plu- *cap.* 8. ra dicemus.

Verum enimvero fatendum eſt, ſeriem lectionum, quas D. Abbas Monachis indulget, prorſus eſse rationi conſentaneam; & paucos eſſe, quibus eæ non ſufficiant. Addo etiam, ſupra communem Monachorum captum eſse, niſi alio adminiculo juventur, quo capaces reddantur, atque inde proficere valeant. Ratio in promptu eſt. Nam plerique eorum qui Monaſteria ingrediuntur ut iis ſe addicant, ſunt fermè adoleſcentes, literarum rudes. Ad Trappam quidem conceſserunt viri in ſeculo jam exculti, atque omnibus numeris abſoluti, ſed ceteris ejuſdem Obſervantiæ dom ibus haud perinde contigit. Magnus horum numerus parum Latinè ſciunt. Si tradas iſtis legenda Sanctorum Patrum opera, quorum Elenchum paulo ante recenſuimus; ſimiliter feceris, ac ſi in manus adoleſcentis artis ignari, & inſtrumentorum inermis, nitidi fruſtum marmoris tradas, ut ſimulacrum effingat: aut telam & pigmenta ſine pennicillis ad exprimendam imaginem. Denique infantibus, qui lacte egent, panem dederis; imbecillioribus valentiſſimum cibum, quem vincere non poſſint.

Scio ad hæc reponi poſse, Præpoſitorum prudentiæ eſse, ut lectiones ad uniuſcujuſque captum accommodent; ſed iſtud pro re certa ſtatuo, pleroſque illorum Monachorum ne Sanctæ quidem Scripturæ utiliter legendæ fore aptos, niſi in vernaculam linguam translata, planèque & dilucide ad ipſorum captum explicata illis forte tradatur.

Viri intelligentes, atque optimarum artium ſtudiis eruditi hujuſmodi

angu-

anguſtias minime experiuntur. Quum nullibi hæreant legendo, ſed cuncta obvia ac facilia deprehendant, & pura ſuorum animorum oblectamenta ex ea lectione percipiant; vix adducuntur ut credant ab illo qui ſecus afficitur culpam abeſse. Profecto divina Scriptura nullius capacitatem excedit, omneſque ex illa haurire poſsunt, quo ſe enutriant. Sed ſi opus ſit, ut aliquis in ea lectione peculiarem operam & diuturnum ſtudium collocet; niſi paratus accedat, atque iis præſidiis inſtructus, quæ ad connexionem rerum omnium aſsequendam neceſsaria ſunt, difficile colliget quemdam quaſi ſuccum qui inde educi poſset. Quæ hic dico experientia nituntur: audivi enim ex plurimis illiteratis Monachis, hæc præſidia ſibi deeſse, quibus adjuti, ex ea ſancta lectione quantum velint proficiant. Magnum hoc abſurdum a principiis Dom. Abbatis ſequitur. Ille quidem ſolitariam vitam agentibus permulta legenda tribuit; at illos non ita expeditos reddit, ut ea legere valeant, aut lectione proficere. Ut huic incommodo occurreret, conſtituit Eccleſia, ut Monachi *in primitivis ſcientiis*, nempe in Grammatica & Philoſophia ſtudium impendant, ne quid dicam de ceteris ſcientiis divini & humani juris. Congruenter huic præſcripto in omnibus Reformationibus quæ trecentis ab hinc annis factæ ſunt hic quoque articulus ſtudiorum inſertus eſt, utpote quæ inſtaurandæ regulari diſciplinæ, & recto ordini reſtituendo apprime viſa fuerunt neceſsaria. Ceterum ego hoc ſtudium non nimis extendo relate ad pleroſque adoleſcentes, qui
2. Part. cap. 6. 7. „ vel Scholaſticæ diſciplinæ parum videntur idonei, vel ad ipſam nihil „ ferme inclinant. Sat ſuperque foret ſimplicem quamdam ac compen„ diariam Theologiam iis tradere, vel Tridentini Concilii Catechiſ„ mum ipſis explanare, quo minus temporis in caſsum terant in con„ ſcribendis amplis ſpeculabilium ſcientiarum tractatibus, quos ple„ rumque nec legunt nec intelligunt.

Inter meam & D. Abbatis ſententiam hoc alterum diſcrimen intereſt, quod ipſe ſtudium Dogmaticæ Solitariis huic ſtudio idoneis permittere nolit; ego vero oppoſitum cenſeam, perſuaſum habens, non minus in amore & deliciis Monachorum eſse debere Religionis veritates quæ ſpeculatione, quam quæ practica morum & Regulæ diſciplina comprehenduntur.

Tertium diſcrimen in eo ſitum eſt, quod ipſe ex una parte totius divinæ Scripturæ lectionem Religioſis indulgeat: ex altera nonnullis ſeu potius pleriſque Vetus Teſtamentum legi non ſinat; cum ego contra putem hanc lectionem nemini jure adimi poſse; niſi ſi quædam adeo peculiares circumſtantiæ id poſtulent, ut privatim admonere neceſse ſit, non ut generatim iſtud præcipiatur, aut eorum momentorum, quæ in Reſponſione afferuntur, ratio habeatur.

Quartum diſcrimen intereſt, quod cum Expoſitiones Scripturæ Veterum Patrum, & Tractatus Morales tam veterum quam recentiorum amplectatur; novos tamen Scripturæ Commentarios minime probat. Adeone minus utiles horum Neotericorum Commentarii, quam ceteri eorumdem Tractatus eſse creduntur? Maxime quum illos habuiſse

con-

conſtet exquiſitiorem linguarum notitiam, quam habuerint veteres; & ad intelligendam Scripturam faciliorem aditum reſeraſſe. Omnes hæ diſcrepantiæ a me allatæ ſunt, eo fine tantum, ut pateat, nullam futuram fuiſſe circa ſtudia Monaſtica concertationem, ſi utriuſque noſtrum ſenſa recte intellecta invicem fuiſſent; aut ſaltem rem totam habituram fuiſſe tranquilliorem exitum, nullamque proximi offenſionem. Certe ſermonibus vulgi, quibus plerumque ſolet, inter ſe pugnantes impune carpendo, animum remittere, nequaquam materiem præbuiſſemus.

Fortaſſe quis dixerit, me huic contentioni anſam dediſſe, utpote qui contra D. Abbatis opinionem ultro venerim; atque adeo neminem præter me in culpa eſſe, quod ille quædam paulo aſpera in noſtrum Ordinem, aliaſque recentes Congregationes conjecerit.

Ad id reponam 1. Quod ipſe me laceſſiverit prior, morem a toto S. Benedicti ordine conſtanter ubique ſervatum damnare aggreſſus in iis Lucubrationibus quas olim edidit. 2. Ego quidem ejus ſententiam refellere antea non cogitaveram. Diu enim eſt cum Superiores ordinis me ad proponendam Monachis noſtris aliquam utiliter ac religioſè ſtudendi methodum impellerent. Quod aliis ſcriptionibus intentus facere diſtuleram. Poſtea tamen cum eſſem minus occupatus, æquis eorum flagitationibus ſtatueram ſatisfacere. Verumenimvero Dom. Abbatis opinione perſpecta, qui Monachorum lectiones nimium reſtrinxerat, eoſque ad ſtudia ſcientiarum nequaquam adhibendos enixe contenderat; putavi meam omnem operam in concinnanda methodo irritam futuram, niſi oſtenderem, ſtudia Monachis jure eſſe conceſſa. Mihi igitur tunc neceſſe fuit, in Monaſtica hiſtoria hujuſce inſtituti uſum quærere: cumque mihi perſuaſum foret, traditionem omnium ſeculorum ſtudiis favere, animum induxi poſſe, non improbata Trappæ conſuetudine, oſtendere, ſtudia ſodalitatibus Monachorum quodammodo neceſſaria eſſe, ut ſuſtineantur ac vigeant. De ſtudiorum ergo neceſſitate non niſi data occaſione diſſerui: neque mihi conſilium fuit hypotheſim oppugnare D. Abbatis, quem extra concertationis aleam aperte poſueram, ipſum atque ipſius ſacrum cænobium prorſus honorifice diſcernens.

Sed ut quis pleniſſimè convincatur, non unice operi meo dandum, quod ille quædam aſperiora in me contorſerit: legat quæ ipſe affert in ſuis Illuſtrationibus circa Monachorum ſtudia; ibi vero eadem omnia deprehendet, quibus Reſponſionem aſperſit. At ego Illuſtrationes non legi niſi poſt ſuſceptum hujuſce operis laborem. Id nonnulli fortaſſe vix credent hac ducti ratione, quod magnopere conſentiant quæ ego agens de opere manuali diſſerui, cum iis quæ de eodem argumento in his Illuſtrationibus leguntur. Mihi ipſi ea res admirationi fuit: verum quod quiſque voluerit credat; profecto res ita ſe habet; nec attinet de ea plura loqui.

Denique etiamſi priora illius opera, in quibus tam anguſtis finibus ſtudia concluſerat, mihi præ oculis fuiſſent; nullatenus conjicere poteram, eum in ſua Reſponſione ad nos propius acceſſurum. Quod cum faceret, optandum erat, ne eam dicendi rationem ſequeretur, quæ alio-

aliorum animos graviter commovere, atque efficere poteſt ut ii quos refellit amplectendæ ejus ſententiæ minus propendeant, quamvis cum veritate conſentiat. *Non aſpere quantum exiſtimo, non duriter, non modo imperioſo iſta tolluntur: magis docendo quam jubendo: magis monendo quam minando.*

Auguſt. epiſt. 22.

ARTICULUS IV.

Utrum ſtudia & Scientiæ Monachis permitti poſſint.

HOmines ſcientiam ſtudio ſibi comparant, ſed non omne ſtudii genus ſcientiam parit. Studiorum leve quoddam genus eſt, quoddam mediocre, quoddam denique exquiſitum. Suus cuique generi cognitionis gradus reſpondet; ceterum ſcientia gravi atque improbo ſtudio dumtaxat acquiritur.

Nemo eſt qui ambigat, ſacrarum rerum ſcientias, de quibus in altera Tractatus Parte ſermonem feci, eſse de ſe bonas, quamquam compertum ſit poſse homines illis abuti. Illud unum diſcutiendum ſupereſt, an Monachis quibus eſt ad illas adipiſcendas aptum ingenium, interdici debeant. Quo quidem poſito ſequitur, ut earum quoque ſtudium ſit illis interdictum. Si verò conſtet nihil eſse cur ejuſmodi notitiis prohibeantur, profecto tanta utilitate fraudari non debent.

Interdicendi Monachis ſcientias Eccleſiaſticas duplex tantum cauſa eſse poteſt; videlicet quod perfectionis Monaſticæ, quam ſibi illi metam initio propoſuerunt, officiat; vel quod in eorum Regulis talis inhibitio reperiatur.

Atqui ſcientiæ Eccleſiaſticæ perfectioni religioſæ de ſe non opponuntur. Perfectio ſpiritus bene ordinata perfectioni cordis nequaquam eſt contraria. Utramque pari ſtudio proſequi debemus, magnopere enim conveniunt inter ſe, atque alia ex alia pendet. Corde perverſo corrumpitur ingenium, & viciſſim tenebris atque errore intellectus pervertitur animus ac diſsolvitur. Propterea incenſum veritatis amorem indidit Deus homini, ut nullam rem vehementius appetat. *Quid fortius deſiderat anima quam veritatem?* ait D. Auguſtinus. Alio loco idem ſic ſtatuit: *A ſtudio, cognoſcendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium.* Huc ſpectat S. Gregorii Nazianzeni præclara ſententia: *Nihil apud Deum ita amplum & magnificum eſt, ut doctrina perpurgata, & anima veritatis dogmatibus inſtructa ac perfecta.*

Auguſt. tract. 26. in Joan. De civ. Dei l. 19. cap. 19. Gregor. Naz. c. 31.

Denique ſcientiæ & ſtudia ſanctitati Monaſticæ profeſſionis ideo adverſari poſsunt, quod nos ab ejuſdem profeſſionis fine dimoveant, & aſsequendi finis rationibus ſint inimica. Religioſi inſtituti pariter ac vitæ chriſtianæ finis eſt charitas, ad quam univerſi Chriſti fideles, laici, Eccleſiaſtici ac regulares adſtringuntur. Si ergo ſcientiæ & ſtudia ſunt huic fini contraria, ſequitur ab illis Eccleſiaſticos & ſeculares perinde ac Monachos abſtrahendos eſse. In Deum aſsurgimus, Deo incumbimus

mus atque illi adhæremus non minus agendo & cogitando, quam corda pie erigendo, ſi utrumque ex charitate proveniat. Vitæ integritas ad quam ſtudio deducimur, ad eam diſponit puritatem, quæ neceſſaria eſt ut ad Deum accedamus.

Peculiares rationes, quas Regularis ſtatus ſuppeditat illius finis aſſequendi, ad quem ipſe reſpicit, ſunt Vota, & Exercitationes a Regulis præſcriptæ. Atqui viri literis dediti animo eſſe ſolent a rerum cupiditate abalienato, quæ inſignis eſt nota paupertatis. Scripturarum notitiam ſectare, ajebat D. Hieronymus: jam quidquid puritati adverſatur, oderis. Denique quis docibilior, quis æqui & boni amantior, quis jubenti Superiori paratior eo religioſo viro, quem decorat ſcientiæ lumen, & cujus ingenium ac pectus gratia cum ſcientia informavit?

Quod attinet ad regulares Exercitationes, in ſequentibus Articulis ſermonem de iis habebimus, atque oſtendemus, Regulas, illam præſertim S. Benedicti, non modo ſtudiis haudquaquam eſſe contrarias, verum etiam illis favere.

Non opinor me hic tradere periculoſam opinionem, cum ea doctrinæ S. Thomæ, a qua periculoſum eſt diſcedere, prorſus conformis ſit. *Vid. Orig.* Pluribus locis ſtatuit S. Doctor, ſtudium religioſos viros decere, non eos tantum, quorum vivendi genus in actione conſiſtit & ad proximi ſalutem refertur, ſed & illos qui ſuæ vitæ rationem in rerum divinarum contemplatione poſuerunt. 1. quia ſtudium & ſcientia lucem intellectui afferunt: 2. a ſcopulis & erroribus arcent, quibus expertes literarum obnoxii ſunt. 3. animum a cogitationibus carnis retrahunt, vim cupiditatis imminuunt, & voluntatem ad obedientiam præparant. In reſponſione vero ad tertiam objectionem, ait, inter Philoſophos ſeu doctos ſeculi, atque illos qui Religioni nomen dedere hoc intereſſe diſcrimen, quod illi tantummodo in ſcientiis profanis operam impendant; hi vero in ſtudiis defixi quæ ad pietatem referuntur, aliis ſcientiis non vacant *niſi in quantum ordinantur ad ſacram doctrinam*. Omnes itaque ſcientiæ, de quibus in altera Tractatus mei Parte ſermonem feci, quum ad hunc finem commode dirigi poſſint, ſi cum quodam moderamine recteque diſpoſiti ad illas religioſi viri incumbant, ut illic monui, propterea certus ſum, me de hoc argumento nihil in ea Lucubratione tradidiſſe, quod non cum S. Thomæ doctrina prorſus concordet.

Sed illud mihi videtur hanc litem dirimere, quod Doctor idem Angelicus ſtudiorum noſtrorum Apologiam jamdudum confecit (& cum eo Sanctus etiam Bonaventura:) in Opuſculo adverſus Gulielmum de S. Amore. In hoc opere ejuſdem Gulielmi argumenta diluuntur, quorum præcipua deducta erant a veterum Regularum ſilentio; ab exemplo S. P. Benedicti, qui in eremum ſecedens ſtudio humaniorum literarum olim valedixit: a debito, quo tenentur religioſi viri in labore manuum ſe exercendi, humilitatem ſectandi, & a curioſitate abſtinendi. Quarum ferme rationum pondere ipſe Reſponſionis Auctor hodie innititur. Prætereo alias objectiones Gulielmi de S. Amore, quæ ad Regulares mendicantes peculiariter referuntur, iis contentus, quæ nobis cum illis

communes ſunt. Utrorumque enim tutelam S. Doctor in citato Opuſculo pariter ſuſcipit. Clemens vero Papa IV. qui hujuſce Defenſionis provinciam ei demandaverat, doctrinam poſtea probavit, adverſarii opinione damnata.

Magna hujus præjudicii auctoritas vel apud D. Abbatem valeret opinor, ſi rem ſerio perpenderet; maxime cum ipſis oculis perſpicere queat, S. Thomæ Apologiam, licet Gulielmus de S. Amore Ordines Mendicantium præcipue oppugnaſſet, generalem eſſe pro omnibus Religioſis, demptis quibuſdam capitibus, quæ ſingillatim ad Mendicantes pertinent. Reſponſiones S. Thomæ ad præcipua objecta quæ ſuperius retuli, in progreſſu adducam; interea ſatis habens cum eo dicere, non eſſe ferendum, quod quiſpiam velit, tranquillum vitæ genus atque ab omni ſtrepitu remotum, quod Religioſi profitentur, & quo ſtudiis ac ſcientiis aptiores fiunt, idipſum eſſe propter quod ab illis prohibendi ſint. *Ridiculum eſt dicere, quod aliquis a doctrina repellatur, per quod magis quietus ad vacandum ſtudio & doctrinæ redditur.*

Profecto videmus, nunquam defuiſſe in Eccleſia ſanctitate excellentes animas, quæ cum ſe Deo unicè mancipaſſent, in Sacræ Paginæ ſtudio aſſiduæ fuerunt, ut inde non ſolum morum doctrinam, & Myſteriorum ſcientiam haurirent, verum etiam ut magni momenti difficultates perſcrutarentur. Hujuſmodi cenſendæ ſunt ſanctæ illæ mulieres, Euſtochium & Paula, aliæque, quibus S Hieronymus multas ſibi ab

Hieron. epiſt. ad Læt. eiſdem propoſitas difficultates enodat. Sic educari volebat Sanctus Doctor Paulam juniorem, utque ei poſt Sacram Scripturam, opera S. Cypriani, S. Athanaſii, S. Hilarii, atque aliorum Eccleſiæ Patrum legenda traderentur, inculcabat.

Pallad. cap.142. His etiam annumeranda B. Silvania, quam laudat Palladius, ejus auſteritates & pœnitentiam narrans. Sancta illa mulier cum docta admodum eſſet, noctes convertebat in dies, ut ſtudio tempus reſervaret; neque ſolam Scripturam lectitabat, ſed & omnes Commentarios, qui uſque ad illud tempus prodierant, Origenis, S. Gregorii, S. Baſilii, Stephani, Pierii, atque plurimorum aliorum ſedulo evolvebat: quibus lectionibus ita ſerio vacabat, ut non eſſet eadem ſemel legiſſe contenta, ſeptimo uſque ac octavo exactiſſime repetens; ut per has lectiones ipſius mens ad Jeſum Chriſtum extolli promptior redderetur.

Mulierum potius exempla quam virorum ideo recenſui, ut exploratum fieret, non inſtituti aut officii debito eas ſtudio ſe dediſſe, ſed quod expertæ didiciſſent, hoc ſtudium rite peractum quemdam gradum eſſe poſſe, quo ad Deum evehamur.

His ita poſitis, fortaſſe quis dixerit, non debuiſſe ergo me eam ſententiam proferre, quæ initio Tractatus legitur: „ Tantum abeſt ut ſola cupiditas humanas acquirendi ſcientias majores noſtros impulerit
„ ad Cænobiorum Monaſticorum fundationes, ut potius econtra aſſe-
„ verare poſſimus, ipſaſmet ſcientias ſub contemptu qui de reliquis re-
„ bus habebatur, ab iiſdem fuiſſe omnino comprehenſas. Et revera D. Abbas hunc mihi locum pluries objecit, aſſerens vix ſe intelligere

Digitized by Google

poſſe, quomodo cum hoc principium tam evidenter & conceptis verbis probaſſem, reſilire inde potuerim, *& contra quam mihi ipſi perſuaſum ſit voluerim, Monachos ad ſtudia & ſcientias incumbere, quæ Inſtitutoris primarii, videlicet Jeſu Chriſti conſilio & voluntati prorſus adverſantur.* pag. 3.

Cui rei primum reſpondeo, minus æquum in me eſſe D. Abbatem, qui credat, poſſe me contra ac ſentiam aliquid ſcribere. Novi equidem me non eſſe ita affectum, ut id quod nullatenus mihi perſuaſum eſt enunciem; & ſpes me fovet, nunquam a Deo euſque me deſertum iri, ut ad opinionem contra animi mei ſenſus propugnandam quadam aſſentatione aut facilitate compellar. Poſſum in errorem impingere, ſicut ceteri homines; etiam contradictionibus obnoxius ſum; ſed, ut contra ſcribam, quam egomet convictus ſim, id mihi nunquam Deo auxiliante eventurum confido.

Deinde, ut ad objectionem revertar, nihil vetat, quominus ſcientiæ humanæ ſub contemptu cadant, quamquam relate ad res ſanctas ac virtutem utiliter adhibeantur; quomodo divitiis ad ſubſiſtendum & eleemoſyna juvandos pauperes utimur, licet eas ut Chriſtiani & religioſi contemnamus. Fulgorem gloriæ ac plauſus, qui humanas ſcientias ſæpe comitantur, ſpernimus. Vigiliis & ſtudiis noſtris nullatenus laudem ceu metam proponimus. Jam non illas propter ſe ipſas quærimus, ut antea, hominum corruptelam peroſi. Sed id non impedit, quominus juxta Dei eorumque, a quibus regimur, præſcripta propter fines potiores iiſdem bene utamur.

ARTICULUS V.

Quid ſuper ſtudio & doctrina Monachorum Domino Abbati videatur.

Studii ac doctrinæ Monachorum adeo immanem picturam exhibet nobis D. Abbas, ut hominum animis ab eorum inſtituto abalienandis, ingerendoque lethali odio aptiſſima ſit; quin & nonnullos ad illud deſerendum quadam vi impellere valeat, ſi in eorum Monaſteriis ſtudiorum uſum vigere contigerit. Quis vero hodie locus eſt ubi illa non ſint? quibuſnam cœnobiis rectius etiam ordinatis exulare ſtudia reperies? dummodo Trappam & pauca ſimilia excipias. Lubetne ipſam picturam hic intueri? Ecce tibi. *Studium deſtruit humilitatem, cui religionis ſtatus unice innititur. Scientia Monachorum conditioni pabulum eſt adventitium.* pag. 150.
Eorum animis ineluctabiliter nocet; eoſdem pervertit, letaliter afficit, atque illud pietatis, ſimplicitatis & puritatis fundamentum diruit, cui adhæret illorum ſanctificatio. Vir doctus in ſodalitio regulari, *ſeceſſus, ſilentii, orationis,* 393.
jejuniorum, vigiliarum, aſſiſtentiæ ad Officia nullam amplius rationem habet. Regula, ordo, conſtitutiones, diſciplina atque ædificatio ibi excidere, ubi con- 350.
ſtituta ſunt ſtudia. Studiis ſcientiarum in clauſtra introductis, abit jam mentis collectio, moleſcit diſtractio; domus pacis & ſolitudinis in tumultuantes Aca- 462.

474. *demias convertuntur*. Præterea *ſtatus & Principes qui illas regunt, ſubſidiis* (orationum) *quæ olim apud ſolitarios ſibi comparabant, deſtituuntur. Populi exemplum bonorum operum, quod in totam dimanabat Eccleſiam, intra Cœnobia videre deſierunt*. Hinc *manualis laboris laudabilis uſus ſublatus eſt, pro*
232. & *quo otium & luxus irrepſere*. Denique Monachos ſtudiis admovere nihil
ſeq. aliud eſt *quam illos a Dei ordinatione divellere, & contra ejus æterna conſilia agere*. Uno verbo, *hæc eſt compendioſiſſima & certiſſima ratio, qua Clauſtra*
477. *religioſis legibus ſolvantur, Monachi proprii officii ſenſu penitus exuantur, & ſine Eccleſiaſtico ſpiritu, virtute ac merito, Eccleſiæ ſervitio mancipentur*.
pag. 46. Huic tabulæ coronidem apponamus ex eo quod alio loco dictum reperitur: nimirum quamvis nonnulli in ſolitudine degentes olim Eccleſiæ ſua eruditione & doctrina inſervierint; *innumeros alioqui fuiſſe qui ei graviſſima damna intulere, & profundis vulneribus nondum ad hanc diem coaleſcentibus, & uſque ad mundi exitum cruorem emiſſuris eam conſauciarunt*. Jam ne vides quam atris coloribus expreſſa, & quo ſub lumine collocata ſtudia Monaſtica exhibuerit nobis Auctor, & quam magnum legentibus inſtituti noſtri horrorem & contemptum ingerere poſſit?

Poſt adeo enormem ſtudiorum & ſcientiæ picturam, jure merito ſubdit, *neque Deo neque hominibus probari poſſe, quod exercitatio judicio San-*
299. *ctorum rejecta ac damnata, ſit in ea hominum conditione familiaris, quæ ſolemni conſecratione ad Jeſum Chriſtum pertinet*. Hoc quippe conſectarium ex iis principiis quæ modo congeſſi, neceſſario colligitur. Hinc prorſus ablegada ſunt ſtudia ex iis Cœnobiis, ubi ſunt recepta; aut ea Cœnobia perpetuo claudenda; quod de omnibus fere intelligendum, exceptis Trappa & duobus vel tribus ejus ſimilibus; ne videlicet ſtatus non modo periculoſus, ſed æternæ ſaluti inſociabilis adoleſcentibus pateat. Quæ enim ſpes ſalutis ibi eſſe poteſt, unde humilitas, oratio, pietas, animi collectio, ſimplicitas, puritas, prorſus exulant? Ubi neque bonorum operum exemplum, neque ſanctitudinis odor, neque Eccleſiæ aut populi utilitas amplius inveniuntur? Ubi denique homines a Dei ordine declinant, ubi contra ejus æterna conſilia operantur.

Neve quis dicat, aliquos in Eccleſia Dei Sanctos extitiſſe, qui intra Monaſteriorum ſepta ope ſtudiorum & doctrinæ ad ſanctitatem contenderunt. Nam qui fieri poteſt, ut ſine humilitate, ſine oratione, ſine meditatione, ſine puritate, ſine bonorum operum exemplo, ſanctus quis evadat. Quomodo aliquis Deo placere poterit, ſi ab illius ordine deſciſcat, & contra ejus leges æternas agat. Id æquè impoſſibile eſt, ac tenebrarum cum luce, cœli cum terra, Jeſu Chriſti cum Belial ſocietas. Neceſſe eſt ergo ut dicamus, omnes Monachos doctrina illuſtres quos ut ſanctos colimus, ex albo Sanctorum expungendos, & in prævaricatorum numero cenſendos eſſe. Neceſſe eſt ut dicamus, Eccleſiam & Pontifices, qui ad erigenda in Monaſteriis ſtudia Superiores impulerunt, removiſſe illorum cætum ab ordine Dei, eoque in ſtatu collocaſſe, qui æternis legibus omninò repugnat, utpote qui ſpiritum humilitatis, orationis, contemplationis extinguat. Uno verbo, neceſſe eſt ut dicamus, præſtare militaria inire ſtipendia, quam Reli-

gionis

Digitized by Google

gionis inſtitutum amplecti, niſi forte quis ad Trappam concedat.

Quæ cum ita ſe habeant, non intelligo quomodo D. Abbas in aliis ſuæ Reſponſionis locis dicere queat, *veteres Patres & Monachos, nequaquam culpa dediſſe alicui ſolitario, quod ad omnes has ſcientias incumberet, ſtuderetque Divinæ Scripturæ, Fidei dogmatibus, Morali atque Eccleſiaſticæ diſciplinæ; neque putaſſe cuipiam ex illis interdictum earum rerum ſtudium, dummodo ad illud legitima auctoritate deſtinarentur.* Parum intelligo qua ratione decreta adeo inter ſe contraria conciliari poſſint; & quomodo iſta congruant cum iis quæ alibi de ſtudio Patrum loquens pronunciat; nimirum, *ſtudiis conſtitutis, viam Sanctorum ad ſanctificationem deſeri, & prorſus oppoſitam iniri; Sancti Inſtituti veritatem labefactari, ſeu potius extingui: demum id perinde eſſe, ac alia fundamenta ponere velle, quam quæ divina gubernatione poſita ſunt.* pag. 262. pag. 259.

Hujuſmodi repugnantiæ adeo in oculos incurrunt, ut tantum ingenium in eas delabi potuiſſe vehementer admirer. Eæ certè faciunt, ut noſtrum de tam immani ſtudiorum Monaſticorum pictura judicium parumper inhibeamus, donec principia & momenta, quibus adeo novam opinionem ipſe confirmat, examinemus; quod in præſentia aggredimur.

Tria nobis principia ſuccurrunt, quæ dirimendæ huic controverſiæ inſervire poſſunt: Regularum auctoritas: ſtudiorum in Cœnobiis nunquam interrupta Traditio; atque his deficientibus immutatio diſciplinæ, diuturna conſuetudine & Eccleſiæ auctoritate invecta. Igitur hæc tria principia ad trutinam expendamus, & utrum D. Abbatis ſyſtema huic triplici fundamento nitatur, videamus.

ARTICULUS VI.

Primum Principium, Regulæ veteres. An eæ Studio Monachorum opponantur.

GRave atque unicum momentum, quo Dom. Abbas ſuam a communi hominum opinione remotam ſententiam confirmat, in hoc poſitum eſt, quod Regulæ tam Orientis quam Occidentis, atque illa præſertim quæ a S. Benedicto nobis tradita fuit, nihil de ſtudiis memorant aut præcipiunt. *Neque enim ab eorum exemplo qui ſtudio operam dederunt, judicium ſumere debemus, utrum hæc exercitatio illis conveniat nec ne; ſed ex conſilio eorum, a quibus Ordines ac Obſervantiæ Monaſticæ inſtitutæ ſunt, illud quærendum eſt: inſpiciendæ videlicet ſunt Regulæ, quas ii compoſuere; ipſæ enim eorum ſpiritum ac decreta continent. Igitur ſi ſcire velim, an ſtudium ſcientiarum ceu quoddam officium a Monachis requiratur, ſedulo Regulas inſpicio, ut quid de hoc ſtatuant, certior fiam. Cum vero ne verbum quidem quod ad ſcientias & ſtudia pertinet, ibi reperiam, utut omnes has Regulas diligenter perlegerim: hoc jam tanquam exploratum cogor inferre, illorum mentem, quos omnibus his Ordinum Monaſticorum obſervantiis in Eccleſia inſtituendis* pag. 4.

Deus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Deus præficere voluit, nequaquam fuiſſe, ut qui eaſdem Regulas amplecterentur, ſtudiis ſcientiarum incumberent. Ne una quidem talium Regularum hujuſmodi ſcientiæ meminit; aut ita compoſita eſt, ut colligi poſſit, Monachos ſcientiæ incubuiſſe. Studium ergo atque applicatio ad ſcientias non eſt, ſi inde ab ipſa origine repetamus, Monachis conveniens occupatio, ſed ab eorum inſtituto prorſus aliena. Hoc principio, quod eſt illi cum Gulielmo commune, nititur D. Abbatis ſententia. Hoc ipſe mille locis repetit atque inculcat, & in eo cardo totius Reſponſionis vertitur. Propterea magnopere intereſt idem funditus examinare. Optimum verò factu erit, ſi primum videamus, an revera in antiquis Regulis nihil prorſus de ſtudio dicatur. Deinde, an ex illis ſaltem colligi poſſit, Monachos ab initio ſtudio operam dediſſe.

Verum antequam ulterius progrediamur, opus eſt ut nonnullarum propoſitionum ſenſum & quorumdam terminorum, qui in Reſponſione occurrunt, ſignificationem aliquantulum explicemus, ad vitandas in hac lite æquivocationes. D. Abbas pluribus in locis ait, ſtudium non eſſe occupationem Monachis *convenientem*, aut ipſorum *propriam*, ſed *adventitiam*, denique non eſſe *commune exercitium*. Vox *conveniens*, ex trito uſu tam Latinæ quam Gallicæ linguæ, idem ſignificat ac *aptum*, *proprium*, *conducibile*, *decens*. Studium Monachos decens eſſe quis neget? 1. ut ad fructum ex lectionibus percipiendum idonei reddantur. Fruſtra enim legere juberentur, ſi mediis quibus legendo proficiant deſtituuntur. Propterea Grammaticæ ſtudium pueris qui antequam legere didiciſſent, Monaſteria ingrediebantur, ſaltem neceſſarium erat, ut ipſe D. Abbas fatetur. 2. Scientiarum Eccleſiaſticarum ſtudium Monachos decet, qui apto ad illas addiſcendas ingenio prædití, eidem quoque ſtudio legitima vocatione admoventur. Neve ab hoc quidem D. Abbas diſſentit, ut mox videbimus. Studium itaque Monachis duplici hoc ſenſu *convenire* poteſt, eorumque *proprium* eſſe. Nam *proprium* & *conveniens* idem hic ſignificant, ubi lingua Philoſophorum non loquimur, apud quos alia ſignificatione vox *proprium* uſurpatur. 3. Studium pro gravi & attenta lectione accipi poteſt, ut ſupra oſtendi. Quo ſenſu ſtudium, commune Monachorum exercitium appellare poſſumus, nam omnes Regulæ multam lectionem illis præſcribunt. Alias vero, ſi ita lubet, facile conceſſerim, ſtudium non eſſe commune exercitium, aut generalem, & eſſentialem occupationem, ita ut cuilibet ſingillatim Monacho neceſſarium ſit. Sed ſuper hac re mentem meam ego mihi videor ſatis aperuiſſe in Superioribus Articulis, ut plura addere ſupervacaneum ſit. Nunc videamus an verum ſit, nullam ex antiquis Regulis de Studiis Monachorum fuiſſe loquutam.

Credibile eſt, D. Abbatem nullo loco illa habuiſſe, quæ ait S. Baſilius initio Regularum fuſius explicatarum, ubi docendi pueros methodum tradit. Ante omnia præcipit, ut ii quibus eorum inſtitutio demandata eſt, ſcopum quem ſibi in hoc negotio proponere debeant, jugiter præ oculis habeant. Quoniam vero hic ſcopus eo præcipue redit, ut recte intelligendi Sacram Scripturam iidem pueri capaces fiant, optat ut

voca-

vocabulis in ſacris libris uſitatis apud ipſos utantur, & loco fabularum, hiſtorias ipſis rerum mirabiliter a Deo geſtarum denarrent, itemque ſumptis ex proverbiis Salomonis ſententiis ad virtutem erudiant. Denique S. Doctor quædam illis memoriæ præmia proponit, quibus excitati jucundius & facilius tradita percipiant. Hinc liquet, qua ſedulitate, quantaque cura ſcientiis excolerentur, quarum ope ad Scripturæ intelligentiam deduci poterant. Teſtatur S. Joan. Chryſoſtomus, hanc inſtitutionem puerorum, qui Religioni nomen daturi in Monaſteriis educabantur, quandoque uſque ad viginti annorum ætatem productam fuiſſe.

Quod vero ad provectiores pertinet, in unum ſæpe congregabantur, de difficultatibus S. Scripturæ atque aliarum lectionum invicem conferentes, quas explicabant, prout ex Regulis apparet S. Pachomii & S. Iſidori Hiſpalenſis, ex ejuſdem S. Pachomii vita, ex S. Auguſtino in libris de opere Monachorum ac de moribus Eccleſiæ Catholicæ, ex Sancti Fulgentii vita, & ex aliis multis Patribus, qui dictas Congregationes ſeu collationes *diſputationum* nomine appellant. Superiores his collationibus plerumque exordium dabant, Monachi vero ſuas quiſque difficultates proponebant. Præ ceteris S. Fulgentius, quum ſibi difficultates magni momenti proponerentur, vehementer gaudebat. Juxta Regulas S. Pachomii & S. Iſidori ter ſingulis hebdomadibus hujuſmodi conſeſſus habebantur; alibi etiam ſingulis diebus, ut S. Auguſtinus in libro de Moribus Eccleſiæ Catholicæ & Sanctus Hieronymus in quadam ad Euſtochium epiſtola teſtantur. Quæ vero inibi ſervarentur leges, cognoſcimus ex prima earum epiſtolarum, quas ad Gregorium Nazianzenum Baſilius ſcripſit.

Epiſtola S. Hieronymi ad Ruſticum Monachum Gallum, ſemper habita fuit quaſi quædam Regula Monaſtica, ubi ait ſe *non de clerico diſputare, ſed Monachum inſtituere*. In hac illum Epiſtola hortatur ut jugiter librum aliquem manibus geſtet. *Numquam de manu & oculis tuis recedat liber:* ut ſcientiam divinarum ſcripturarum amet, ne ſenſus vaniscogitationibus pateat; ut tranſcribendis codicibus occupetur, ſicque corpori pariter & animo convenientem cibum comparet. Ibi denique eum admonet, *ne ad ſcribendum citò proſiliat, neu levi ducatur inſania, ſed multo tempore diſcat quod doceat.* Poſtrema hæc verba atque alia nonnulla a S. Benedicto Anianenſi in ultimo articulo capitis 19. adducuntur. Ubinam liquidius ac certius quam in hac D. Hieronymi Epiſtola ſeu potius Regula ſtudia indicata reperies?

Quod pertinet ad alias Regulas, incompertum mihi eſt, quare D. Abbas illam Magiſtri diſſimulaverit, qui ſtudiis apertè patrocinatur cap. 50. ubi decernit, juniores Monachos ab idoneo præceptore inſtruendos eſſe: *ab uno literato literas meditentur*, Reponet fortaſſe, hic dumtaxat ſignificari, quod legere diſcant, quo pacto eum quoque locum Regulæ S. Aureliani, *literas omnes diſcant*, interpretatus eſt. Attamen hic ſenſus nequit ſuſtineri, ſaltem in Regula Magiſtri, qui præcipit, ut hoc literarum ſtudium uſque ad quinquageſimum ætatis annum protrahatur,

hatur, *ad quinquagenariam ætatem literas meditari*. Novum etenim quiddam ac inſolens foret, ſi legere diſceremus, aut etiam linguæ latinæ ſtuderemus, quo altero ſenſu D. Abbas vocabulum *literas* accipit, idque a puero uſque ad hanc ætatem. Ceterum Magiſter abhinc mille & amplius annis floruit, ante illa videlicet tempora, quæ Dom. Abbas pravitatis & corruptelæ tempora appellat. Hic Auctor cum aliis veterum Regularum compoſitoribus in Concordantia Regularum citatur.

Hujus teſtimonium, ut alia multa præteream, ſaltem evincit, ampliorem ſenſum tribui poſſe Regulæ S. Aureliani, quam quem illi tribuit Dom. Abbas: *Literas omnes diſcant*. Haud ſcio an valida momenta afferri queant, quæ nos ita ſenſum reſtringere cogant, ut his verbis ſignificari putemus ſtudium puerorum elementare, quamquam non negem *Literarum* vocabulum hoc ſenſu quandoque uſurpari. Illud enim notatu dignum eſt, quod S. Aurelianus neminem infra decem aut duodecim ætatis annos in ſuum Monaſterium recipi velit, ut primæ educationis, quæ pueris debetur, moleſtia effugiatur, *qui & nutriri non egeant*. Plerique vero hac ætate legere ſciunt, ac primis etiam Latinæ linguæ rudimentis ſunt imbuti: & valde probabilis conjectura eſt, eos qui religioſæ vitæ deſtinabantur, rudioribus hiſce literarum præceptis jam inſtitutos Monaſteria intraſse, ſi quidem tunc temporis Lingua Latina Arelate, qua in urbe Aurelianus Epiſcopi dignitate fulgebat, in uſu vulgari non erat, ut ſupponimus. Cum ergo Sanctus hic Præſul neminem a ſtudiis literarum immunem eſse velit, *Literas omnes diſcant*; facile intelligitur propoſitum illi fuiſse, ut omnes ſibi ſubditi Monachi liberalibus ſtudiis erudirentur, quorum præſidio in ſolitudine poſtea cum fructu uti poſsent. Non deerat quoque proculdubio in Cœnobiis Præceptor, eorum inſtitutioni præfectus, qui diſciplinæ indigebant. Quomodo enim ſine magiſtro literas adoleſcentes didiciſsent?

Aureliani Reg. cap. 32.

ib. c. 17.

Idipſum dico de cap. 2. Regulæ S. Ferreoli. *Omnis qui nomen vult Monachi vindicare, literas ei ignorare non liceat*. Idem cap. 19. præcipit, ut Monachi legant frequenter, atque ita ut nulla abeat dies, qua legendi officio non ſatisfaciant.

Memineram etiam Regulæ S. Iſidori: at Dom. Abbas nihil in ea de ſtudiis extare aſſerit. Et verum profecto eſt, nullum apertum teſtimonium inveniri in illa quæ Codici Regularum inſerta eſt. Sed ejuſdem impreſſæ cum reliquis ſancti hujus Epiſcopi operibus, cap. 20. perſpi„ cue decernitur, ut educationis ac diſciplinæ puerorum alicui probo „ & ſapienti viro commiſſa ſit cura, a quo virtutis exercitatione, & „ literarum ſtudio pariter informentur. Et ne quis putet hunc locum illius Regulæ adjectum fuiſſe, ſciendum eſt eumdem a Sancto Benedicto Anianenſi integrum adduci cap. 75. Concordiæ Regularum: Unde liquet hujuſce Regulæ editionem in Codice Regularum minus eſſe accuratam, quam inter opera S Iſidori.

Notatu dignum eſt id quod a S. Iſidoro cap. 9. præcipitur; videlicet ut non modo Abbati proponantur difficultates quæ legendo occurrunt, ab eoque coram fratribus explicentur ad communem utilitatem; verum

etiam

etiam ut ex libris, qui legendi erunt, illi excludantur, qui ab Ethnicis aut Hæreticis compoſiti ſunt. Unde ſequitur, ceterorum omnium librorum uſum & lectionem ab ipſo permitti, ſecundum juris effatum, *exceptio firmat regulam.*

Sed nihil magis diſerte ſtudiis patrocinatur quam Regula Grimlaici, qui vult Monachos aliorum poſſe eſſe Magiſtros, neque alienam doctrinam emendicare. *Solitarius debet eſſe doctor, non qui doceri indigeat.* Præcipuum ipſorum ſtudium Sanctæ Scripturæ impendendum, ita ut vires ſumant ad refellendos hæreticos, Judæos, & ceteros Religionis hoſtes; inſuper *percurrendos* illis eſſe Eccleſiaſticos *Canones.* *Griml. cap. 20.*

Ad quod reſpondet Dom. Abbas, hanc Regulam non eſſe antiquam; & Eccleſiaſticis multo magis quam Monachis compoſitam fuiſſe: ceterum in ea nihil aliud præcipi quam Sanctorum librorum lectionem, & quod ſpectat ad Canones, de levi quadam ac jejuna notitia intelligenda eſſe verba illa, *percurrere Canones*; denique Grimlaicum non Monachum ſed Presbyterum iis temporibus ſcripſiſſe, quibus in Ordinem Monaſticum magna diſſolutio jam irrepſerat. *pag. 64.*

Ut hæc reſponſio probabilis aliquatenus redderetur, indicandum erat tempus, quo hic Auctor vixit. Credibile eſt autem ſuam illum Regulam conſcripſiſſe ſeculo nono; neque dubitari poteſt, propoſuiſſe illam Monachis & cella clauſis hominibus, minime vero Eccleſiaſticis, ſic enim ille in ſua loquitur Præfatione: *Suggeſſiſtis mihi, ut Regulam Solitariorum, videlicet Cœnobitarum, deſcriberem.* Vide etiam caput 15. & quæ ſequuntur, ubi de cella clauſis orationem habet. Sacræ vero Scripturæ ſtudium, quod Monachis injungit, non in ſimplici lectione conſiſtit, ſed ad ſolidam abſolutamque doctrinam refertur, ſic ut virum idoneum efficere valeat ad alios erudiendos, & alienam diſciplinam minime deſiderandam; quin & ad Fidei hoſtes impugnandos. Vocabulum *percurrere* apud Scriptores mediæ ætatis non ſemper pro levi quadam notione ſumitur, ſed ſæpius abſolutam lectionem, eamque minime interruptam aut mutilatam ſignificat, ut poſtea videbimus. In hac acceptione eo vocabulo utitur Eccleſia, gratiam jejunia Quadrageſimalia omnino complendi a Deo pro fidelibus petens: *ſecura devotione percurrant.* Denique hunc Presbyterum etiam Monachum fuiſſe, multi ejuſdem Regulæ loci palam faciunt; & quamquam conſtaret vixiſſe illum ea ætate qua Ordo Monaſticus ab exacta Regularis diſciplinæ obſervatione deſciverat, nihil inde evinceretur; ad rem enim eſſet oſtendere, adductis aliquibus Regulæ locis, ipſummet in ſuorum temporum diſſolutione fuiſſe. Futilis vero foret neque admittenda petitio principii, ex eo, quod ſtudia præſcripſit, aſſerere eum ſolutiorem ſequutum fuiſſe diſciplinam. At numquam oſtendetur, remiſſum aliquid aut temporum corruptelam ſapiens ejus Regula contineri, quæ magna ex parte a Regula Benedictina deſumpta eſt, & accuratam in omnibus obſervationem atque pietatem redolet.

Ex hactenus dictis circa veteres Regulas, intelligi poteſt, 1. Magna cum diligentia juniores Monachos in Monaſteriis educari atque inſtitui

ſolitos fuiſſe. 2. Literis erudiri, quibus ad recte concipiendam Divinam Scripturam idonei redderentur. 3. Hujuſmodi ſtudium protrahi conſueviſſe, juxta Regulam Magiſtri, uſque ad provectiorem ætatem. 4. In more fuiſſe ut ii, quibus difficultates legendo occurrebant, earumdem explicationem a Superiore aut Doctore peterent. 5. Admodum probabile eſſe has difficultates ad res doctrinæ & eruditionis Sacræ Scripturæ non minus quam ad morales materias pertinuiſſe. Hujus rei conjectura fieri poteſt ex dubiis quæ in quinquaginta S. Macharii homiliis reſolvuntur atque explicantur; nec non ex Reſponſionibus Sancti Hieronymi ad Pammachium, alioſque: S. quoque Iſidori Peluſiotæ, S. Nili veteris, & aliorum complurium. Denique viri eximii, qui in antiquiſſimis & ordinatiſſimis Cœnobiis jam inde a pueritia inſtituti atque educati, vitæ regularis exercitia ſectando, magnam vim doctrinæ & eruditionis aſſecuti ſunt; validiſſimo nobis ſunt argumento, ſtudia videlicet inibi exculta certo & conſtanti uſu fuiſſe juxta veterum Regularum præſcripta.

ARTICULUS VII.

Inquiritur, num Regula Sancti Benedicti ſtudio & ſcientiis adverſetur.

ILlud nobis tantummodo diſpiciendum eſt, quis intra Cœnobia vigeret uſus, antequam S. Benedictus ſuam Regulam componeret, ut judicemus fueritne ipſe ſtudiis contrarius. Diſcimus ex S. Auguſtino, Fideles in Africa religioſis Domibus de propriis bonis conferre ſolitos fuiſſe, ut Monachi ſuſtentationis & victus neceſſaria ſollicitudine ſaltem ex parte ſoluti, prolixius occuparentur *ad erudiendum animum*. Idem Sanctus Doctor in libro de Moribus Eccleſiæ Catholicæ, de ſui temporis Solitariis in univerſum ait, eos *divina doctrina excellentiſſimos* fuiſſe. S. Fulgentius Monachis & Clericis, quos ipſe inſtituebat, eaſdem lectiones, eademque ſtudia permittebat. In Oriente omnis doctrina apud ſolitarios recondebatur, deque eorum gremio maxima Grecæ Eccleſiæ lumina prodierunt. Notum eſt, quam magna hi ſolitarii pars fuerint Conciliorum, & quomodo Eccleſiæ rebus ac doctrinæ conſuluerint in Synodis Epheſina & Calchedonenſi, nec non in quęſtione Trium Capitulorum, quæ S. Benedicti tempore agitabatur. In Galliis Lerinenſe Monaſterium Eccleſiaſticorum & Præſulum doctrina præſtantium ſeminarium erat. In Italia Caſſiodorus in ſuo Vivarienſi Monaſterio ſtudium omnium erexerat ſcientiarum, quæ ad S. Scripturæ notitiam aditum aperire poterant. Dionyſius Exiguus Abbas hujuſmodi ſcientia excellebat, & utriuſque linguæ, Grecæ ac Latinæ peritus erat. Novimus præterea, Sanctum Oyanum in Galliis græcam linguam didiciſſe in Cœnobio Montis Jura, quod S. Claudii hodie appellatur.

Auguſt. de Opere Mon. c. 20.

S. Be-

Digitized by Google

S. Benedictus, qui trium illorum, quos ultimo memoravimus, tempore floruit, perſpectam procul dubio habebat conſuetudinem & normam Orientalium Monaſteriorum, atque aliorum tam ſui, quam anteacti temporis. Omnino credibile eſt, uſui ſe accommodaſſe ſtudiorum, quæ ibi conſtituta cernebat, veluti in prædicationis miniſterio exemplum ſequutus eſt S. Equitii, celebris tum in Italia Abbatis. Facile vero id erit cuique perſuaſum, ſi animadvertat, ſtudiorum praxim in noſtro Ordine ſemper viguiſse; ac ipſemet Dom. Abbas cogitur fateri, eam conſuetudinem introductam fuiſse ſaltem *paulo poſt Regulæ promulgationem*. Itaque in confeſso jam eſt, ſtudia ante S. Benedictum, & ipſius ævo in Cœnobiis exculta fuiſse Hujus moris continuatio inter ejus Regulæ ſectatores perſpicuè apparet *paulo poſt editam eamdem Regulam*. Cui ergo dubium eſse poterit, illum ſtudia fuiſse complexum, quin & eorumdem fundamenta ipſummet jeciſse? *pag. 68.*

Et licet expreſsè S. Benedictus in ſua Regula de ſtudiis haud meminiſset, nihil eſset cur miraremur. Studium, quod ſub aliquo Rectore agitur, non eſt omnium Monachorum communis exercitatio, ſed ad ſolos adoleſcentes pertinet, & certo tempore definitur. At Regula raro ad hæc particularia deſcendit. Cum exploratum ſit, pueros qui in hujus Ordinis Monaſteriis quinquennes aut ſexennes Deo offerebantur, prima ſaltem literarum rudimenta doceri conſueviſse; hujus nihilominus tyrocinii nullam facit in ſua Regula mentionem. Nullum ibi verbum de Miſsæ officio, nullum de Communione, quæ actiones tamen ad univerſos ſpectabant, & magni erant momenti. Adhæc ex Noſtri S. Patris Vita intelligimus, fuiſse quotidie certum aliquod tempus meditationi dicatum; cujuſmodi exercitium tanti ille faciebat, ut olim data opera in unum ex ſuis Cœnobiis ſeſe contulerit, emendaturus juniorem quemdam Monachum, qui circa illud negligenter, & parum fideliter ſe habebat. At nihilominus ſtata hæc meditationis tempora in Regula non iudicat, licet de mentis oratione cap. 20. ſerio tractet, doceatque, qua reverentia & devotione iſtud exercitium peragi debeat. Poſtremo illud adiiciamus, S. Benedictum in Regula ne pro Collationibus quidem certa conſtituiſse tempora, quamquam nullum dubium ſit, eum voluiſse ut Superiores illas frequenter inirent ad Monachorum exhortationem, correptionem, atque emendationem; quod D. Abbas in ſua Reſponſione non diffitetur. *Greg. l. 2. Dial. c. 4.* *pag. 243.*

Quod vero ad adultos pertinet, lectiones quæ illis a Sancto Benedicto præſcribuntur, ſtudii loco erant. Permittit enim illis, ut legant non ſolum omnes libros Novi & Veteris Teſtamenti, Regulam S. Baſilii, Inſtitutiones & Collationes Caſſiani, Documenta ac geſta Sanctorum Monachorum; ſed etiam omnium SS. Patrum Opera, juxta illius effatum: *Quis liber Sanctorum Catholicorum Patrum hoc non reſonat, ut recto curſu perveniamus ad Creatorem noſtrum?* Deinceps ad Regulas & conſuetudines veterum Monachorum illos dimittit: adeoque pro noſtræ Regulæ exercitio haberi debet quidquid a magnis illis viris in eorum Regulis ſancitum, aut in Monaſteriis uſurpatum eſt. Ipſemet S. Be-

D 2 nedi-

Digitized by Google

nedictus per quamdam omnino ſui propriam moderationem, poſtulat ut ſua Regula nihil majuseſse credatur, quam rudis magnorum exemplarium adumbratio: *Hanc minimam incboationis Regulam deſcriptam adjuvante Chriſto perfice; & tunc demum ad majora quæ ſupra commemoravimus Doctrinæ virtutumque Culmina, Deo protegente pervenies*. Hæc ſunt videlicet quaſi Archetypa, quæ S. Benedictus ſuis Monachis ad imitandum proponit.

Quod ſi hunc locum eo modo capiamus, quo a Dom. Abbate explicatus fuit; profecto noſtræ opinioni validius argumenrum inde aſseremus. Quippe ille hanc Regulæ clauſulam ira gallico ſermone interpretatur: „ Accompliſsez par la grace de Jeſus-Chriſt cette Regle, que „ nous avons écrite comme un petit commencement de la vie religieu- „ ſe, & enfin vous vous éleverez en la pratiquant, comme nous avons „ déja dit, à de plus grandes choſes, & parviendrez avec le ſecours de „ Dieu au comble d'une ſcience toute ſainte, & d'une vertu toute „ divine. Fac eſse iſtam ſupra relati loci genuinam ſententiam; nihil ſupereſt niſi ut dicamus, S. Benedictum diſcipulos ſuos ad faſtigium doctrinæ & virtutis evehere voluiſse, *au comble de la doctrine & de la vertu; Ad ea quæ ſupra commemoravimus doctrinæ virtutumque culmina*. Quo nt idonei pervenirenr, adminicula illis ſuppeditaſse, ſtudia nimirum, & lectionem Sacræ Scripturæ, atque Eccleſiæ Patrum, præter Monaſticas inſtitutiones. Sine ſtudio etenim hæ lectiones numquam cum fructu fieri poterunt: ſine ſtudio numquam ad illud doctrinæ faſtigium licebit aſsurgere.

In hac re S. Patriarcha pariter ſe geſſiſse videtur, ac S. Hieronymus erga S. Paulinnm, quem cum veller Monachum omnibus numeris abſolutum exhibere, optat ne ſcientiæ præſertim Scripturarum, ad quam illum horratur, fines ullos imponat: *Nihil in te mediocre eſſe contentus ſum. Totum ſummum, totum perfectum deſidero*. Iſtud vero eſt doctrinæ faſtigium, ad quod ſuos diſcipulos S. Benedictus in animnm induxit evehere, præclara exemplaria, de quibus modo loquebamur, illis proponens. Porro etſi de ſcientia quæ ad divinas Scripturas refertur tantummodo ſermo eſset; omnino ramen quamplurimis aliis notitiis opus eſt, ut ad abſolutiſſimam illam rationem perveniamus, prout in progreſsu patebit.

Ne quis ergo dixerit, hic agi tantummodo de doctrina morum, & de Sanctorum ſcientia, minime vero de omnigena quadam & exacta ſacrarum rerum notitia. Quum enim S. Benedictus ſuis Cœnobitis quodlibet Patrum opus legendum permittat, quid cauſæ eſt cur ad exiguum eorum numerum redigantur, quæ de moribus ſcripta ſnnt, opera autem dogmatica penitus excludanrur? Numquam ego, quod ſciam, affirmavi illum pro libris Patrum *Homilias in Sacram Scripturam* tantummodo accepiſse. Dogmatum & Controverſiarum notitia tantum-ne periculi Monachis portendit, ut nullis adducti momentis aſseverare poſſimus, ejuſmodi ſtudium illis eſse interdictum? Econtra nobis exploratum eſt, & a me alibi probatum, complures SS. Patres ſcripta Dogmatica

matica ad Solitarios inſcripſiſse, ut ea perlegerent & meditarentur. Perfecta Dei cognitio, quæ per Dogmata acquiritur, ad Dei amorem perducit, eumque perficit. Quid, quod in his libris nonnullæ maximi momenti ad morum ſcientiam quæſtiones diſcutiuntur, quarum notitia ſaltem rectoribus Monaſteriorum neceſſaria eſt. Ipſemet S. Bernardus exquiſitiſſima & altiſſima oratione ad ſuos Monachos iſta tractavit, refellens errores hæreticorum Colonienſium, & Gilberti Porretani Epiſcopi Pictavienſis. Nulla igitur ratione fretus quis dixerit, Scriptionum hujuſmodi lectionem ſuis Monachis a S. Benedicto non fuiſſe conceſſam; adeoque indubitatum eſt, eos ad hanc lectionem idoneos ope ſtudiorum redditos; quod de illis dico, qui ad ea cum fructu peragenda vires ingenii a natura habebant.

Ecquid, dicet aliquis, binarum horarum qualibet die lectio, perfectæ cumulatæque ſapientiæ virum valebit efficere?

Spatium iſtud temporis certis hominibus, qui illo bene uterentur, ſatis eſſet, ut ad congruentem ſcientiam proveherentur; nam ſi Cardinali Perronio credimus, in quodam celebri Ordine ad juventutis diſciplinam peculiariter inſtituto, par tantummodo horarum ſtudio aſſignatur. Hic mihi in mentem veniunt quæ D. Hieronymus ait in quadam Epiſtola ad Marcellam, in qua lectionis aſſiduitatem Ambroſii amici ſui laudat, & cum ſua aliorumque inertia comparat, quos ſi vel ſecunda hora legentes invenerit (ait S. Doctor) continuo defatigantur, & manu faciem defricant, quaſi poſt multum laborem.

Sed hic non agimus de viro omnibus doctrinæ ac ſcientiæ numeris abſoluto; ſermo eſt de ſtudiis. S. Benedictus unicuique Monacho binarum horarum ſpatium poſt Primam hiberno tempore, & poſt opera manualia æſtivo concedit, ut lectioni vacent. Tempore quadrageſimali trium horarum ſpatio legitur. Præter lectiones prolixas, quæ inter prandendum, & ante horam completorii fiebant, in hoc exercitio impendi etiam poterat hiemis tempore totum illud intervallum quod erat inter Matutinum & Laudes; & a menſe Octobris uſque ad quadrageſimam totum, quod inter prandium & Veſperas, reticendo inſuper meridianam horam æſtatis ad id pariter deſtinatam. Denique Dominicis & feſtis diebus completa Sacra Synaxi & Oratione, toto quod ſupererat tempore ad hoc ipſum incumbebatur. Id erat omnibus Cœnobitis commune. Unicuique igitur ſupererant quatuor ſaltem horæ ſingulis diebus, quas legendo inſumerent: poterat autem hæc lectio illis ſtudii loco eſſe, ut articulo 1. oſtendi. Hæc ſatis erant cuilibet Monacho ceteroquin idoneo & parato ad aſſecutionem doctrinæ, quæ pro ſuæ vitæ regimine, & divinarum Scripturarum atque ſacrarum rerum notitia ſibi neceſſaria erat.

Rurſus ad hæc reſpondetur, quod cum S. Benedictus *humanarum literarum ſtudium abdicaverit, ab eo conſilio alienas exiſtimans, quod ſibi Deus injecerat*; credibile non eſt illum abdicati ſtudii uſum poſtea recepiſſe, aut literarum humanarum contemptum ſectatoribus ſuis non ingeſſiſſe. *pag.* 15.

Haud

Digitized by Google

Haud aliter ab ipſo quoque Gulielmo de S. Amore objectum olim fuit D. Thomæ, qui ſua reſpoſione cum nobis facit. *Dicendum*, ait, *quod iſte non diſceſſit a ſtudio, quaſi ſcientiam horrens aut ſtudium: ſed ſecularem vitam & ſocietatem formidans*. Sed utcumque literas humanas ille contempſerit, in ſuo tamen ſeceſſu ingenium ſtudiis excolere profecto non deſtitit. Argumento erit idoneo illius Regula, *ſermone luculenta*, teſte S. Gregorio: in qua loci inſunt mira elocutione referti, antiquorum Patrum dignitati pares. Neque vero facundiæ uſum adeo exquiſitum comparare ſibi Romæ potuerat adoleſcens tredecim aut quatuordecim annos natus. In ea paſſim occurrunt locutiones & ſententiæ S. Auguſtini & S. Cypriani, unde colligitur eorum ſtuduiſſe lectioni. Caput Regulæ 52 agens de Monaſterii Oratorio, totum penè ex Epiſt. 109. S. Auguſtini, nunc 211. decerptum eſt. Quod ait Regula cap. 48. *Certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione divina*, fere iiſdem verbis extat in libro S. Auguſtini de opere Monachorum n. 37. Præterea quæ capit. 60. legimus de Ananiæ & Sapphiræ corporali morte, judicio, quod de eadem re fert S. Doctor ſermon. 148. alias 10. de diverſis, plane conſentiunt. Hæc verba capitis 72. *Chriſto omnino nihil præponant*, in libello S. Cypriani de oratione inveniuntur. Deprehendi poſſet in aliis quamplurimis Regulæ ſimilitudo & convenientia cum Sanctorum Patrum ſcriptis, ſi quis in quærendis utrobique locis operam ponere vellet. Attamen cur miremur, ipſum mer S. Benedictum Patrum lucubrationes legiſſe, ad quas legendas ſuos Cœnobitas hortatur? Nonne magis eſſet mirandum, ſi illis non præiviſſet exemplo?

Quod ad ſacras Paginas attinet, fatetur Dom. Abbas illum *ſcientiæ Scripturarum eximiè fuiſſe peritum*. Non deerant ergo illi aliæ notitiæ quæ ad eximiam illam Scripturarum comprehenſionem neceſſariæ ſunt.

Quamquam denique verum eſſet, S. Benedictum in Regula nullam de ſtudiis mentionem tacite vel aperte feciſſe; cum ea tamen ſuis Monachis non interdixerit, merito aſſeveramus, vetita illis non debere eſſe: juxta Bonifacii IV. effatum, qui in Concilio quodam, ubi Clerici, Monachos prædicatione aliiſque Eccleſiaſticis muneribus defungi, ægrè ferentes ex ſuo illos inſtituto hujuſmodi munerum capaces non eſſe contendebant; eorum conatus repreſſit, & *labi omnino* eos pronunciavit, decernens, munera illa Eccleſiaſtica Monachis eſſe permiſſa. *Neque enim* (ait Pontifex) *Beatus Benedictus, Monachorum præceptor almificus, hujuſcemodi rei aliquo modo fuit interdictor*. De hujus Concilii authentia dubitari non poteſt, cujus quidem meminit Ven. Beda in Hiſtoria, decretum vero Canonum veteres Collectores prodiderunt. Inſuper Doctor Angelicus eo ad idem probandum utitur: additque illa munera Religioni obſtrictis hominibus permittenda eſſe, cum ipſorum Regula illis non interdixerit. Tantum abeſt itaque ut Regularum, præſertim Benedictinæ de ſtudiis ſilentium ad probandum inſerviat, Monachis ſtudia eſſe interdicta; ut potius argumento ſit non eſſe, juxta ſummi Pontificis, imo totius Concilii Romani ſub illo habiti circa annum 610. poſteà-

S. Thom. 2 2 qu. 187. a 1.

ſteàque ſub Urbano ſecundo in Concilio Nemauſenſi confirmati Decretum.

Axioma, de quo locuti ſumus, alio Divi Thomæ principio nititur: nempe *Religioſos non teneri ad alia quam ſeculares, niſi propter Regulæ profeſſionem*. Quotuſquiſque vero eſt qui neget, ſecularibus ſtudia eſſe permiſſa? At neque ulla regularum antiquarum, neque ſpeciatim Benedictina, ſtudia Monachis vetuere. Sequitur ergo, juxta S. Thomæ principium, nullo jure poſſe ea Monachis interdici. *ib. art. 3. ad 2.*

Idem S. Doctor in ſuo Opuſculo 20. eamdem ſingillatim roborat ſententiam, reſpondens ad Gulielmum de S. Amore, qui ut Regularibus ſtudiorum libertatem auferret, Regularum ſilentium prætendebat. Ibi Sanctus Thomas ſic ſtatuit: *Illud autem intelligitur conceſſum, quod nulla lege prohibitum invenitur*. Ex quo principio colligit, ſtudia Monachis cum ab eorum Regula interdicta non fuerint, nunc illis jure interdici non poſſe. *Id. Opuſcul. 20. cap. 2.*

Antiquis noſtris Patribus hoc adeo perſuaſum fuit, ut non dubitaverint quovis tempore ſtudia literarum excolere. Ipſemet Dom. Abbas fatetur, *abnui non poſſe, Monachos paulo poſt Regulæ S. Benedicti publicationem ſtudiis vacare cæpiſſe*. Et revera quis illud abnuat, quod certiſſimis & clariſſimis argumentis evincitur? Ex hac Dom. Abbatis confeſſione hanc ego concluſionem duco; Ergo antiqui Patres noſtri *paulo poſt Regulæ promulgationem* ſibi vetitum non eſſe crediderunt, quominus ad ſtudia incumberent, illo adducti momento, quod naturali æquitate nititur, & Concilii auctoritate firmatur: videlicet cum S. Benedictus id nequaquam vetuiſſet, ejus Monachis meritò concedendum, juxta D. Thomæ effatum. *pag. 67.*

Quæ cum ita ſe habeant, de noſtro ſtudendi jure nos depelli non poſſe contendo; nitique nos Regulæ non modo ſilentis & permittentis auctoritate, ſed & liquido præcipientis, ut veterum exempla ſectemur, quoties Regulæ non opponuntur.

Ut hæc ratiocinatio recte percipiatur, compertum eſſe debet, S. Benedictum binas Regulas ſuis diſcipulis propoſuiſſe, quibus ſuas moderarentur actiones; hoc eſt communem Monaſterii Regulam, & majorum exempla: *Octavus humilitatis gradus eſt, ſi nihil agat Monachus, niſi quod communis Monaſterii Regula, vel majorum cohortantur exempla*. Cum vero certum ſit, ſtudia a Regula non vetari, & majores noſtros *paulo poſt Regulæ promulgationem* ea in ſuis Cœnobiis jugiter uſurpaſſe, eorumque conſuetudinem conſtanter uſque ad noſtra tempora fuiſſe ſervatam: profecto Regulæ non adverſatur, ſed potius illi adhæret, obſequitur & conſentit quiſquis ſtudiorum inſtitutum nunc tenet. Sed fac, huic conſuetudini ineſſe quiddam primæ S. Benedicti inſtitutioni haud omnino conſentaneum; quid refert, ſi Regulæ mentem ſequi poſſumus, veſtigiis majorum noſtrorum inſiſtendo, quorum apud nos magna eſſe debet auctoritas: eos dico, qui ſanctitatis merito, atque incenſo regularium obſervationum ſtudio excelluerunt: cujuſmodi ſunt Ven. Beda, S. Bonifacius Germanorum Apoſtolus, S. Benedictus Anianenſis, qui

in Gal-

in Galliis quaſi alter S. Benedictus ſuo tempore habitus fuit: præterea S. Dunſtanus, S. Anſelmus, B. Lanfrancus, atque alii innumeri. Igitur a Regula non deſciſcimus dum ad ſtudia incumbimus: ſed potius cum ea facimus, & conſentimus, ſanctos viros imitando qui eamdem profeſſi ſunt. Rationes a Studii & Operis manualis mutua repugnantia deſumptas, quæ nobis obiiciuntur, in proceſſu diluemus.

ARTICULUS VIII.

De quorumdam Ordinum Conſtitutionibus, & de Regula Sancti Franciſci.

pag. 80. Miror unde ſit, quod cum Canonici Regulares Sancti Victoris Pariſienſes Regulam S. Auguſtini profiteantur, non ea nobis, ſed illorum potius conſtitutiones obiiciantur. Quod ſi hæ Conſtitutiones, quæ ſtudiis haudquaquam favere dicuntur, ea introducere & ſtabilire poterant, quamvis S. Auguſtini Regula eadem ſilentio præterierit; & nihilominus approbantur: Quidni approbantur etiam Conſtitutiones Reformationum Ordinis S. Benedicti trecentis abhinc annis factæ, quibus expreſſè ſtudiorum praxis injungitur? Maximè cum Concilii Viennenſis, ac Summorum Pontificum decreta illis robur addiderint, & majorem conciliaverint auctoritatem. Si revera tamen S. Victoris Conſtitutiones ſtudia interdicerent, fateor aliquo jure nobis obtrudi poſſent. Minime vero. Omnia huc redeunt, quod *neque in primis neque in ſecundis Conſtitutionibus ulla fiat ſtudiorum mentio*. Si ergo nulla ſilentii ratione habita tum Regulæ S. Auſtuſtini, tum Conſtitutionum S. Victoris, ſtudia in hac Abbatia jam inde ab initio exculta fuiſſe comperiremus; liqueret jam, Regularum ſilentium, quod hic nobis obiicitur, ineptum eſſe contra ſtudia argumentum. Id vero ſtatim patebit. Quod attinet ad tertias S. Victoris Conſtitutiones, *cæptum per illas ſtudia invaleſcere*, affirmat Dom. Abbas, adiiciens, *ita eſſe comparatum, ut cunctæ res quo longius a ſuis primordiis recedunt, immutentur & in deterius ruant*. Æquius & verius dixerimus, initio quidem neceſſe non fuiſſe ſtudii normam & leges præſcribere, cum Superiores ad illud ſatis propenſa cernerent ingenia; excurſu vero temporis cum primus fervor remiſiſſet, ſtudiaque nimium negligerentur, fuiſſe neceſſarium, ut priſca reficeretur diſciplina, & regulæ circa ſtudia traderentur. Et eo magis rationi conſentaneum eſt ſic judicare, quod notum ſit, hanc Abbatiam virorum ſanctitate æque ac doctrina præſtantium jam uſque a primordiis ſeminarium fuiſſe: inter quos Ven. Hugo & Richardus, quorum docta & pia opera omnium manibus teruntur. Hæc res Jacobum de Vitriaco Cardinalem compulit, ut in ſua Occidentali Hiſtoria teſtaretur, hanc S. Victoris Domum *multis a principio Pariſienſibus Magiſtris, viris literatis & honeſtis, velut ſtellis fulgentibus illuſtratam, & quaſi margaritis pretioſis decoratam*.

Digitized by Google

Omnia hæc nos per conjecturas conficere, fortaſſe quis dixerit: ceterum valde eſſe credibile, doctores celeberrimos, de quibus locuti ſumus, ſcientiam aſſecutos fuiſſe, antequam in Abbatiam ſe conferrent.

Sint ſane omnia conjecturæ: Ad certiſſima atque extra omnem controverſiam poſita momenta in medium ferenda expediti ſumus. Gulielmus Campicenſis poſtquam Philoſophiam in Univerſitate Pariſienſi docuerat, ſecedens, hujus Abbatiæ fundandæ occaſio fuit. Age videamus quem ibi de ratione ſtudiorum ordinem & typum conſtituerit. Abælardus ejus diſcipulus hæc memoriæ prodidit: *Nec tamen hic ſuæ* *Abæl.*
converſationis habitus aut ab urbe Pariſiaca, aut a conſueto Philoſophiæ ſtu- *Hiſt.ca-*
dio eum revocavit: ſed in ipſo quoque Monaſterio, ad quod ſe religionis cauſa *lam.c.2.*
contulerat, ſtatim more ſolito publicas exercuit ſcholas. Ibi non ſolum Philoſophia, ſed & ars Rhetorica tradebatur, ut idem Auctor fidem facit: ipſemet Gulielmus in eo receſſu ſuos ſententiarum libros compoſuit, de quibus dixi alias. Quid hoc teſtimonio clarius ac certius? Nonne ex eo evidenter colligitur, ſtudiorum uſum in Domo S. Victoris uſque ab initio viguiſſe, utut primæ & ſecundæ ejus Abbatiæ Conſtitutiones & ipſa etiam S. Auguſtini Regula omnino ſtudia ſiluerint. Hinc denique patet, quam minimum pondus habere poſſit ratio ex Regularum qualicunque ſilentio deſumpta, quam tanti facit Reſponſionis Auctor.

S. Auguſtini Regula illud mihi in memoriam revocat, quod alicubi *pag.195.*
in Reſponſione dicitur: videlicet S. Auguſtinum, qui ut Gentilium incredulitatem & hæreticorum pertinaciam revinceret, Monachorum ſanctitate quaſi quodam telo uſus eſt, non alia iis officia adſcribere quam laborem, orationem, contemplationem, & S. Scripturæ lectionem: at de ſtudiis ne verbum quidem. Verum quid refert, ſtudiorum mentionem non fieri in eo libro, qui hic citatur de Moribus Eccleſiæ Catholicæ, modo alibi S. Doctor ſuam mentem patefecerit. Nunquid ea prætermiſit in libro de Opere Monachorum, ubi bonorum largitiones commendat ac probat, quibus fideles Monaſteria juvabant, indigentiam ſublevantes infirmorum, aut eorum neceſſitatibus ſupplentes qui erant Eccleſiaſticis functionibus occupati, atque ad ſtudia incumbebant, *pro-* *Auguſt.*
pter eruditionem doctrinæ ſalutaris. Et ut perſpicuum ſit, de gravi illum *de Opere*
& ſerio ſtudio loqui, hæc inibi ſubjungit: *Ad hoc enim & illa bona opera* *mon.nu.*
fidelium ſubſidio ſupplendorum neceſſariorum deeſſe non debent, ut horæ quibus *19.*
ad erudiendum animum ita vacatur, ut illa corporalia opera geri non poſſint, non opprimant egeſtate.

Verum enimvero neceſſe non erat ſtudia Monachorum commemorare in libro de Moribus Eccleſiæ Catholicæ, ibi enim opponenda erat tantummodo eorum continentia, continentiæ Manichæorum, quam nimis ambitiosè præſeferebant. Nihilominus tamen vel in hoc libro S. Auguſtinus idoneum reliquit teſtimonium ſtudii Cœnobitarum, qui in commune vivebant, & in orationibus, lectionibus, atque Collationibus dies agebant, *viventes in orationibus, in lectionibus, in Diſputationibus.* *Id. de*
moribus
Hujus poſtremi vocabuli prout a Patribus uſurpatur, hunc eſſe ſenſum, *Eccl.Ca-*
eòque ſignificari Colloquia ſeu Collationes, quas inter ſe ſolitarii inire *thol.c.31.*

Digitized by Google

ſolebant ad elucidationem præſertim ſacrarum Scripturarum, certa prorſus eſt atque explorata. Tota illorum Theologia huc referebatur, & ad hunc ſcopum reliquæ illorum lectiones & notitiæ collineabant. At D. Abbas non putavit a ſe transferendum eſſe poſtremum iſtud verbum, haud ſecus ac illa quæ inferius ſequuntur: *Hi vero Patres non ſolum ſanctiſſimi moribus, ſed etiam divina doctrina excellentiſſimi*. Nobiliori ſane præconio ſanctiſſimus & doctiſſimus Monachorum celebrari non poſſet.

Poſtquam locuti ſumus de ſtudiis, quæ in S. Victoris Domo in uſu fuere, aliquid etiam dicendum eſt de iis, quæ apud Fratres Minores ſemper exculta ſunt. Mirum eſt profecto, quod Dom. Abbas, qui hos
pag. 135. & 136. Fratres non ſecus ac alios Regulares, *quibus Eccleſia in functionibus Eccleſiaſticis uti conſuevit*, ab iis qui verè atque ex inſtituto ſunt Monachi, alicubi ſecernit, & propterea eorum ſcientiam approbat; alibi tamen
pag. 80. acerrime horum Fratrum ſtudia perſtrinxerit, aperte pronuncians, *noluiſſe S. Franciſcum ut ſtuderent, & vetuiſſe illis, ne quem librum haberent; quippe qui verebatur ne illis aliquando cupido inceſſeret ſuggeſtum conſcendendi*. Et poſt multa, ad oſtendendum *quid eximii ſanctitate viri de ſtudiis ac doctrina ſenſerint Monachorum, qui ad illa nequaquam ſunt deſtinati*; hiſtoriam prolixe narrat Fr. Joannis de Eſtitia Provinciæ Bononiæ Provincialis, qui in hujus Civitatis Conventu, „ inſcio nec permittente Sancto Franciſco, ſtudium erexerat, quod mox Sanctus Franciſcus funditus abſtulit, diris tandem devovens hunc Provincialem, qui ſublatum ſtudium redintegrare auſus fuerat. Cui ſubjungit aliam narrationem de quodam Agnello ejuſdem Ordinis in Anglia Provinciali, „ qui cum in Conventu Oxonienſi ſcholas erexiſſet, Fratreſque an „ Deus eſſet diſputantes audiſſet, ſcholas illico clauſit, & interdixit, „ quo talium Diſputationum curſus interverteretur.

Quis non putet, audiens iſta citari, ac tam in ſpeciem luculentas narrationes adduci, luce clarius eſſe, quod S. Franciſcus ſtudia, imo & Prædicationem Fratribus ſuis interdixerit, primique ejus Ordinis Superiores hac ſuper re Inſtitutoris ſpiritum ſecuti ſint. Nihilominus tamen in ejus Regula caput integrum legitur de Prædicatoribus, quibus monita quædam ſuggerit, quo ſuo muneri ut par eſt ſatisfaciant. Præterea conſtat, S. Antonium Patavinum Theologiam Fratres ex illius præſcripto docuiſſe, & S. Bonaventuram idem munus obiiſſe Pariſiis paulo poſtquam è vivis exceſſerat Sanctus Patriarcha, quo adhuc vivente Alexander Halenſis in eadem civitate docuerat. Hæc quæ adeo aperte ſibi invicem repugnant, quomodo cohærere poſſint, facile oſtendemus.

Primum objectionis caput innuit textum Regulæ S. Franciſci, quæ artic. 10. hæc habet: *Et non curent neſcientes literas, literas diſcere:* haud enim puto, Scriptorem, qui a D. Abbate in Reſponſione citatur, alio digitum intendiſſe quam ad hæc Regulæ verba. Eadem olim S. Bonaventuræ tempore occaſionem neſcio cui dederant propugnandi, Fratres Minores, qui Maſtigerii lauream adipiſcebantur, a ſuamet ipſorum Regula deſciſcere, qua cautum eſt ne ſtudeant. Cui reſpondens S. Bonaven-

naventura, intelligendam eſſe ait Regulam de Fratribus Laicis, qui antequam Religioni nomen darent, literas haudquaquam didicerant; minime vero de Clericis, de illis ſcilicet qui antea ſtuduerant. *Dico ego quod Regula non vetat ſtudium literatis, ſed illiteratis & laicis*. Atque ut oſtendat hunc eſſe Regulæ ſenſum: addit S. Franciſcum lectione mirifice delectatum fuiſſe, quamquam in ſeculo vix legere didiciſſet; ac magni feciſſe Religioſos doctrina & eruditione præſtantes, prout morti proximus ſignificavit admonens Fratres, ut ſingulari obſequio colerent *Doctores Sacræ Scripturæ*, ceu quædam organa, quibus Deus ad annunciandum illis verbum vitæ utebatur. Videnda quæ affert S. Bonaventura in vita hujus Patris Seraphici, qui Fratrum ſtudia probavit, modo ſalva orationis exercitatione ſtuderent.

Bonav. de trib. quæſt.

Vit. S. Fr. c. 11. al. 12.

Quod ad hiſtoriam pertinet F. Joannis de Eſtitia; Wadingi Annales referunt, S. Franciſcum aboleviſſe Collegium Bononienſe tribus ex cauſis, 1. quod Frater Petrus Joannes de Stiachia (quo modo ibi nuncupatur) inſcio neque probante S. Franciſco hoc Collegium fundaverat. 2. quod nimia in ædificiis magnificentia ſplendeſceret. 3. quod fundator multa conſtituerat quæ viros doctos potius quam pios reddere poſſent. Sed aperta demum inobedientia ad ejus facinus in cumulum improbitatis acceſſit. Nihil iſta contra ſtudiorum rationem faciunt.

Wad. an. 1220. n. 16.

Narratio de Agnello nihilo magis favet D. Abbatis ſententiæ. Neque enim ille Oxonienſe gymnaſium penitus ſuſtulit; ſed Theologici ſtudii loco, Jus Canonicum ibi deinceps tradi voluit, præferens id ſtudii genus acerrimis & metaphyſicis ſcholæ quæſtionibus. Arbitror iſta eſſe ſatis, ut perſpicuum fiat, S. Franciſcum ſtudia ſuis Fratribus nunquam interdixiſſe, ſed & probaſſe potius; cum in ejus Ordine æque ac in illo S. Dominici revera ſemper viguerint.

De Regularum ſilentio ideo fuſius diſſerui, quod in illo Dom. Abbas graviſſimum collocet argumentum, totaque ejus Reſponſio potiſſimum hac ratione nitatur. Sed ego mihi videor oſtendiſſe, Regulas antiquas pro ſtudiis ſatis aperte loqui, Benedictinam præſertim illis patrocinari; & quamvis in ea nulla fieret ſtudiorum mentio, nihil ex hoc ſilentio confici poſſe adverſus perpetuam Ordinis traditionem, & majorum exempla: quomodo intelleximus ſilentium Conſtitutionum S. Victoris non obfuiſſe quominus ſtudia in ea Abbatia uſque ab initio exculta fuerint. Hactenus de Regulis, quæ prima eſſe poſſunt dirimendæ hujus controverſiæ ratio, & primum principium. Ad alterum diſcutiendum veniamus, quod in Traditione poſitum eſt.

ARTICULUS IX.

Secundum Principium. Traditio ſtudiorum numquam in Cœnobiis intermiſſa. Magnorum virorum ac Sanctorum exempla. Quid adverſus hanc Traditionem atque hæc exempla Reſponſionis Auctor excipiat.

CUjuslibet Ordinis Traditio quaſi quædam Regulæ explicatio ſemper habita fuit, atque in iis Diſciplinæ capitibus, de quibus nihil cautum in Regula, ipſius Regulæ vices paſſim ſupplevit; eo fere modo quo ſe habet traditio Eccleſiæ ad Scripturam. Eadem ceteris paribus de Traditionibus Ordinis S. Benedicti ratio ineunda eſt, quæ de Apoſtolicis. „ Illa quæ non a ſingulis Epiſcopis (ait S. Auguſtinus) „ definita, ſed toto orbe terrarum ſervata & tradita cuſtodimus, dantur intelligi ab ipſis Apoſtolis commendata & ſtatuta retineri. Similiter quæ in Ordine S. Benedicti ſervantur non a ſingulis quidem Abbatibus definita aut introducta, ſed ſibi a majoribus fideliter tradita & ubique ſervata, dantur intelligi a S. Benedicto commendata & ſtatuta retineri.

Fac eſſe exploratum, quod in priſcis Regulis nulla ſtudiorum fiat mentio; ſi ſtudia propterea reiicimus, ſtudiorumque in Ordine Monaſtico ac ſpeciatim S. Benedicti, traditionem nihili facimus: erunt quoque improbanda ac reiicienda Eccleſiaſticorum & omnium fidelium ſtudia, quandoquidem nulla horum ſtudiorum mentio fit in Sacra Scriptura, quæ utrorumque communis Regula eſt. Nam ſi Tertulliano & aliis compluribus fides eſſet, humaniorum literarum & Philoſophiæ ſtudium a Chriſtianis ſcholis penitus ablegandum foret. Non de alia enim Philoſophia locutum putat D. Paulum, ubi Coloſſenſes admonet ne per philoſophiam & inanem fallaciam decipiantur. „ Quid ergo Athenis (ait) & Hieroſolymis? quid Academiæ & Eccleſiæ? Viderint qui „ Stoicum & Platonicum & Dialecticum Chriſtianiſmum protulerunt. „ Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Jeſum, nec inquiſitione „ poſt Evangelium. Cum credimus, nihil deſideramus ultra credere. „ Qui apprehendit illud quod Chriſtus inſtituit, quod quæri oportet invenit, & finem quærendi fecit. Quod ſi aliud putamus requirendum, „ quæramus in noſtro, hoc eſt in Eccleſia, & a noſtris de noſtro, idque dumtaxat quod ſalva regula fidei poteſt in quæſtionem devenire.

Tertul. de Praeſc. c. 8. & ſeqq.

Quid fortius ac melius contra Monachorum ſtudia dici poſſet. Nihil adeo apertum & acre inveniri puto in tota D. Abbatis Reſponſione, ubi adverſum eadem ſtudia tam multa congeſſit. Alia plura Tertulliani loca facile eſſet afferre nihilo minus valide ac diſerte ſtudiis Chriſtianorum adverſantia Ethnicæ Philoſophiæ atque eruditionis.

S. Seneca epiſt. 88.

Verum enim vero ab ipſis etiam Ethnicis ſcriptoribus contra iſtiuſmodi ſtudia ſæpe reclamatum eſt. Suave eſt diſputantem audire Senecam adverſus

verſus Humaniores literas, pulcherimaque eruditione utentem ad convellenda liberalia ſtudia. „ *Quid quod iſta* (inquit) *liberalium artium conſectatio moleſtos, verboſos, intempeſtivos, ſibi placentes facit, & ideo non diſcentes neceſſaria quia ſupervacua didicerunt. Magno impendio temporum, magna alienarum aurium moleſtia laudatio hæc conſtat: O hominem literatum! Simus hoc titulo ruſticiore contenti: O virum bonum!* At poſt adeo incitatam declamationem demum fatetur, liberalia ſtudia animum expedire, atque *ad accipiendam virtutem præparare;* Et tota denique hæc Epiſtola eo redit, ut damna & incommoda patefaciat, quibus obnoxii fiunt qui liberalium artium ſtudio unicè tenentur.

Haud aliter fere contigit in hac noſtra concertatioue. Dom. Abbas quidquid habet ingenii, fervoris & eloquentiæ, adhibuit ut magna abſurda atque incommoda quæ in ſtudiis, ſive ut rectius dicamus in pravo ſtudiorum uſu, occurrere poſſunt, oſtenderet. Nihil ibi niſi diſſipatum aut confuſum, omnia ad diſciplinæ & pietatis ruinam vergere, ubi vigent ſtudia, contendit. Ad ultimum tamen ſuomet exemplo palam facit, ſtudium quandoque neceſſarium eſſe; ſine cujus ope non modo adeo egregia opera elucubrare, ſed etiam adverſus ſtudiorum rationem ſcribere non potuiſſet. Nam quo pacto tot antiquorum Patrum geſta, tot præteritorum ſeculorum eventus, in ſuo libro coacervaſſet, niſi ad id Hiſtoriam Eccleſiaſticam perlegiſſet? Quomodo pulcherrima Titi Livii loca excripſiſſet, niſi ejus Decadas reviſiſſet, aut ſaltem in memoriam revocaſſet quæ jamdiu conatur obliviſci? Ecquid tandem in medium attuliſſet ex Capitularibus Dom. Baluzii, ex notis Dom. Lucæ Acherii, niſi eadem prius conſuluiſſet? Quid ergo cauſæ erat, cur ſtudio adeo vehementer reclamaret?

Dom. Abbati & Senecæ idem mihi videtur uſuveniſſe, ac diviti cuipiam viro de divitiarum vanitate, periculis, atque contemptu, felici quadam elocutione dicenti, qui nihilo minus divitiis interim fruitur, eaſque in uſus ſuos nunquam deſinit adhibere. Profecto credibile non eſt, hujus hominis oratione pauperibus perſuaſum iri, nihil magni opes eſſe; ſed putamus dicturos, pronum eſſe ac facile in laudes egeſtatis erumpere, atque opum vanitatem dicendo amplificare, quoties vitæ commoda pariter ſuppetunt, & nulla re egetur. Ego quidem pro certo habeo, permultos religioſos viros, qui ſtudii fructu carent, quàmque illo egeant ſentiunt, prorſus ſic affici legendo D. Abbatis Reſponſionem. Quod ad nos attinet, Traditioni noſtri Ordinis conſtanter adhærentes, Monaſtico habitu quo amicti ſumus indigni nobis videremur, niſi depoſitum nobis a majoribus commendatum ſollicite ſervare ſtuderemus.

Redeo iterum ad ea quæ antea dicebam. Quamquam Regulæ Monaſticæ nullam ſtudiorum mentionem facerent, ſola traditio omnium temporum ac locorum ſatis de ſe ſtudiorum cauſam tueretur. Iſtiuſmodi traditionem in meo Tractatu luculenter aſſerui; &, niſi fallor, de ejus veritate & conſtantia tam apud Orientales, quam apud Occidentales nullatenus ambigi poſſe, liquido demonſtravi. Novi equidem, ſumma

ma dexteritate uſum fuiſſe Dom. Abbatem, ut ad exempla quæ attuli reſponderet. Videndum tamen, num momenta rationum quibus eorum vim eludere conatus eſt, ſint æque ſolida ac in ſpeciem ingenioſa; & num ipſemet aliquando veritati Traditionis ſubſcribere cogatur. Etenim ſi illam reiicit, & ſilentio Regularum indivulsè adhæret; ſequitur proculdubio, ut dicebam modo, a ſtudio prohibendos eſſe ipſos Eccleſiaſticos; brevi, omnes Chriſti fideles; eò quod in Evangelio, communi omnium Regula, altum de ſtudiis ſilentium.

Neque excipere juvat, Concilia approbaſſe, imo & ſanxiſſe Eccleſiaſticorum ſtudia; nam eadem Concilia, atque Pontifices etiam de ſtudiis noſtris Ordinationes edidere; eæ vero quæ ad Clericos referuntur, ad nos quoque pertinent: quippe Monachi Clero & Sacerdotio inſigniti, eorum jura ſibi vindicaverunt, ut poſtea patebit. Omnia in utriſque fere paria ſunt; Traditio vero æquè pro nobis ac pro illis concludit.

Huic principio nequaquam reluctari videtur Dom. Abbas, ubi ait: pag.181. *Si quod ſuppetit indicium, unde quid ſuper hac re ſentiendum ſit certo agnoſcamus; id erit textus priſcarum Regularum, & memoria rerum geſtarum ab iis prodita qui de Monachiſmo Orientis ſcripſerunt, memineruntque exercitationum atque conſuetudinum, in quibus reſidebat veterum Monachorum inſtitutum.* Nonne qui iſta dicit, fatetur, *certo* agnoſci quod ſtudia Monachis Orientis fuerint permiſſa, ſi conſtet ex hiſtoriis Monachos illis operam dediſſe? Et ideo ſi agnoſcere *certo* velimus num eadem ſtudia in Cœnobiis Occidentis jure ſint conſtituta, opus eſt ut, quid noſtri Scriptores de priſco Cœnobiorum uſu memoriæ prodiderint, inquiramus. At paſſim reperiemus, de nulla re crebrius eos loqui, quam de noſtri Ordinis Academiis, & de inſignibus viris, qui doctrina præſtantes in Monaſteriis evaſerunt. Neminem latere poteſt, quid ex hac ratiocinatione ſequatur.

Neque reſponderi poſſe arbitror, ex hiſtoriis dumtaxat Orientis ferendum eſſe hac de re judicium; id enim Monachis Occidentis nimis injurioſum foret. Et cum hiſtoria Græcorum non minus quam illæ Romanorum pro ſtudiis militent; quid cauſæ eſt cur ab Oriente leges accipere debeamus? perinde ac ſi Monachi Occidentales nihil imitatione noſtra dignum præſeferrent. Nonne utrobique propriæ leges & conſuetudines viguerunt? Si ſecus eſſet, uſus carnium ægritudine detentis interdici deberet intra Occidentis Monaſteria, prout apud Orientales uſurpatum.

Verum probabilius autumamus, Regulas & Hiſtorias a Dom. Abbate in unum colligari, ut utraque idem principium conſtituant, ex quo de ſtudiis Monaſticis ſententiam ferre quis poſſit. Alibi enim ſuam circa Regularum ſilentium mentem adeo luculenter aperuit, ut de ejus opinione ambigendi locus non ſit. Age itaque videamus, quid ad exempla, unde traditio ſtudiis favens conſurgit, ipſe reſpondeat.

Omnia ad hæc tria capita referuntur. 1. Vel facta quæ memoravimus, præter communem conſuetudinem accidiſſe, & ſingularia extitiſſe, ſi laudem merentur. 2. Vel Regulæ tranſgreſſiones eſſe, ſi improbari poſſunt.

ſunt. 3. Vel totum hoc ſtudium intra Sacram Scripturam fuiſſe concluſum. Hæc tria porro capita ſingillatim expendamus.

I.

IN primis fatetur, aliquos *omni ætate Monachos extitiſſe, doctrinæ laude conſpicuos: ſed id præter morem & fortuitò pene eveniſſe; a particularibus vero nihil ſequi*, juxta axioma logicum. Nihil aliud iſta mihi ſignificare videntur, niſi quod non omnes ſolitarii doctrina excelluerint, neque omnes ad multam ſibi doctrinam comparandam aliquo Regulæ pręcepto obſtringerentur. Si hæc ille ſignificare velit, invicem convenimus, ac fruſtra inter nos digladiamur. pag. 26.

Quid juvat exempla afferre, alibi inquit; *ſunt videlicet illa peculiares eventus, qui nihil aliud conficiunt, niſi quod aliqui extiterint Monachi hiſce ſcientiis dediti. Sed niſi oſtendatur, antiquas Regulas hæc ſtudia injunxiſſe, vel a priſcis Inſtitutionibus præſcripta fuiſſe, cetera fruſtra obiicientur, quæ jam refutata ſunt.*

Facta omnia particularia eſſe quis neſcit? ſed nihilo tamen minus ſtudiorum conſuetudinem probant. Si hunc ratiocinandi modum admitteremus, idem de Eccleſiæ traditione dicendum foret; nimirum particularia eſſe facta quæ ad eam probandam afferuntur; ac propterea nihil novi, & quod refelli non poſſit, adduci, niſi demonſtretur in Paginæ divinæ libris ea de re ſcriptum eſſe.

Cum triginta vel quadraginta numero fuerint Monachi, quos uſitatas vias prætergreſſos fuiſſe cognovimus, hoc eſt ſtudio operam dediſſe: *reliqui in hominum ignoratione & clauſtrorum ſilentio verſati ad quadraginta millia, quid narro? ad decem centena millia & amplius fuerunt.* pag.

Non facile id nobis perſuaſerit Dom. Abbas, Monachorum doctrina præſtantium adeo exiguum numerum fuiſſe. De ſanctis Monachis in univerſum ait S. Auguſtinus: *Hic vero patres non ſolum ſanctiſſimi moribus, ſed etiam divina doctrina excellentiſſimi.* Non de quibuſdam Tabennæ cœnobitis ſed generatim de omnibus loquuti ſunt Philoſophi illi qui ad S. Theodorum S. Pachomii diſcipulum olim acceſſerant: *Ea de vobis fama percrebuit, quod Monachi ſitis, qui multa & ſubtiliter intelligere, & ſapienter profari poſſitis.* Erant Tabennæ Doctores adoleſcentibus doctrina imbuendis deſtinati; inter quos Theodorus Alexandrinus & Auſonius hoc munus obierunt tempore Sancti Abbatis Theodori, qui fuerat S. Pachomii diſcipulus. S. Iſidorus Damiatenſis in quadam Epiſtola conqueritur, quod ſua ætate, quinto ſcilicet ſeculo, Magiſtrorum numerus Tabennæ nimium excreverat. De priſcis denique Nitriæ Solitariis hæc memoriæ prodidit Rufinus: *Scripturarum vero divinarum meditationes & intellectus, atque ſcientiæ divinæ nuſquam tanta vidimus exercitia: ut ſingulos pene eorum oratores credas eſſe in divina ſapientia.* Vocabulum, *meditationes* hic loci atque alias ſæpiſſime, innuit acerrimum quoddam ſtudium; & vox, *Exercitia*, ſenſum verborum Rufini ſatis determinat. Si huic credimus,

August. de Mor. Eccl. c. 31.

Bolland. 12. Maii p. 349.

Iſid. l. 1. ep. 93.

Ruf. de vit. Pat.

dimus, Scholæ Alexandrinæ in quibus ipſe ſtuduerat, Scholis Nitrienſium Anachoretarum inferiores erant: *Scientiæ divinæ nuſquam tanta vidimus exercitia:* hæc vero ſcientia adeo erat perfecta, ut ſingulos pene oratores efficeret. In hac Nitriæ ſolitudine multa millia Sanctorum Anachoretarum vivebant, referente Palladio. Majus hæc quiddam ſunt, quam ſingularia facta; certiſſimam vero continent auctoritatem, ut credamus, ſtudiorum uſum apud illos Sanctos Anachoretas omnino communem fuiſſe.

Pallad. hiſt. laus. c. 7. & ſeq.

Idem prorſus dicendum de Occidentalis Eccleſiæ Cœnobiis. *Bedæ exemplum*, ait D. Abbas, *ſingulare eſt*. Fateor id quidem: verum cum iiſdem ſcientiis, quas ipſe in Cœnobia jam inde a puero verſatus didicerat, ſuos fratres erudierit, liquet jam non de facto quopiam ſingulari, ſed de communi & certa Monaſterii conſuetudine rem eſſe.

pag. 158.

Haud aliter de S. Bonifacio Germanorum Apoſtolo dixerimus, qui cum religioſo inſtituto quinquennis mancipatus fuiſſet, Grammaticam, Poeticam, Hiſtoriam, ac S. Scripturæ ſcientiam in clauſtro addidicit, teſte S. Wilibaldo, a quo ejus vitam conſcriptam habemus. S. Paſchaſius Radbertus, Rhabanus Maurus, B. Lanfrancus, S. Anſelmus ſcientias meditati ſunt, & docuerunt. Quædam iſtæ ſunt quaſi publicæ voces, quæ ſecundum ſtudia decernunt, & ſua illis jura palam aſſerunt, minime vero ſingularia facta quæ nihil probent.

Sed fuerit ſane quantumlibet exiguus doctorum Monachorum numerus, ſpectato illorum numero, qui in obſcuritate & ignoratione hominum vixerunt. Nunquid ſequitur, intra Cœnobia ſtudiorum praxim minime viguiſſe? Hodie in Monaſteriis ſtudia vigere certum eſt; non omnes tamen Religioſi doctrina excellunt, quod apto ad ſcientias ingenio non omnes polleant, nec pariter omnes ad ſtudia vocentur. Sic ex Secularibus, imo ex Clericis pauci docti, plerique indocti, licet utrique conditioni ſtudia conveniant.

Ex eo quod Sancti quidam ſtuduerint (ait D. Abbas) & ad ſcientias animum applicuerint, non efficitur, ut imitari eos debeamus, ac ſtudio, ut illi, operam dare: Viros illos Deus quodammodo ſegregavit, & a communibus exemit regulis, ſingularibus officiis atque functionibus admovens, ut populis documento & exemplo, Eccleſiæ utilitati atque incremento eſſent.

Illud ſaltem efficitur, ut illos imitari, & ſimiliter ut illi ſtudere poſſimus, quandocumque idonei ſtudio ſumus, aut appoſite id fieri putant Superiores, ad præbendum populis virtutis exemplum, & ad Eccleſiæ utilitatem. Fruſtra nobis exempla Sanctorum, atque majorum proponuntur, ſi illos imitari non licet. Novi equidem, multa eſſe in Sanctis, quæ imitanda non ſunt. Jure merito temeritatis argueremur, ſi eorum prodigia æmulari, aut eorum aggredi incæpta velimus. Nimium vero audax nunquam fuerit, quiſquis eorum humanas actiones ſtudeat imitari, præſertim cum id Eccleſia non vetet, ſed potius jubeat ut illos quoad hæc imitemur.

Ait D. Abbas, *ægrè inter nos convenire poſſe, donec Monachum quæramus, qui in exemplum proponatur. Sed de quibuſdam non niſi unam utriuſque noſtrum*

ſtrum poſſe eſſe ſententiam; veluti de SS. Antonio, Pachomio, Hilarione, Baſilio in Oriente; in Occidente vero de SS. Benedicto, Bernardo, Romualdo, Stephano Grandimontenſi, Columbano, &c.

Poterat hic meminiſſe etiam Bedæ venerabilis, S. Benedicti Anianenſis, S. Paſchaſii Radberti, S. Anſelmi; neque erat cur illos in unum confuſos reticeret. Utcumque vero ſeſe res habeat, ne quid dicam de S. Pachomio & de S. Antonio, de quibus alias: nobis certum eſt exemplis adhærere Sanctorum Baſilii, Benedicti, Columbani, Romualdi, & Bernardi, quos novimus abſque ulla dubitatione ſtudio nequaquam fuiſſe contrarios vel exemplo vel auctoritate. Epiſtolæ dogmaticæ quæ ſuperſunt S. Columbani, ejus contra Arianos Tractatus, ejus Prædicationes in Galliis & apud Germanos, Bibliothecæ quas Luxovii & Bobii erexit; ſane oſtendunt quam ſedulam operam ſtudiis impenderit; neque ipſe tantummodo, ſed & ejus diſcipuli, quorum multi ad Epiſcopatum evecti fuere. S. Romualdus ſcripſit Commentarium in Pſalmos, cujus Autographum in Magno Cœnobio Camalduli ſervatur. Quid ad hæc reſpondeat D. Abbas, audiamus.

Falſo colligitur, aliquid ſanctè & legitimè uſurpari, ex eo quod in quibuſdam Sodalitatibus ubi vixerunt Sancti, nunc ſit aut olim fuerit uſurpatum: Novimus enim Sanctos non ſibi ſumpſiſſe ut omnes pravas conſuetudines extirparent: ſive quod non crediderint rem ex ſententia ſucceſſuram; ſive quod Deus propter cauſas quæ nos latent permiſerit ut abuſus diutius perſeverarent. pag. 152.

Supponit itaque D. Abbas, ſtudium non modo non eſſe ſanctum & regulare exercitium, ſed & quemdam eſſe *abuſum*. At nihilominus ſolitarii complures, eximii viri, Sanctitatis viam in hoc exercitio ſibi aperuerunt; tantùmque abeſt ut cupido illis inceſſeret hunc falsò dictum *abuſum* evellendi, ut potius illum induxerint, vel inſtauraverint in Monaſteriis, ubi deſierat. Teſtis eſt locuples S. Benedictus Anianenſis, magnus ille Ordinis S. Benedicti in Galliis & in Germania Reparator. Ipſamet Eccleſia peculiaria pro Monachorum ſtudio decreta identidem ſanxit. Ergo dicendum eſſet, decreta Eccleſiæ compuliſſe Monachos ad rei non ſanctæ, imo ad pravæ conſuetudinis exercitium; tantumque abſuiſſe ut illud Eccleſia eliminaret, ut potius tum maxime cum deſierat revocaverit. Hujuſmodi enim Eccleſiaſtica decreta ea tempeſtate prodiere, qua ignorantia in clauſtra irrepſerat. Ita falſa hæc ſunt quæ conſequuntur, ut illa, ex quibus nata ſunt, vera eſſe non poſſint.

Tota denique D. Abbatis ratiocinatio huc redit, *quod ſine fraudis periculo dici poſſit, extraordinario quodam conſilio factum eſſe, ut Monachi aliquando ſcientia commendabiles redderentur; ceterum in hac re illos a trita & communi via receſſiſſe, aut ſpiritu Dei actos, aut proprio quem ſequi voluerunt, aut demum ex Superiorum præſcripto.* pag. 174. pag. 42.

Verum qui fieri poteſt, ut divinus ille ſpiritus auctoritate ſua firmet abuſum? *Permittere* quidem *poteſt propter cauſas nobis inexploratas ut abuſus perſeveret*, prout recte ait D. Abbas: ſed quod motione ſui ſpiritus aliquem ad illum impellat, penitus abſurda cogitatio eſt, & a religioſi viri animo, ut videtur, aliena.

Excipiet fortaſſe, ſtudium non eſſe abuſum niſi ſi in commune Monachorum exercitium & generalem obligationem tranſeat. Ad quod reſpondemus, ſtudium in exercitium commune tranſire dupliciter. Primo quando inſtituendæ juventuti inſervit; quo uſu ab omnibus priſcis Regulis probatur. Deinde quoties ad lectiones refertur ab iiſdem Regulis injunctas, quæ lectiones ſtudii loco Monachis eſſe poſſunt. Alias Monachi operam ſuam ad ſtudia non conferunt, niſi ex peculiari ſupernæ providentiæ nutu, qui illis manifeſtatur Superiorum judicio & voluntate. Non eſt miraculis opus ad hanc vocationem. Quandocumque Superiores religioſum quempiam egregio a natura inſtructum ingenio perſpicientes, haud nociturum ejus ſaluti, ſed ex re futurum Eccleſiæ aut Ordinis, imo & ſtatus politici judicaverint, ſi illum ad certum aliquod ſtudium admoveant; Providentiæ nutu fieri putamus ut in hoc exercitio deinceps verſetur. Patres Ciſtertii præter iſtud nulla alia requirebant indicia vocationis ad ſtudium cujuſpiam ex ſuis Cœnobitis.

Haud ſcio vero an iſtiuſmodi vocatio abunde eſſe videatur D. Abbati pro privatis quorumdam Monachorum Studiis. Contrarium affirmare non audeo; ſed aliqua ſubeſt ambigendi cauſa. In quodam etenim loco ſuæ Reſponſionis, ubi agit de oratione, quam ſtudendo fieri debere affirmaveram, juxta S. Thomæ Aquinatis exemplum, hæc habet: *Quam inconcinnè iſta comparantur! Quæ ſimilitudo Monachi proprio nutu ſtudentis, aut ex aliorum levi judicio & voluntate, qui plerumque de divino incerti conſilio illum a ſui inſtituti officiis divellunt; cum hoc Eccleſiæ Doctore ad docendum, graviſſimaſque Religionis veritates toti Eccleſiæ explicandas divinitus miſſo! Quidni ejus oratio a Deo audiretur, cujus anima divinæ voluntati ſubjecta, inde non receſſerat, ubi fuerat a Deo conſtituta. Neque enim ſpecies ſeu imagines, quas adeo variarum rerum commentatio in ejus animo ſervabat, impedire poterant, quominus ejus oratio audiretur. Sed non ita agit Deus erga illos, qui a ſemetipſis vocantur, aut vocatione, quæ Dei non eſt, aguntur.* pag. 424

Quo magis hæc verba perpendo, minus cohibere me poſſum, quominus credam, eum vocationis *quæ Dei non eſt* nomine haud aliam intelligere, quam quæ a Superioribus venit, qui *de divino conſilio plerumque incerti*, *Religioſum* quem ſtudiis admovent, *a proprii inſtituti officiis divellunt*. Aliter ejus reſponſio ad noſtram ſententiam infirmandam prorſus eſſet inepta: ego enim pluribus locis dixeram, non poſſe Monachum privatim ad certa ſtudia incumbere niſi ex Superioris juſſu; & intra Cœnobia nullius vocationis rationem haberi, niſi ejus quæ ab Eccleſia aut a Superioribus provenit, poſt illam quæ ex Deo eſt, declaraturque aut conceptis mandati verbis, aut quodam miraculo. Porro Eccleſia cum aliquem ad ſtudia vocat, plerumque perſpectum habet, idoneum illum eſſe, & profectus capacem. Ideo neceſſe eſt ut aliqua ingenii ſui ſpecimina prius ediderit, quæ ejus doctrinam ac ſcientiam publicè teſtificentur.

Quod ſi D. Abbatis verba ad Superiores referuntur, dicendum eſt jam, nullam eſſe certam in Eccleſia & Religione vocationem. Vocationes

tiones ordinariæ ad aliquem ſtatum, ſive ad aliquod munus in hoc ſtatu obeundum, fere vel iis dotibus & facultatibus a Deo in homines collatis quæ ad illos ſtatus aut ad ea munera diſponunt; vel legitimorum Superiorum voluntate, vel utroque ſimul in dicantur. Nam facultates ingenii præſertim in iis qui ſeculo valedixerunt, & quorum aptitudo in manu eſſe debet ſuorum Superiorum, non ſunt niſi quædam, ut ita dicam, inadæquata vocatio. At qua ratione compertum mihi erit, a Superiore, qui me alicui muneri deſtinat, *exploratam fuiſſe Dei voluntatem, certumque eſſe illum de divino conſilio?* Unde mihi innoteſcet, non egiſſe illum *ea vocatione quæ Dei non eſt?* Nunquid ad hanc rem revelatione opus erit? Fortaſſe erit expectanda Eccleſiæ vocatio. Quid vero Eccleſiæ nomine intelligitur? Concilium? Ergo oporteret innumeros ob id tantummodo conventus agere. Supereſt ut ad Epiſcopos ſingularium Eccleſiarum totum hoc negotium redeat. Sed quomodo ſcire poterimus (pro debita in illos reverentia vix id dicere autim) ſatis exploratam ab illis fuiſſe divinam voluntatem, quo certi ſimus, utrum a Deo vocemur? Hoc quid aliud eſt quam homines irretire inexplicabilibus difficultatum laqueis?

Ne ipſa quidem D. Thomæ miſſio alias habere potuit, ut mihi videtur, ſenſibiles notas, quam juſſa Superiorum, & miras proprii ingenii facultates; quæ tamen parum ſeſe exerebant cum ad ſtudia cæpit incumbere. Ejus quoque egregia ſcripta ipſius miſſionem non niſi poſt factum probarunt. Sed de ſua ille vocatione certus eſſe non potuiſſet, niſi ingenii aptitudine, & Superiorum mandatis confirmatus fuiſſet.

Monachum autem, quem Superiorum voluntas ſtudio deſtinarit, haud reor in culpa eſſe, ſi Angelicum Doctorem imitari ſtudeat. Equidem ſcio, preces impiorum a Deo reiici; ſed hactenus audivi numquam, Monachum ex Superioris præſcripto aliquid agentem, licet id fuerit ab ejus inſtituto alienum, indignum propterea eſſe, ut ejus preces a Deo exaudiantur. Religioſo Monaſterii Procuratori licebit extra Clauſtra exire, temporale quidpiam Domus ſuæ negotium curaturo; nihilve impediet, quominus huic muneri vel cum merito ſatisfaciat, ut ſentit D. Abbas: Homini vero egregiis facultatibus ingenii a natura prædito crimini dabitur, quod ſtudio operam impendat ex juſſu ſui Superioris, incertus videlicet an Superior divinam exploraverit voluntatem, & ea motione egerit quæ ex Deo eſt! Quantumlibet ante ſtudium oret, ſtudioque orationem copulet, omnia in vacuum & ſine ullo merito perſequetur! Iſtud enimvero mihi eſt imperceptibile.

Quod ſi denique Eccleſiæ vocatio abſolute requiratur, ipſa quoque præſto eſt in Conciliorum & Pontificum decretis, Superiores compellentibus, ut ſuos Religioſos ſtudio occupent. Quis neget hanc eſſe generalem quamdam vocationem, quæ determinatione Superiorum Monachos privatim ſtudio deſtinantium particularis efficitur? Reliqua quæ huc pertinent, ad alium locum reſervemus, ubi de eadem re differendi occaſio dabitur.

I I.

ALtera D. Abbatis exceptio, exemplis, quæ in ſtudiorum patrocinium attuli, oppoſita, in eo ſita eſt, quod illa exempla ſint contra Regulas; a viis ordinariis devia; Sanctorum Inſtitutorum ſpiritui contraria; quod eodem redit. *Enimvero negari non poteſt* (ait ille alicubi) *extitiſſe Monachos qui ſtudio operam dederunt, & ſummam conſecuti ſunt eruditionem. Animadvertendum tamen eſt, illos contra priſcarum Regularum præſcripta egiſſe.*

Pag. 215.

Aliquid præter Regulas egiſſe illos facile conceſſero, ſed non contra Regulas, quæ Monachis numquam interdixere, ne dotes ingenii ex juſſu aut permiſſu Abbatum ſuorum in ſtudiis exerceant. Sic viſum eſt D. Thomæ, multis Pontificibus, atque Conciliis, prout artic. 6. demonſtravimus; ea videlicet, quæ nulla lege aut Regula Religioſis vetantur, iiſdem cenſeri permiſſa. Quod ſi aliqua peculiari Regula forte cautum fuerit ne Monachi ſtudio vacent, obſtringet illa quidem eamdem profeſsos, minime vero illos qui Regulam amplexi ſunt S. Benedicti; qui tantum abeſt ut profundam eruditionem interdixerit, ut potius ad eam ſuos ſectatores adducere velle videatur, hortans illos ut ad faſtigium doctrinæ & virtutis nitantur aſsurgere, juxta ipſiuſmet D. Abbatis interpretationem, *ad ipſa doctrinæ virtutumque culmina*. Ita fit, ut qui ex legitimo præſcripto ad hanc perfectionem contendunt, nequaquam *tranſgreſſi ſint vias, quas Inſtitutores monſtravere, neque alias calcaverint iiſdem ignotas*.

Regula S. Bened.

I I I.

TErtia exceptio, qua ſe D. Abbas tuetur, quoties negare non poteſt, ſtudium in antiquis & recte ordinatis ſodalitatibus communiter exculta fuiſse; id agit ut putemus, hoc ſtudium in ſola Sanctæ Scripturæ meditatione & lectione ſtetiſse. Huc ſæpe redeunt plures ejus Reſponſionis loci, in quibus mihi exprobrat: quod cum ultro confeſsus fuerim, *divinarum Scripturarum lectionem ſatis per ſe idoneam olim fuiſſe ad inſtituendos & informandos viros, muneribus & functionibus Eccleſiaſticis deſtinatos; atque in illarum peritia omnem eorumdem capacitatem fuiſſe tunc locatam; negem impræſentiarum illam ſufficere hominibus ad ſolitudinem factis.*

Ad hæc repono: 1. Studio Scripturarum multas alias cognitiones præire debere, ut ex eo convenientem fructum percipere aliquis poſſit, prout inferius oſtendam. 2. Singulis quidem Religioſis varias haſce notitias ad illud ſtudium minime eſse neceſsarias; ſed improbari non poſſe ut qui ad illas acquirendas idonei ſunt, ad hunc ſcopum ſua ſtudia dirigant. 3. Cum ſtudia Eccleſiaſticorum majorem hodie extenſionem nacta ſint, quam olim habuerint; injuria redargui quoſdam Monachos, qui

qui hoc ævo liberiorem ſtudiis curſum permittunt, juxta Eccleſiæ decreta, & ſuorum Ordinum Conſtitutiones, quæ aliquam priſci moris immutationem induxere. Qua de re in articulo proxime ſequenti.

ARTICULUS X.

Tertium Principium tuendis Monachorum Studiis inſerviens.

QUamvis exploratum certumque foret, neque Regulas, neque Ordinis Traditionem Studiis omnino favere; nihilominus ut ad ea incumbere licite poſſemus, ſatis idonea occurreret cauſa, Diſciplinæ mutatio. Studia quippe cum ſuapte natura mala non ſint, ut ſupra oſtendi, eorum apud Monachos uſus æque ac defectus ad diſciplinam dumtaxat pertinet, ſive Regulæ expreſſam de illis mentionem non fecerint, ſive etiam illa interdicant.

Monaſticæ Diſciplinæ nihil amplius juris & prærogativæ dandum eſt, quam Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quæ ſuas tulit mutationes ac viciſſitudines. Neque hic tantummodo loquor de quibuſdam capitibus, quæ ſolo uſu invaluerunt, ſed & de aliis Conciliorum auctoritate definitis. Satis eſſet in medium proferre Apoſtolorum præceptum, quod in Concilio Hieroſolymitano Fidelibus propoſuerunt abſtinendi a ſanguine & ſuffocato; qui uſus prope mille annos in Eccleſia tenuit, & ſola deſuetudine abrogatus fuit. Id genus ſunt Communio ſub utraque ſpecie, & Communio infantibus ſtatim poſt baptiſmum ſub vini ſpecie exhibita. Huc denique referendum decretum Eccleſiæ, quo cavebatur, ne quis ante trigeſimum ætatis annum Presbyter fieret; cui primo quidem uſu oppoſito, deinde vero novis Eccleſiæ Canonibus derogatum fuit, & Presbyterorum ordinatio ad quinque & viginti annorum ætatem fuit redacta.

Fac igitur ſtudia a primis Monaſtici Ordinis Inſtitutoribus non fuiſſe præſcripta; fac etiam ab eorum Regulis fuiſſe interdicta. Nunquid iſtud ſilentium aut iſta inhibitio majus habebunt pondus auctoritatis, quam Eccleſiæ decreta quoad res Diſciplinæ in Conciliis edita? Cur antiqui mores ipſa deſuetudine immutari non poterunt? Nonne alia plura Diſciplinæ Monaſticæ capita mutationem identidem ſubiere? Menſa Abbatis, juxta Regulam, ſeorſim collocari debet extra commune Refectorium: poſtea vero juſtis de cauſis ſtatutum ut in communitate eſſet. Olim non erat ſua cuique Monacho peculiaris cella, ſed commune juxta Regulam Dormitorium: ſingulis poſtea Monachis cella tributa eſt. Permittit Regula ut recipiantur in Monaſterium pueri, qui olim indeclinabiliter Monaſterio addicebantur, cum a parentibus oblati fuiſſent: quod poſtea interdictum. Similes Diſciplinæ mutationes recenſeri adhuc poſſent, quibus Regulæ uſu & præſcriptis multoties derogatum eſt.

Sed

Sed nihil æque confirmat hujuſce mutationis praxim, quam ritus qui in Jejuniorum obſervatione nunc ſervatur. Præcipit S. Benedictus ut Regularia Jejunia uſque ad Nonam protrahantur, quod ferme redit ad tres poſt meridiem horas; Jejunia vero Quadrageſimalia uſque ad veſperam. At nullibi fere hoc impræſentiarum ſervatur, ne in Trappæ quidem Cœnobio. Uſum noſtri temporis non improbo, ſed ab hoc uno exemplo mihi videtur colligi poſſe, magni momenti mutationes conſuetudine invaleſcere, etiam quoad res piæ & laudabilis obſervationis.

Quid igitur vetat, quominus idem circa ſtudiorum rationem uſuvenerit. Eorum praxim in noſtris Monaſteriis Eccleſia non modo permiſit, ſed & præſcripſit, ut probavimus in Tractatu de Studiis Monaſticis, atque hic mox confirmabimus. Ergone crimen erit, aut *macula & vulnus toti Ordini Monaſtico inflictum*, regularis vero diſciplinæ diſſipatio, ſpiritus humilitatis & orationis abolitio, ſtudiis operam dare? idque decretis inhærendo & Reformationum Conſtitutionibus, quæ a ſupremis Pontificibus fuerunt approbatæ, editæque ad executionem Ordinationum Concilii Viennenſis Generalis, & auctoritate firmatæ Statutorum Bleſenſium & Aurelianenſium. Implorandum ne adhuc erit alterius Tribunalis patrocinium? Culpæ ne obnoxii erimus, tot poteſtatibus & imperiis nos ſubiicientes.

Profiteor (ait D. Abbas) *me ab Eccleſiæ mente nihilum diſcedere, quandoquidem Solitariis omne illud ſtudium, omnem ſcientiam, omnes notitias, ad* pag. 260. *quas jubet ipſa ut promoveantur, permitto.*

Eccleſiæ mens eſt & voluntas, ut in quolibet Monaſterio Solitariis tradantur *ſcientiæ primitivæ*, juxta Effatum Concilii Viennenſis, hoc eſt prout explicat Benedictus XII. *Grammatica & Philoſophia:* quibus hic Pontifex ſuperaddit ſtudium Juris Canonici, nempe *ut ipſis Monachis proficiendi in ſcientia via opportuna non deſit.* Ecce finis, ecce media. Oſtendat D. Abbas, ubi hunc finem atque hæc media ipſe proponat & permittat; cum nolit literas humaniores tradi non dicam ſuis (nam quod ſibi & ſuis putat conducere, per nos licet ut faciat) ſed univerſis Monachis cujuslibet Inſtituti; illiſque interdicat quidquid ſcientiæ nomine cenſetur.

Duplici item pacto explicat alibi has Eccleſiæ ordinationes. *Primo quidem, quod Eccleſia ad avertendam Monaſticarum Sodalitatum omnimodam ruinam, aut ad erigendas quadantenus illas quæ jam collapſæ erant, decrevit ut Monachi ſtudia capeſſerent.*

At nulla excogitari poterat minus ad hanc rem appoſita ratio, ſi ipſi D. Abbati credimus, qui alibi ait, *tantum abeſſe ut hæ ſtudiorum fundationes magno illi Ordini* (de Ciſtercienſi loquitur) *aliquam attulerint utilita-* 121. *tem, ut potius creverint ruinæ, & profeſſio ſcientiarum protegendis malis inſervierit.* Huc ergo redit decretorum Eccleſiæ fructus. Ferendum tamen, ſi res hic ſteriſſent, neque eadem decreta Eccleſia recudiſſet, & identidem renovaſſet, ut factum eſſe oſtendi in meo Tractatu a Conciliis Provincialibus, & ab ipſa denique Generali Synodo Tridentina. Imo & Reges hæc decreta ſuarum robore Conſtitutionum munivere in Regni Comitiis jam inde a Carolo Magno, qui ſuam illis auctoritatem multo

ante

ante conciliaverat. Neque umquam Eccleſia, Concilia, Reges, aut Conſilia Civitatum ſenſere, hanc medicinam morbo deteriorem eſſe, ſtudiaque, nedum ullam afferre potuerint utilitatem, auxiſſe potius Monaſtici ordinis ruinas, *& profeſſionem ſcientiarum* juxta illa Decreta introductam *malorum patrocinium fuiſſe*. Credibile-ne eſt, neminem hæc mala pervidiſſe, priuſquam D. Abbas obductas omnium animis nebulas diſpulerit?

Fatendum eſt tamen, hujus ſermonis acerbitatem ſequentibus verbis aliquantulum ab eo fuiſſe mitigatam; quod ſcilicet *Eccleſia nullam inveniens viam Monachos ad priſcos fontes reducendi, ſiſtendique præcipitis in deteriora curſus, nihil ad rem magis fore putavit, ut illos a turpi deſidia, in qua pene demerſi erant, divelleret, quam ſtudiis eoſdem admovere. Satius profecto fuiſſe ut Monachi lectione tempus impenderent, quam ludis, crapula, venatione, aliiſve id genus diſſolutionibus*. Denique *certum eſſe, ſtudii exercitationem non niſi ob duritiam cordis eorum iiſdem propoſitam fuiſſe; & quod impoſſibile videbatur eos ad antiquas exercitationes conſuetudineſque reducere*. Id cauſæ unice fuiſſe, cur ſic ſtatuerent Concilium Generale Viennenſe ſub Clemente V. & Decretalis Benedicti XII., qui in iis ſcientiis, quarum ſtudium præſcribit, *Rhetoricam* numerat & *Philoſophiam*. Ceterum *huc facere illa Scripturæ verba, Ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis ..... ab initio autem non fuit ſic. Priſci enim Patres atque Inſtitutores nihil tale excogitaverant aut præceperant*. *ibid.* 122.

Ego quidem neſcius ſum, quomodo poſtremis hiſce verbis afficiendi ſint lectores: fateor tamen mihi videri, quidpiam ineſſe illis minus benignum contra Eccleſiæ praxim. Ita ne? Eccleſia, ex qua Regulæ omnem auctoritatem, omnem vim, & approbationem mutuantur, jure carebit aliquid præcipiendi quoad ſtudiorum rationem, ſi eveniat, ut priſci Patres atque Inſtitutores ſtudia ſilentio præterierint? Ejus ſuper hac re decreta *ad duritiam cordis* tantummodo erunt, quod videlicet Monachos ad *fontes* & primordia revocare non potuerit? Qua tandem ratione aſſeritur, ſtudii exercitium non niſi ob duritiam cordis Monachorum ab eadem Eccleſia propoſitum fuiſſe, quod impoſſibile videretur eos ad antiquas exercitationes conſuetudineſque reducere; cum ipſamet Eccleſia conſilium & mentem ſuam expreſſe patefaciat in Synodo Generali, ubi ait, ſe ſtudia propoſuiſſe atque injunxiſſe, *ut ipſis Monachis proficiendi in ſcientia via opportuna non deſit*. Quid attinet aliam mentem, aliud conſilium quærere, poſtquam illa quid ſibi propoſitum fuerit aperte declaravit. Sed ubi quæſo D. Abbas permiſit umquam Monachis in ſua Reſponſione ſtudium *Rhetoricæ & Philoſophiæ* (de quibus ſtudiis verba Concilii Viennenſis & Decretalis Benedicti XII. ipſe interpretatur). Nullibi profecto; quamvis alibi dixerit, ut nuper admonui, *ſe ab Eccleſiæ mente nihilum diſcedere, & Solitariis omne illud ſtudium, omnem ſcientiam, omnes notitias permittere, ad quas ea jubet ut promoveantur*. Ipſomet judice ſtatuit Eccleſia ut ad Rhetoricæ & Philoſophiæ ſtudia admoveantur. Cur ergo hæc illis ſtudia interdicit, & quare fatetur ſe ab Eccleſiæ mente nihilum diſcedere?

Abſit

Digitized by Google

Abſit vero, ut propter ea quæ modo attuli, credam eum aliquid minus ſe dignum de Eccleſia ac ejus Decretis ſenſiſſe. Haud me latet, alibi illum honorificentiſſimis verbis ſeſe explicaſſe. *Ultro affirmamus* (ait) *fore ut Eccleſia illos communibus biſce regulis ſolvat, quoties ſibi opportunum videbitur, propter ſibi utile miniſterium, ac propter exemplum & inſtructionem populorum, quemadmodum data occaſione multoties egit*. At nunc quidem nos in ea navi ſumus. Viſum eſt Eccleſiæ non modo hanc immunitatem impertiri, ſed & Religioſos ad ſtudium per luculenta decreta compellere: quippe ejus utilitatem & commoda perſpexit, ſicut alibi oſtendam. En igitur quam belle inter nos convenit. Quænam eſt ergo noſtri cauſa diſſidii? *Pag. 215.*

Dicam hic quod ſentio. Difficile eſt mentem D. Abbatis cum ejus ſermone componere. At ratio poſtulat ut credatur, illum ex incenſo ſtudio quo flagrat eliminandi a Monaſteriis ſtudiorum & ſcientiarum uſum, juxta habuiſſe Ordinationes Eccleſiæ quæ hunc uſum tuentur & confirmant, ac libellum repudii, cujus uſum Moyſes Hebræis indulſit; perinde ut ſi ad ſtudia incumbentem Monaſticæ profeſſioni penitus renunciare oporteret. Econtra vero Eccleſia arbitrata eſt, ſtudia ejuſdem profeſſionis columen eſſe ac præſidium, imo & medium ad eam ſervandam neceſſarium. Quod manifeſte patet ex pœnis quas in Superiores ſanxit decretorum ſuorum executionem negligentes. Non ita res permittuntur *ad duritiam cordis*. Vis & coactio ex parte illius eſt qui permittit invitus, non ex ejus cui aliquid permittitur. Deus & Eccleſia ad majus bonum mala quandoque permittunt; numquam tamen ad ea mala apertis præceptis, comminationibus ac pœnis aliquem impellunt.

Si D. Abbas judicio, quod de Eccleſiæ decretis ad ſtudia Monachorum pertinentibus antea tulerat, hic adhæſiſſet, benignius fortaſſe de illis locutus fuiſſet. In ſuis enim Illuſtrationibus ad officia Vitæ Monaſticæ fatetur, *ſe, quotieſcumque Eccleſia Monachis ſtudium injungere, & laborem manuum interdicere voluerit* (quod numquam eventurum putat) *ejus decretis ac juſſis humiliter obtemperaturum, & pro certo habiturum, Spiritus Sancti afflatu ut id faceret fuiſſe excitatam; proindeque fauſta ſe precaturum & gratias acturum, ſemota quærendi libertate, quibus ex cauſis & quo conſilio id ab ea factum fuerit*. Quod ad laborem manuum attinet, illum quidem Eccleſia non ſuſtulit; ſed ſtudium Monachis edixit. Cur ergo Dominus Abbas hujus edicti cauſas quærit? cur nobis perſuadere nititur, id ab ea non niſi *ad duritiam cordis* fuiſſe conſtitutum? Ubinam illa talem ſui facti rationem exhibuit? Imo penitus oppoſitam: ait enim, ſe ideo *Monachis* ſtudia imperaſſe, *ut ipſis proficiendi in ſcientia via opportuna non deſit*. Quid plura? Viſum eſt Eccleſiæ, *ſtudium Monachis imperare*. Abnuere id non poſſet Dominus Abbas. At ſi ſibi conſtare velit, tenetur credere, *Spiritus Sancti afflatu ut id faceret fuiſſe excitatam, quin & fauſta precari & gratias agere debet*. Jam ergo confecimus omnia. Nihil ultra ab eo petimus. Si hic ſubſiſtamus, egregie inter nos convenit. Ut ſic concludamus facit Decretum *Diſſ. 21. art. 2.*

Con-

Digitized by Google

Concilii Viennenſis, de quo hactenus loquuti ſumus.

Quod attinet ad Concilium Tridentinum, a quo præcipitur, ut in Monaſteriis quoque Monachorum, ubi commode fieri queat, *etiam lectio Sacræ Scripturæ habeatur*. Aſtruit D. Abbas Concilium hoc loco *nullum aliud ſtudium Monachis præſcribere quam Sacrarum Scripturarum intelligentiam*. Id vero intereſt accuratè expendere.

Sacroſancta Synodus optans in Eccleſia ſacrorum librorum ſtudium inſtaurare, Pontificum & Conciliorum Conſtitutionibus inhærens; ſtatuit ut Eccleſiis, in quibus præbenda, aut præſtimonium *pro lectoribus Sacræ Theologiæ deputatum* reperitur, ii qui dicta beneficia poſſident ad ipſius Sacræ Scripturæ publicam expoſitionem cogantur & compellantur: in Eccleſiis autem Metropolitanis vel Cathedralibus, ubi nullum ſtipendium hujuſmodi deputatum reperitur, redditus ſufficientes deinceps aſſignentur, *ut ipſa Sacræ Scripturæ lectio habeatur:* ita tamen ut quæcumque aliæ lectiones vel conſuetudine vel quavis alia ratione inſtitutæ, propter id minime prætermittantur. Quoad alias vero Eccleſias, quarum annui proventus adeo tenues fuerint, *ut Theologiæ lectio in eis commode haberi non poſſit;* ſaltem ibi ſit Magiſter, qui Clericos alioſque ſcholares pauperes Grammaticam gratis doceat, ut deinceps ad ipſa Sacræ Scripturæ ſtudia tranſire poſſint.

Poſt hæc addit Synodus: *In Monaſteriis quoque Monachorum, ubi commode fieri id queat, etiam lectio Sacræ Scripturæ habeatur:* qua in re ſi Abbates & Superiores negligentes fuerint, opportunis & canonicis remediis compelli jubet. Eamdem rem conſtituit Synodus pro *conventibus aliorum Regularium;* ſancitque ut harum Lectionum doctores ab Epiſcopis examinentur & approbentur, exceptis Lectoribus & Magiſtris intra Clauſtra Monachorum docentibus, *quod tamen de lectoribus in clauſtris Monachorum non intelligitur*.

Multa ſunt animadvertenda circa hoc Trid. Synodi Decretum. 1. ſtudium quod Eccleſiis Cathedralibus injungit idem omnino eſt ac illud quod in Monaſteriis Monachorum fieri jubet. 2. Hujuſmodi ſtudium promiſcue appellatur modo *ſtudium Theologiæ*, modo *Sacræ Scripturæ*. 3. *Lectionis* nomine cenſetur ac deſignatur*: lectio Sacræ Scripturæ, lectio Theologiæ*. Et ideo cum apud veteres Scriptores, aut in textu Regularum ſit mentio lectionum, recte intelligere poſſumus de ſtudio, ut ſupra quoque adnotavi. 4. Denique hoc ſtudium, ſive hæc lectio præeunte Magiſtro facienda, qui *Lector* paſſim nuncupatur, ſumpta ab officio denominatione. Ea igitur eſt Concilii mens, ut velit in Monachorum Cœnobiis Sacræ Scripturæ hoc eſt Theologiæ ſtudium conſtitutum eſſe, & ad docendum eam Lectorem deputari, proœmiales & primitivas ſcientias procul dubio ſupponens, videlicet Grammaticam & Philoſophiam, quibus ad Theologiæ ſtudium reddimur expediti. Hic eſt genuinus Concilii ſenſus, a quo D. Abbatis interpretatio multum abludit.

Præter Generalium Conciliorum Viennenſis & Tridentini conſti-

tutiones, multæ Provinciales & Diæceſanæ Synodi ſimilia cuderunt decreta circa Monachorum ſtudia. Concilium Cloves hovienſe Anglicum anni 747. poſtquam injunxit Abbatibus atque Abbatiſſis, ut in ſuis Monaſteriis lectiones accuratè fieri ſatagant, hæc ſubdit: *Dolendum eſt quod bis temporibus perpauci inveniantur, qui ex intimo corde ſacræ ſcientiæ* (quam nunc appellamus Theologiam) *rapiantur amore, & vix aliquid elaborare in addiſcendo voluerint.*

Concil. Chloves. cap. 7.

Concilium Colonienſe anni 1536. decernit ut in quolibet Monaſterio Magiſter reperiatur adoleſcentibus doctrina imbuendis præfectus; utque illi, qui ad ſtudia ſacrarum literarum magis propenſi videbuntur, *a ſordidioribus officiis* immunes reddantur.

Auguſtanum anni 1548. ſic jubet: *Intermiſſa Sacrarum literarum, atque etiam ea, per quæ ad ſacras literas pervenitur, ſtudia, apud opulenta Monaſteria infra ſex menſium ſpatium reſtaurentur. Ubi vero pauci ſunt Monachi &c.* Hanc juſſionem Carolus V. Imperator iiſdem ferme verbis confirmat, ſacrarum literarum nomine intelligens Theologiam; ſimiliter, atque Concilium Moguntiacum inſequentis anni, aſſerens hoc ſtudio Monachorum *devotionem ali*, eoſque divini verbi præcones idoneos effici.

Gold. to. 2. Conſt. Imp pag. 329.

Sed nihil hac ſuper re clariusatque diſertius afferre poſſumus, quam verba celeberrimi Concilii Provincialis Remenſis anno 1583. celebrati, atque a Summo Pontifice confirmati. Hujus etenim Concilii Patres art. 6. de Regularibus, cum præſcripſiſſent, ut in Monaſteriis Magiſter conſtituatur, qui Monachos Sacras literas doceat, hoc eſt Theologiam, prout hæc verba accipienda ſunt tam in Concilio Tridentino, quam in aliis Conciliis; poſtea ſic teſtantur: *Rem quippe nullis ſatis dignam lacrymis putamus, aliquot jam ſæculis verbum Dei neque prælegendo, neque concionꝭes habendo in illis locis explicari, in quibus olim omnis doctrinæ ac virtutis ſcholas fuiſſe Eccleſiaſticæ teſtantur hiſtoriæ.*

Verum ut pateat, quantopere cupiat Eccleſia, viros doctos in Monaſteriis eſſe, qui doctrinam & ſcientiam ibi cuſtodiant; ſatis eſt animadvertere, illam dedita opera conſtitutiones edidiſſe, & normam præſcripſiſſe, juxta quam in Civitatibus ubi ſunt Univerſitates, fundarentur Collegia excipiendis Regularibus ſtudio idoneis a Superiore judicatis deſtinata, damnatis interea iis qui in his Univerſitatibus ſtudiorum prætextu extra Monaſtica collegia morantur. Videſis Concilium Pariſienſe anni 1236. Budenſe anni 1278. Rothomagenſe anni 1581. Remenſe anni 1583. Præterea Conſtitutiones Benedicti XII. & Alexandri VI aliorumque complurium ſummorum Pontificum: quibus Superiores aliquos Religioſos juxta Monaſterii facultates ad hæc Univerſitatum Collegia mittere jubentur. Concilium præſertim Remenſe teſtatur, rem hanc maximi eſſe momenti, *Operæ pretium putamus &c.* Verum quidem eſt, poſtremam hanc ſtudiorum rationem multis cautionibus & proviſionibus fuiſſe ab Eccleſia introductam; plures enim edidit ordinationes & juſſiones circa Magiſtros & Studentes, periculum proſpiciens, quod ab hac Studentium regularium cum ce-

teris

teris Scholaribus familiaritate in Univerſitatibus abeſſe non poteſt. Sed cum ſibi perſuaſum aliunde fuiſſet magnam inde utilitatem tum Eccleſiæ tum Religioſis Domibus provenire poſſe, ſatis id cauſæ putavit eſſe, cur hæc ſtudia cum præcautionibus a ſe præſcriptis inſtituta probaret.

Ex his omnibus Conciliorum atque Pontificum decretis & Conſtitutionibus a me relatis ſequens ratiocinatio confici poteſt. Quandoquidem Eccleſia ſtatuit, ut in Monaſteriis vigeant ſtudia Grammaticæ, Philoſophiæ, Theologiæ, & Juris etiam Canonici; ut ibi adſit Magiſter tradendæ Monachis Theologiæ præfectus, & alius qui primitivas & inferiores ſcientias doceat: Quandoquidem jubet ut Superiores ad hæc exequenda decreta mediis Canonicis compellantur: Cum eadem Eccleſia fateatur quidem, *rem eſſe nullis ſatis dignam lacrymis*, quod in Monaſteriis doctrina negligatur, omnem vero adhibeat operam, quo in illis ſtudium inſtauretur. Æquum eſt profecto, Superiores & Religioſos, qui ut Eccleſiæ juſſionibus atque conſiliis congruenter agant ſtudia indicunt & complent, omnino laudibus cumulari, utpote Eccleſiæ mandatis humiliter obſequentes, nec ullam reprehenſionem incurrere. Quiſquis autem dixerit, tantummodo *ad duritiam cordis* ſupra dictas juſſiones & ordinationes fuiſſe ab Eccleſia factas, a Conciliorum mente diſcedit teſtantium, ſtudii & doctrinæ neglectum in Clauſtris Regularibus rem eſſe dignam commiſeratione & lacrymis. Nos porro hæc decreta Conciliorum, has Conſtitutiones Pontificum modo adnotavimus. Noſtræ vero Congregationes huic diſciplinæ inhærendo ſtudia indixerunt, & in uſum redegerunt, ipſa approbante Eccleſia, & populis adſtipulantibus, ad quos horum ſtudiorum utilitas dimanavit.

Falſo itaque redarguuntur & damnantur hæc ſtudia quaſi Monaſteriis pernicioſa, & pietatis diſciplinæque regularis deſtructiva. Falſo dicitur, *ad duritiam cordis* Eccleſiam ea imperaſſe, cum nihil magis ab hac coactione quam Eccleſia tuliſſet abſonum videatur, quam illa ejuſdem Eccleſiæ ſententia ſupra relata, *Rem nullis ſatis dignam lacrymis &c.* Igitur quoniam hiſce decretis & Conſtitutionibus hactenus derogatum non eſt; jus eſt Monachis, imo quoddam eorum officium cenſeri debet, ut ſtudia proſequantur & ſervent. Neve hanc praxim vellicare aut damnare quis poteſt, ſalva Eccleſiaſticarum juſſionum reverentia: quamvis compertum foret Regularum ſuffragio ſtudia carere, ſive etiam ab illis interdicta fuiſſe. Unicum hoc ratiocinium opinationem noſtræ contrariam convellere, & hanc litem dirimere poteſt.

Noſtrorum Regum edicta ad eumdem finem cum Eccleſiaſtica auctoritate conſpirant. Ipſi quoque arbitrati ſunt, ſtudiorum inſtaurationem Reformationi Monaſticæ diſciplinæ neceſſariam eſſe. Attuli jam ſuper hac re Capitularia & Epiſtolam Caroli Magni, qui decernit & jubet, ut eadem ſtudia, quorum viget praxis in Eccleſiis Cathedralibus, intra Cœnobia renoventur, ſtudia ſcilicet humaniorum li-

terarum aliarumque ſcientiarum, quatenus ad exactam Sacræ Paginæ notitiam, quæ erat illorum temporum Theologia, provehere poſſunt. In Comitiis Aurelianenſibus & Bleſenſibus idem ſtatuitur; jubenturque Superiores, juxta Tridentinæ Synodi decreta, *ſatagere, ut in Monaſterlis regularis diſciplina inſtauretur juxta priſtinam inſtitutionem & regulam; & ideo in quolibet horum Monaſteriorum alendum eſſe probum atque doctrina conſpicuum virum, qui literas humaniores & Sacram Scrpturam edoceat*, „ pour y enſeigner les bonnes & ſaintes lettres. „

Pag. 415. Hanc auctoritatem *evidenter* meæ ſententiæ *contrariam* eſſe aſtruit D. Abbas: *cum nihil aliud hæc verba „ les bonnes & ſaintes lettres „ ſignificare poſſint, quam ſtudium pietatis, hoc eſt Scripturæ & Sanctorum Patrum: Hunc ſenſum aperte colligi & definiri ex iis quæ ſequuntur, „ Former les Novices en diſcipline Monaſtique, „ Religioſos Novicios Monaſtica diſciplina imbuere; demum ſe ita penitus ſentire.*

Verum hæc reſponſio ſtatutorum verbis atque intentioni accommodari non poteſt. Statuitur enim ut in quolibet Monaſterio reperiatur probus & doctrina conſpicuus Magiſter „ *pour y enſeigner les bonnes & ſaintes lettres, & former les Novices en diſcipline Monaſtique* „. Duo hæc ſunt penitus diverſa, quorum altero jubetur, Monachos profeſſos doctrina imbui, altero Religioſos tirones probe inſtitui. Duo hæc ſunt, inquam, plane diverſa, neque in unum conjungenda, prout ea conjunxit D. Abbas. Porro illa verba, *les bonnes & ſaintes lettres* de ſtudio intelligenda ſunt humanarum literarum, quæ per *τὸ les bonnes lettres* deſignantur: & de ſtudio item Sacrarum Literarum, ſcilicet Theologiæ, quæ per *τὸ ſaintes lettres* perſpicuè innuuntur. Omnia ſic congruunt Decreto Concilii Tridentini, in cujus gratiam & ſequelam inita fuere Comitia Aurelianenſia, a quibus editæ iſtiuſmodi juſſiones primum ſub Franciſco II. & Carolo IX. quatuor ante Concilii exitum annos: deinceps confirmatæ in Comitiis Bleſenſibus ſub Henrico III. Judicent æqui lectores, an rationi & veritati conſentaneam interpretationem harum juſſionum verbis ipſe dederim. Carolus Magnus olim idem ſanxerat, & humaniorum literarum ſtudium injunxerat, prout ad exactam Sacræ Paginæ notitiam refertur. Id fit nobis compertum ex ejus circulari Epiſtola hujuſce argumenti, quæ in Gallicanis Conciliis extat impreſſa, legiturque ad Abbatem Fuldenſem inſcripta.

Deinde quamvis D. Abbatis interpretatio veritati congrueret, & illa verba *les bonnes & ſaintes lettres* de ſtudio Scripturæ & Sanctorum Patrum vere intelligenda eſſent, ut ipſe aſtruit; tantum abeſt ut hic ſenſus meæ opinioni repugnet, ut potius latiſſime patrocinetur; ſiquidem hujuſce ſtudii nomine communem quandam ordinatamque exercitationem duce Magiſtro probitate & doctrina conſpicuo inſtitutam juxta ipſarum Ordinationum mentem intelligamus.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS XI.

Quam latè patere poſſint Studia Monachorum.

TRibus præcipuis capitibus, ex quibus de præſenti argumento judicium ferre poſſumus, hactenus diſcuſſis: reſtat ut iis quæ nobis obiiciuntur circa nimiam (ut putatur) ſtudiorum latitudinem, quam in Monaſteria inveximus, ſatisfaciamus. D. Abbas numquam ceſſat mihi obtrudere, tot genera ſtudiorum *ab inſtituto Monaſtico exorbitare*, *& ejus fines egredi*. Ulterius deinde progreditur, & occaſione opinionis, quam S. Bernardus de ſeipſo olim fovebat, innuit *hoc eſſe quiddam ex diſſimilibus partibus prodigioſe conflatum:* & Monachum in tot ſcientias diſtractum *pro monſtro* habendum, eo quod *a propriæ conditionis tramite & confiniis exorbitet*. Denique ait, S. Benedictum *ex iis qui ſuam Regulam amplecterentur totidem Sanctos facere voluiſſe*, *mihi autem omnino propoſitum eſſe ut totidem doctores evadant*. Uno verbo, *illam doctorum virorum catervam*, *quorum Elogia ſcripſi ; illam Academiarum ſeriem*, *quas tam accurate recenſui*, *omnes illas ſcientias & cognitiones*, *illos Scriptores*, *quorum tam amplum & diffuſum catalogum ordinavi ; ſciendi pruritum in juvenibus Religioſis magis magiſque extimulare: officiorum & munerum regularium oblivionem inducere; quo illis tandem perſuadeatur*, *ſe non alio fine Monaſticum induiſſe cucullum*, *quam ut eruditionis*, *nominis*, *famæ & laudis lucrum facerent*. pag. 44. & 327. pag. 305.

Merito hæc mihi, fateor, exprobrarentur, niſi indicaſſem, & pluries conceptis verbis aſſeruiſſem, non eſſe hanc noſtri metam conſilii. Jam inde ab initio harum Animadverſionum quædam mei Tractatus loca adduxi, in quibus ſententiam meam adeo luculenter ſignificaveram, ut ſatis mirari non poſſim, nonnullos ſolerti ingenio viros, quibus Tractatum de ſtudiis perlegere lubitum fuit, hac ſuper re fucum ſibi feciſſe. Detur itaque mihi venia, ut hic quoque ea repetam, quæ circa id in meo Tractatu ſcripſi, ne ullus ſuperſit jam dubitandi locus, quid vere ſentiam. Ab Epiſtola exordiamur, quæ S. Benedicti Religioſis Alumnis inſcribitur. art. 1.

Non vereor, *quin hæc ſcribendi methodus pleriſque admirationem pariat*, *qui forte autumabunt*, *ipſam a me ſingulis Monachorum æque proponi*. *Sed id mihi nullo modo propoſitum eſt*. Hæc mihi ſatis perſpicua & expreſſa videntur eſſe. *Compertum enim mihi eſt*, *quod cum pauci ſint ad horum omnium vaſtitatem laborum idonei*, *ſic etiam pauciores occurrunt*, *quos Deus ad eamdem metiendam advocet*. *Quinimo ſæpenumero contingit*, *ex tot literariis occupationibus inanem curioſitatem augeri*, *potius quam puro ad veritatem affectu attendatur*. Ecquis igitur in hac methodo ſcopus mihi propoſitus eſt? *Verum cum non cuivis homini*, *ut fertur*, *contingat adire Corinthum*, *& ad peculiares ſcientias aptiores nonnulli appareant*, *quæ plerceſque alios vix decent ; hinc operæ pretium fuit in præſenti Tractatu de iis varie diſſe-*

Digitized by Google

differere, ut ſingulorum inclinationi ac viribus, inſinuando modum ad eas ſe applicandi juxta proprium uniuſcujuſque inſtitutum, ſatisfaceremus. Atque ut nemo arbitretur me Religioſis proprii ſtudii arbitrium relinquere, iſta ſubjungo: *Ceterum prudentiæ ac Superiorum conſilio remittendum erit, quibus onus incumbit ſubditos ſibi Monachos ad ea potiſſimum ſtudia capeſſenda dirigere, quæ tum ipſorum captui ſint magis accommodata, tum etiam Eccleſiæ aut Religioni, quam profitentur, mage proficua*.

Ad hanc apertam & perſpicuam noſtræ genuinæ ſententiæ ſignificationem accedunt ea, quæ initio ſecundæ partis, in qua de hac varietate ſtudiorum egimus, profeſſi ſumus: „ ſcilicet arduum valde „ eſſe ea ſingillatim recenſere, quæ ipſorum ſingulos maxime deceant, „ ſpectata uniuſcujuſque capacitate. Inſuper ſi varia Cœnobiorum, „ Monaſticarumque Communitatum conditio perpendatur, opus eſ- „ ſe multifariam de iis loqui, prout nimirum plus minuſve ſæculari „ Clero & Laicis intermiſcentur. Ceterum Superiorum eſſe ſtudia ta- „ li prudentia diſponere, ut vel juxta ſingulorum capacitatem, vel „ Cœnobiorum in quibus degunt exigentiam, opportunè diſtribuan- „ tur.

Quod ſi doctorum virorum atque Academiarum enumeratio minime probatur, quod ea *ſciendi pruritum in Religioſis adoleſcentibus extimulet, ſuorum officiorum immemores & negligentes reddat, illiſque perſuadeat, ſe ob nihil aliud in Monachorum cœtum intraſſe, niſi ut eruditionem & laudem adipiſcantur:* Sequitur, nullum ergo poſthac texendum eſſe Scriptorum alicujus Ordinis catalogum, nullam conſcribendam Monaſticam hiſtoriam; ne ſcilicet juvenum Regularium perditus ſciendi amor excitetur. Verſandum erit jam in omnimoda rerum omnium, quæ in Clauſtris geſta ſunt, ignoratione. Fruſtra Manriquez in Ordinis Ciſtercienſis hiſtoria tam diligentem operam collocavit. Fruſtra Carolus de Viſch Scriptorum ſui Ordinis Bibliothecam poſt Chryſoſtomum Henriquez compoſuit. Fruſtra noſmetipſi in illuſtrandis & enodandis Ordinis S. Benedicti Annalibus & geſtis laboramus, ſi id nedum juvenes ad virtutem incitare poſſit, ſciendi pruritum in illis potius extimulet, officiorum ſuæ conditionis immemores reddat, & illis perſuadeat ſe non eſſe Monachos niſi ut docti fiant.

Niſi ſexcentis locis adnotaſſem, fruſtra ſtudere Monachos, fruſtra laborare, vigilare, ſcientias ſcientiis cumulare, quando id faciunt propter alium finem quam ut meliores fiant: niſi conceptis verbis dixiſſem non hunc me animum induxiſſe, ut noſtra transformare vellem Cœnobia in *Academica ſcientiarum lycæa*, ſed in totidem Jeſu Chriſti gymnaſia. Singulas cogitationes noſtras, omnes ſtudiorum conatus huc tendere debere, nimirum ad nos ipſos probe cognoſcendum, ut *humiliores inde evadamus, humanis oculis jugiter nos occultando:* inſuper ut clarior in nobis fiat Dei cognitio, *ad eum intimius amandum dirigens, ipſique fervidius ſerviendum*. Niſi denique Religioſos alumnos admonuiſſem, notiones, quas ſtudendo acquirent hoc fructu vacuas, noxias fore, ſatiuſque futurum eas prorſus omittere quam ex earum apparatu lethiferum in ipſis vi-

rus

rus confici, quod ſpiritum inflantem reddat: Merito labor noſter vituperari, & tamquam opinio periculi plena apud vulgus traduci poſſet. Verum cum hæc & alia plura præcaverim; & aſſeveraverim omnes illas ſcientias *ſub contemptu, qui de reliquis habetur, comprehendendas eſſe*, illiſque quaſi quibuſdam mediis utendum, quibus ad Chriſtianarum & religioſarum virtutum exercitium manuduci poſſemus: *part. 1. cap. 1.* immerito mihi crimen obiicitur, perinde ac ſi tuliſſet animus Religioſos a proprii ſtatus officiis retrahere, illoſque exhibere non S. Benedicti diſcipulos, ſed ſæculi doctores & Literatos.

In crimen quoque mihi vertitur, quod nimium librorum numerum pro qualibet materia indicaverim, & catalogum ſcripſerim ad concinnandam Bibliothecam Eccleſiaſticam.

Duo me impulere, ut multifarios ſuper qualibet materia libros proponerem, ut monui in Epiſtola præliminari mei Tractatus; ſcilicet varia ſingulorum placita, & magnus Cœnobitarum numerus in unaquaque ſodalitate degentium, quorum ſingulis eadem volumina diſtribui non poſſunt.

Quod ad Bibliothecam attinet, ingentem librorum numerum congeſſimus, ut eos quando opus fuerit, adire liceat, non ut ad eorum omnium lectionem quoslibet in univerſum mittamus. Hinc eſt quod in Bibliothecis Catholicis libri Hæreticorum ſervantur; nam uſuvenit aliquando, ut illos evolvere debeamus. Hæc fere ſunt quæ mihi D. Abbas circa Monaſtici ſtudii latitudinem objecit. Videndum jam quam late patere revera poſſint, & quis in illis ſervandus ſit modus.

In Monaſteriis non ſecus ac alibi paſſim, communium ſtudiorum uſus eſt & privatorum. Communia a pluribus exiguntur præeunte Doctore: privata ab iis, quos Superiores opportunum putant ſingillatim ſtudio occupare.

Studia communia ſeu publica pro juvenibus, humaniores literas, (quæ Grammaticæ nomine fere cenſentur) dein Philoſophiam, Theologiam latius aut compendioſe traditam pro varietate argumenti; Poſitivam, ſeu de Sacra Scriptura, & de linguis ſanctis canones & præcepta comprehendere poſſunt.

Dogmatum ac Diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſcientia ſaltem aliquatenus neceſſaria eſt Superioribus & Theologiæ Magiſtris; ejuſdem vero ſtudium privatum Monachis ceteroquin inſtructis & paratis permitti poteſt.

Præter hæc ſtudia, alia quædam extraordinaria concedi poſſunt, propter Eccleſiæ, aut Ordinis, aut populi utilitatem; cujuſmodi ſunt ſacra concio, elucubratio, verſio, operum Patrum ad Manuſcriptorum fidem emendatio; atque hujus generis alia.

En paucis, quæ ſint ſtudia Monachis, ut opinor, concedenda. Aſferenda jam ſunt argumenta, quæ opinionem noſtram confirment.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS XII.

Documenta ex priſca Monaſteriorum diſciplina deprompta ; quibus Studiorum communium uſus probatur.

STudiórum communium praxis, quatenus ad prima ſcientiarum elementa referuntur, omni tempore viguit, ad puerorum, qui intra Clauſtrorum ſepta educabantur, eruditionem. Id nos ex S. Baſilio, & ex aliis priſcorum Ordinum Inſtitutoribus ſuperius probavimus. De S. Baſilio illud notatu dignum eſt, quod puerorum exercitatio non circa Linguæ Græcæ, quam ab infantia didicerant, verſaretur, ſed in multarum rerum explicatione conſiſteret, quarum impoſterum adminicula deſiderare poterant ad Scripturæ intelligentiam & rerum ad religionem ſpectantium peritiam, nec non ad lectiones a Regula præſcriptas cum fructu perſolvendas.

Ut innoteſcat, quæ ſcientiæ in noſtro Ordine Religioſis alumnis traderentur, ſat ſuperque erit animadvertere diſciplinam & praxim eorum, qui inter majora ſanctitatis lumina in noſtro Ordine fulgent. Raro eſt uſitatum, ut hæc minima in Vitæ eorum hiſtoria particulatim narrentur; nihilominus tamen monumenta ſuperſunt, ex quibus de hac re exacte dijudicare poſſimus, ſi illa ex æquo & bono ſcrutemur & excutiamus.

Coniiciat lector oculos in eas Diſciplinæ leges, quas S. Abbas Benedictus Biſcopus in duobus Monaſteriis a ſe in Anglia fundatis circa dimidium Sæculi ſeptimi inſtituit. Vetant peculiaris cura, & graviſſima ſollicitudo, quibus omnia in recto & concinno ordine collocare niſus eſt, ne de ejus incenſo ſtudio & amore purioris inſtituti cuſtodiendi dubitemus. Itinera etiam ab illo per varias regiones ſuſcepta, ut omnibus numeris abſolutam notitiam experientia & obſervatione ſibi compararet, certo indicant, ejus conſilia, quæ magnum pietatis & Monaſticæ diſciplinæ ſtudium ſuggeſſerat, proſperos exitus habuiſſe. Hunc ille ſcopum jam tum ſibi propoſuerat cum Monaſticum inſtitutum in celebri Lerinenſi Monaſterio amplexus, inſignia poſtmodum Italiæ & Galliarum Cœnobia inviſit, ſingulorum conſuetudines & obſervantias exploraturus. Porro cum Monaſterium S. Petri Cantuariæ duodecim annis Abbas rexiſſet, in Nortumbriam regionem ſuam regreſſus bina ibidem Monaſteria ſub unius Abbatis regimine fundavit. Moriens ſuis diſcipulis diſciplinæ regularis praxim, quam ipſe præſcripſerat, efficaciſſimis verbis commendavit. Ne putetis, ait, eam vivendi regulam, quam cuſtoditis, a me fuiſſe excogitatam. *Ex decem quippe & ſeptem Monaſteriis, quæ inter longos meæ crebræ peregrinationis diſcurſus Optima comperi; hæc univerſa didici, & vobis ſalubriter obſervanda contradidi.* In his erant Monaſteria Romæ & Italiæ, S. Petri Cantuariæ in Anglia, Lerinenſe, S. Oyani in Monte Jura, Luxovien-

xovienſe; quæ tum in Galliis erant celeberrima. Cantuarienſe inſtitutum fuerat juxta typum Abbatiæ a S. Gregorio in Romana urbe fundatæ, ubi ipſe ſtatui Monaſtico ſe addixerat, & unde S. Auguſtinum in Angliam cum ſociis miſerat. Ita ex duorum Cœnobiorum, quæ Benedictus Biſcopus fundavit, exemplo & legibus cognoſci poteſt, quænam ſeptimo ſæculo in Ordine S. Benedicti diſciplina vigeret. Nunc age quid in illis duobus Cœnobiis circa ſtudia ſervaretur, inquiramus.

Certiſſima inditia nobis ſuppetunt ex Scriptis Bedæ Venerabilis, qui in altero horum Monaſteriorum ſeptennis Deo oblatus fuit, quinto ex quo fundatum fuerat anno, hoc eſt Eræ Chriſtianæ 678. Ab ipſomet proditum legimus, quibus exercitiis in ſtudio literarum occuparetur. In ſuæ etenim Vitæ compendio, quod ad calcem hiſtoriæ ſubnexuit, hæc habet. *Cunctum ex eo tempus vitæ in ejuſdem Monaſterii habitatione peragens, omnem meditandis Scripturis operam dedi; atque inter obſervantias diſciplinæ Regularis, & quotidianam cantandi in Eccleſia curam, ſemper aut diſcere aut docere, aut ſcribere dulce habui.* Si ejus Operibus careremus, fortaſſe diceretur, totum hoc ſtudium *meditandis Scripturis* impenſum fuiſſe: ſed cum eum de omni fere argumento ſcripſiſſe ſciamus, fateri debemus, quotieſcumque in priſcis monumentis Scriptura tantummodo commemoratur, ſæpe intelligendas quoque eſſe omnes alias ſcientias, quæ ad divinorum librorum cognitionem tamquam ad ſuum finem terminantur. Et hoc ſane modo accipitur a Caſſiodoro in Inſtitutionibus, de quo poſtea verba faciam.

Extra dubitationem igitur poſitum eſt, totam hujus ſancti Monachi vitam, diſcendo, docendo, legendo & ſcribendo exactam fuiſſe. Didiciſſe illum in ſuo Monaſterio Latinam & Græcam linguam, &, ut aliqui putant, etiam Hebraicam; artes liberales, ſcientiam temporum & cycli Paſchalis, Hiſtoriam, Patres; ac demum de omnibus hiſce rebus, & in totam ferme Sacram Scripturam lucubrationes & Commentaria compoſuiſſe.

Exemplum Bedæ, quod allegant, ait D. Abbas, *ſingulare eſt & nihil ab eo conſequitur. Vir ille erat a Deo ad majora deſtinatus, quam illius ferret conditio, quique ad ſua exequenda conſilia inuſitatas iniit vias, & media adhibuit quæ aliis non itidem ac ille ſuperna ordinatione miſſis nequaquam conveniunt.* *pag.* 138. 234. & 235.

Ego vero ad quæ fuerit Beda deſtinatus ſua conditione majora non video, cum neque Abbas fuerit, neque Epiſcopus, neque Apoſtolus. Toto vitæ tempore fuit ſimplex Monachus. Quorſum itaque illius miſſio tendebat, niſi ad diſcendum, docendum, & ſcribendum, ut ipſe de ſe prodidit?

Dici quidem poteſt, hoc exemplum eatenus ſingulare eſſe, quatenus puer in extrema, ut ita dicam, orbis parte tam magnam eruditionem & variam doctrinam ſibi comparandi modum & rationem invenerit. At non perinde ſingulare eſt, quaſi ipſe ſolus fuerit, quem Deus ex peculiari providentia ad illa ſtudia vocaret, & dirigeret.

Praxim & ordinem in ſuo Monaſterio jam conſtitutum ſequutus; gnarus factus eſt omnis artis & diſciplinæ; & ſcimus eum ſub præceptoribus Monachis, quorum nomina ad nos uſque pervenerunt, ſtuduiſſe. Ipſemet refert ſe habuiſſe ducem in Scripturæ ſtudio Monachum quemdam nomine Trumbertum, ne quid dicam de Joanne Italo Abbate, quem Pontifex in Angliam miſerat ut inibi ritus Romanos edoceret.

Sed exploratum quoque eſt, omnes illas ſcientias, quas ipſe didicerat, ab ipſo poſtea juvenibus Monachis fuiſſe traditas non ſolum in ſuo Monaſterio, ſed etiam in aliis: quo munere uſque ad vitæ exitum perfunctus eſt; efflavit enim animam dictando poſtrema verba Commentarii in S. Joannem, poſtquam dixiſſet, *Conſummatum eſt*. Ejus itaque ſtudium ſingulare quoddam exemplum cenſeri non debet, cum ante illum commune foret in Monaſterio exercitium, & ipſemet erga ejuſdem loci Monachos Doctoris partes expleverit.

Hæc porro ſtudia regularibus exercitiis aut ſacris Precibus, quæ tunc erant breviores, impedimento non erant; imo ne operi quidem manuali, cui nemo deerat umquam, tempus præripiebant. Sanctus Abbas Eſtervinus, quem ſibi cooperatorem Benedictus elegerat, numquam ab illo immunem ſe fecit, *Fratrum ſimillimus aliorum*, ut diſcimus ex Hiſtoria quam Beda de ejus Monaſterio compoſuit, ex qua omnia ſupra relata depromplimus. Ibi ſingillatim enarrat manuarias operas, quibus vacabant Monachi in illis duobus Monaſteriis; agri culturam, panificium, & alia id genus laborioſa atque abjecta exercitia. Beda ipſe hoc ſibi laboris penſum indixerat, nempe ut ſua ipſemet opera tranſcriberet, ſicuti multoties teſtatur.

Vita S. Benedic. Biſcopi.

Verum enimvero quamvis Confratribus & diſcipulis ſuis varias ſcientias explicaret, nihil aliud ſibi præfigebat, niſi ut per has cognitiones aditum illis ad ſacrarum literarum ſtudium patefaceret. Ejus Præfatio in librum de Arte Poetica, quem Cutberto diſcipulo inſcripſit, argumentum de hoc ſatis egregium ſuppeditat: ait enim, quod poſtquam illi principia ad librorum ſacrorum peritiam conducentia tradidiſſet, opportunum putaverat de Arte quoque Poetica ad illum verba facere, cum Scriptura aliquando ligata oratione uſa ſit: eumdem tamen inibi etiam atque etiam rogat, ut quibuslibet ſtudiis hujus libri vitæ ideſt ſacræ paginæ ſtudium jugiter præferat. Similia legimus in eo opere, in quo agit de tropis qui in divinis illis Codicibus occurrunt.

Nemo fortaſſe me, quod multus in hoc exemplo fuerim, reprehendet, cum nuſpiam exactiorem diſciplinæ, quæ ſecundo noſtri Ordinis ſæculo viguit, notionem rimari poſſemus, quod ad uſum ſtudiorum pertinet. S. Benedictus Biſcopus illum didicerat in celeberrimis Galliarum & Italiæ Monaſteriis, in Cantuarienſi præſertim ante annos ſexaginta a S. Gregorii diſcipulis fundato: unde inferre poſſumus eam praxim univerſim in noſtro Ordine tunc temporis ſervatam, & a primis S. Benedicti diſcipulis traditam fuiſſe.

Non eſt hic loci prætermittendum, quam magno labore contenderint

rint hanc ſtudiorum praxim invehere celeberrimus Theodorus Monachus Græcus, & Hadrianus Abbas Romanus, qui in Angliam ab Agathone Pontifice Roma Legati fuerant. Narrat Beda, fuiſſe illos divinis & humanis literis apprimè eruditos, & magnum diſcipulorum numerum coegiſſe, quos docebant omnes ſcientias, quas ipſi callebant, ut illos ad Sacræ Paginæ intelligentiam expeditos redderent. *lib. 4. c. 2*

Sanctus etiam Bonifacius Germanorum Apoſtolus, qui Deo quinquennis in quodam Angliæ Monaſterio dicatus fuerat, hanc diſciplinam ſectatus, Grammaticam, Poeticam, & Hiſtoriam addidicit, ceu quaſdam ad ſtudium ſacrorum librorum proæmiales notitias; numquam interea ab opere manuali quod a Regula præſcribitur ſe eximens, ut S. Wilibaldus primus ejus Vitæ ſcriptor memoriæ prodidit. Ceterum diſciplinæ ſtadium emenſus, aliorum doctor evaſit, & quod didicerat docuit.

Idem cum in Germaniam veniſſet, Fuldæ & in aliis Monaſteriis, quæ in ea regione fundavit, eadem ſtudia inſtituit, quæ in uſu eſſe in Anglia viderat, & ipſemet obierat. Diſcimus ex ejus Epiſtolis, ſcholarum regimen ipſum commiſiſſe magiſtris, quos *Lectores* appellat. Si ſcire lubet, quæ vivendi norma in hac Fuldenſi Abbatia ſervaretur, legatur una ex ejus Epiſtolis ad Zachariam Pontificem, ubi hæc ait. *Monachi ſub Regula Sancti Patris Benedicti viventes; viri ſtrictæ obſervantiæ, abſque carne & vino & ſervis, proprio labore manuum ſuarum contenti.*

Hinc licet cognoſcere, an tum cœperint ſtudia, cum obſervantiæ regularis remitteret ſeveritas, & priſca diſciplina collaberetur. Contra etenim certum eſt, id factum fuiſſe cum primus vigeret fervor naſcentium Monaſteriorum, quæ fundaverant ſancti poſt accuratam inquiſitionem ſanctarum conſuetudinum, quæ alibi tam in Galliis quam in Italia cuſtodiebantur.

Ardens diſciplinæ regularis amor, quo flagrabat S. Sturmius primus Fuldenſis Abbas, eum compulit, ut duobus ex ſuis Monachis comitatus omnia Italiæ Monaſteria inviſeret, ſanctiores illorum uſus ediſcens, quos poſtea ſuis cuſtodiendos tradidit. In his erat Studium, cujus exercitia in hac Abbatia tanta celebritate inclaruerant, ut eo Monachi ad diſcendas ſcientias undequaque mitterentur. In ea Sacræ Scripturæ ſtuduit Venerabilis Lupus Ferrarienſis ſub Rabano Mauro, præcipuo Maſtigro earum ſcholarum, quæ aliarum in Germania celebriorum typus & forma fuere.

Quo tempore S. Sturmius ſui monaſterii diſciplinam ita ordinabat, S. quoque Abbas Benedictus Anianenſis collapſam obſervantiam reficere nitebatur in Galliarum Monaſteriis, in quibus adeo profunda irrepſerat ignorantia, ut Monachi vix prima Latinæ linguæ elementa ſcirent. Hujus porro Sancti Abbatis incenſum ſtudium euſque proceſſit, ut Regulam S. Benedicti pro ſuæ Reformationis typo ſibi propoſuiſſe nequaquam contentus, quidquid perfectum & abſolutum in Regulis S. Pachomii, S. Baſilii aliorumque priſcorum patrum extabat colligere diligenter ſtuduerit, omniaque in uſum Monaſteriorum,

quæ ordinare aggreſſus fuerat, ſcite accommodaverit. Sat erit ejus vitam perlegere, ut exploratum fiat, eum perfectæ obſervantiæ fuiſſe reſtitutorem. Inter alia vero, *librorum multitudinem* convehens, & magiſtros conſtituens, optimarum artium ſtudia, ibi excitavit; *docuit lectores, babuit Grammaticos, & ſcientia ſcripturarum peritos*. Narrat præterea ſcriptor ejus Vitæ, plures ex ejus Monachis ordinatos fuiſſe Epiſcopos, & aliunde ſcimus, Ardonem cognomento *Smaragdum* ejus diſcipulum, κατ' ἐξοχὴν *Magiſtrum* appellatum fuiſſe, quod apprime eſſet eruditus, & alios doctrina inſtitueret.

Ordinem a S. Benedicto Anianæ conſtabilitum alia pleraque Monaſteria tenuerunt, juxta Capitularia Caroli Magni, qui hac ſuper re circularem Epiſtolam ad omnia Canonicorum Capitula, & ſui Dominii Monaſteria ſcripſit.

Abbatia Corbeienſis præ aliis pietate & fama literarum claruit ſub S. Adelardo & Wala ejus fratre; ibique docuit S. Paſchaſius Radbertus. Ab hac ſchola cum Ratramo & Drutmaro prodiere S. Hildemanus & Odo Epiſcopi Bellovacenſes, S Anſcarius Septentrionis Apoſtolus, & alii complures. De hujus Monaſterii celebri Bibliotheca alibi erit nobis ſermo. Rectæ Oeconomiæ, qua illud regebatur, clara ſuppetunt argumenta ex Vitis S. Adelardi & Walæ ejus fratris, quas S. Radbertus conſcripſit. Ad rem noſtram nihil notatu dignius quam Patrum Concilii Pariſienſis anni 846. honorifica teſtificatio; unde apparet, in quanta apud illos exiſtimatione eſſet inclyta hæc Abbatia, quæ tum a S. Paſchaſio Radberto regebatur: *Sacræ religionis normam, quam primo tempore ſuſcepit, inviolatam deinceps retinuit, in tantum ut eos qui ſe fundaverunt, non modo æquaverit religione, ſed etiam pæne ſuperaverit*. Celebris hujus Academiæ hic ſtatus erat ſub S. Paſchaſio, tum ſcilicet cum literarum ſtudium ibi uſque ab initiis ſemper excultum, maxime floreſceret. Ea ætate Ludovicus Pius Imperator Aquiſgrani conventum Abbatum & inſigniorum Monachorum Francici Regni coegit. Inter alia canone 45. cautum fuit, *ut ſchola in Monaſterio non babeatur, niſi eorum qui oblati ſunt*. Quod ſi ſtudia diſciplinæ regulari nocitura putaſſet, de hoc quoque peculiariter proviſum fuiſſet. Canone 63. jubet eligi *doctos fratres*, quibus colloquendi cum hoſpitibus officium committatur.

Concil. Gall. To. 3 p. 59.

Circa ea tempora Ferrariarum Abbatia ſummopere inclareſcebat ſub Sancto Abbate Aldrico, Senonenſi poſtea Archiepiſcopo, qui inibi diſciplinæ regularis vigorem revocavit. Ipſe ad Fuldenſes ſcholas Lupum ſui Cœnobii Monachum direxit, ut S. Scripturæ operam daret præeunte Rabano Mauro. Cum vero Ferrarias rediiſſet Lupus, quas Fuldæ didicerat ſcientias in ſuo Cœnobio tradidit, diſcipulumque habuit Herricum, qui deinde in Cœnobio S. Germani Antiſiodorenſis, ubi in Monachorum cœtum adlectus fuerat, Magiſtri munus obiit. Non obſtabant ſtudia, quominus Ferrariarum ſodalitas ab omnibus ſumma veneratione coleretur ſub Abbatis Lupi regimine, teſte Hildegario Epiſcopo Meldenſi, ſcriptore contemporaneo in S. Pharonis vita.

Digitized by Google

ta. *Cœtus Monachorum in Chriſto cum illo toto orbe eſt venerandus.* Silentio prætereo alia Cœnobia, quæ in meo Tractatu commemoravi, ut pauca de Cluniacenſi & Beccenſi loquar.

Abbatia Cluniaci, a qua cætus ille illuſtris denominatus fuit, Balmenſi ortum debet, quam S. Berno fundaverat, jubens eandem ibi ſervari diſciplinam, quam S. Benedictus Anianenſis in pleriſque Cœnobiis conſtabiliverat. S. Odo Turonenſis Canonicus, poſtea Cluniacenſis Abbas alter a S. Bernone, cum in Balmenſe Aſceterium ſeceſſiſſet, ſecum eo *centum volumina librorum* comportavit, & *quia erat vir ſcholaſticus, laborioſum ſcholæ Magiſterium ſibi impoſitum* exercuit, ut narrat Joannes ejus diſcipulus.

Judicet nunc Lector, an D. Abbas ſilentium Udalrici, quem ipſe Waldericum appellat, jure nobis objiciat; ait quippe hunc Scriptorem in quodam opere a ſe compoſito de Ritibus Cluniacenſibus, ſcholarum hujus Abbatiæ non meminiſſe. Si enim S. Berno in ſuæ Reformationis exordiis, adeo enixe ſtudia literarum excoluit cum in Balmenſi Cœnobio adhuc verſaretur; eadem certe haud leviori cura tractavit cum eſſet Cluniaci. Præterea S. Udalricus haud obſcure ſignificat, quam accurate ingenia adoleſcentum Cluniaci expolirentur, dum filios Regum nihilo melius educari ait, quam iſtos adoleſcentes. Quæ vero Petrus Damiani de ſacrarum Precum prolixitate narrat, nihil contra nos faciunt. Nam præterquamquod hic Ritus Cluniaci tantummodo ſervaretur, aliquatenus eximi poterant adoleſcentes ſtudii cauſa, ut vel hodie apud Cluniacenſes ipſos fieri ſolet. Nemini de hac re dubium erit, ſi Magnus Abbatum, Epiſcoporum, Cardinalium, & Summorum etiam Pontificum, qui ex hoc illuſtri Cœnobio prodierunt, numerus reputetur. *pag. 80. & 5.*

Unum verbum de Beccenſi Monaſterio dicam, celebri illo ſcientiarum Lyceo, ad quod Clerici itidem ac Monachi undique confluebant, ut duce Beato Lanfranco ſtudiis operam darent. *Excellens ſiquidem fama .... nobiliſſimos quoſque Clericorum ad eum de cunctis mundi partibus agebat.* *Eadmer. in Vita S. Anſel.*

Beatus Herluinus, qui ejus fundator, & primus Abbas extitit, B. Lanfrancus ejuſdem Prior, poſteaque Archiepiſcopus Cantuarienſis; hujus diſcipulus Sanctus Anſelmus, adeo vitæ ſanctimonia excelluerunt, ut ipſi ſoli Monaſticorum Studiorum Apologiam faciant.

Hic non iterabo quæ in meo Tractatu attuli circa Monachos Chartuſienſes, & Ciſtertii Reformationem, ubi ſtudia communia ideo minus in uſu erant, quod ibi fere non reciperentur niſi viri adulti, ſtudii privati plerumque capaces, ut poſtea videbimus.

Ut ea hic concludam, quæ in poſtremis hiſce Articulis diſſeruimus, non abs re erit ita ratiocinari. Pro certo eſt, jam inde a Sancti Benedicti temporibus erudiendi pueros uſum in Monaſteriis viguiſſe. Rogo quibus momentis probare nobis poſſit Dominus Abbas, praxim eoſdem erudiendi quam in Anglia Benedictus Biſcopus ſequutus

eſt,

Digitized by Google

quæ ordinare aggreſſus fuerat, ſcite accommodaverit. Sat erit ejus vitam perlegere, ut exploratum fiat, eum perfectæ obſervantiæ fuiſſe reſtitutorem. Inter alia vero, *librorum multitudinem* convehens, & magiſtros conſtituens, optimarum artium ſtudia, ibi excitavit; *docuit lectores, babuit Grammaticos, & ſcientia ſcripturarum peritos*. Narrat præterea ſcriptor ejus Vitæ, plures ex ejus Monachis ordinatos fuiſſe Epiſcopos, & aliunde ſcimus, Ardonem cognomento *Smaragdum* ejus diſcipulum, κατ' ἐξοχὴν *Magiſtrum* appellatum fuiſſe, quod apprime eſſet eruditus, & alios doctrina inſtitueret.

Ordinem a S. Benedicto Anianæ conſtabilitum alia pleraque Monaſteria tenuerunt, juxta Capitularia Caroli Magni, qui hac ſuper re circularem Epiſtolam ad omnia Canonicorum Capitula, & ſui Dominii Monaſteria ſcripſit.

Abbatia Corbeienſis præ aliis pietate & fama literarum claruit ſub S. Adelardo & Wala ejus fratre; ibique docuit S. Paſchaſius Radbertus. Ab hac ſchola cum Ratramo & Drutmaro prodiere S. Hildemanus & Odo Epiſcopi Bellovacenſes, S. Anſcarius Septentrionis Apoſtolus, & alii complures. De hujus Monaſterii celebri Bibliotheca alibi erit nobis ſermo. Rectæ Oeconomiæ, qua illud regebatur, clara ſuppetunt argumenta ex Vitis S. Adelardi & Walæ ejus fratris, quas S. Radbertus conſcripſit. Ad rem noſtram nihil notatu dignius quam Patrum Concilii Pariſienſis anni 846. honorifica teſtificatio; unde apparet, in quanta apud illos exiſtimatione eſſet inclyta hæc Abbatia, quæ tum a S. Paſchaſio Radberto regebatur: *Sacræ religionis normam, quam primo tempore ſuſcepit, inviolatam deinceps retinuit, in tantum ut eos qui ſe fundaverunt, non modo æquaverit religione, ſed etiam pæne ſuperaverit*. Celebris hujus Academiæ hic ſtatus erat ſub S. Paſchaſio, tum ſcilicet cum literarum ſtudium ibi uſque ab initiis ſemper excultum, maxime floreſceret. Ea ætate Ludovicus Pius Imperator Aquiſgrani conventum Abbatum & inſigniorum Monachorum Francici Regni coegit. Inter alia canone 45. cautum fuit, *ut ſchola in Monaſterio non habeatur, niſi eorum qui oblati ſunt*. Quod ſi ſtudia diſciplinæ regulari nocitura putaſſet, de hoc quoque peculiariter proviſum fuiſſet. Canone 63. jubet eligi *doctos fratres*, quibus colloquendi cum hoſpitibus officium committatur.

Concil. Gall. To. 3 p. 53.

Circa ea tempora Ferrariarum Abbatia ſummopere inclareſcebat ſub Sancto Abbate Aldrico, Senonenſi poſtea Archiepiſcopo, qui inibi diſciplinæ regularis vigorem revocavit. Ipſe ad Fuldenſes ſcholas Lupum ſui Cœnobii Monachum direxit, ut S. Scripturæ operam daret præeunte Rabano Mauro. Cum vero Ferrarias rediiſſet Lupus, quas Fuldæ didicerat ſcientias in ſuo Cœnobio tradidit, diſcipulumque habuit Herricum, qui deinde in Cœnobio S. Germani Antiſiodorenſis, ubi in Monachorum cœtum adlectus fuerat, Magiſtri munus obiit. Non obſtabant ſtudia, quominus Ferrariarum ſodalitas ab omnibus ſumma veneratione coleretur ſub Abbatis Lupi regimine, teſte Hildegario Epiſcopo Meldenſi, ſcriptore contemporaneo in S. Pharonis vita.

Digitized by Google

ta. *Cœtus Monachorum in Chriſto cum illo toto orbe eſt venerandus.* Silentio prætereo alia Cœnobia, quæ in meo Tractatu commemoravi, ut pauca de Cluniacenſi & Beccenſi loquar.

Abbatia Cluniaci, a qua cætus ille illuſtris denominatus fuit, Balmenſi ortum debet, quam S. Berno fundaverat, jubens eandem ibi ſervari diſciplinam, quam S. Benedictus Anianenſis in pleriſque Cœnobiis conſtabiliverat. S. Odo Turonenſis Canonicus, poſtea Cluniacenſis Abbas alter a S. Bernone, cum in Balmenſe Aſceterium ſeceſſiſſet, ſecum eo *centum volumina librorum* comportavit, & *quia erat vir ſcholaſticus, laborioſum ſcholæ Magiſterium ſibi impoſitum* exercuit, ut narrat Joannes ejus diſcipulus.

Judicet nunc Lector, an D. Abbas ſilentium Udalrici, quem ipſe Waldericum appellat, jure nobis obiiciat; ait quippe hunc Scriptorem in quodam opere a ſe compoſito de Ritibus Cluniacenſibus, ſcholarum hujus Abbatiæ non meminiſſe. Si enim S. Berno in ſuæ Reformationis exordiis, adeo enixe ſtudia literarum excoluit cum in Balmenſi Cœnobio adhuc verſaretur; eadem certe haud leviori cura tractavit cum eſſet Cluniaci. Præterea S. Udalricus haud obſcure ſignificat, quam accurate ingenia adoleſcentum Cluniaci expolirentur, dum filios Regum nihilo melius educari ait, quam iſtos adoleſcentes. Quæ vero Petrus Damiani de ſacrarum Precum prolixitate narrat, nihil contra nos faciunt. Nam præterquamquod hic Ritus Cluniaci tantummodo ſervaretur, aliquatenus eximi poterant adoleſcentes ſtudii cauſa, ut vel hodie apud Cluniacenſes ipſos fieri ſolet. Nemini de hac re dubium erit, ſi Magnus Abbatum, Epiſcoporum, Cardinalium, & Summorum etiam Pontificum, qui ex hoc illuſtri Cœnobio prodierunt, numerus reputetur.

pag. 80. & 5.

Unum verbum de Beccenſi Monaſterio dicam, celebri illo ſcientiarum Lyceo, ad quod Clerici itidem ac Monachi undique confluebant, ut duce Beato Lanfranco ſtudiis operam darent. *Excellens ſiquidem fama ...... nobiliſſimos quoſque Clericorum ad eum de cunctis mundi partibus agebat.*

Eadmer. in Vita S. Anſel.

Beatus Herluinus, qui ejus fundator, & primus Abbas extitit, B. Lanfrancus ejuſdem Prior, poſteaque Archiepiſcopus Cantuarienſis; hujus diſcipulus Sanctus Anſelmus, adeo vitæ ſanctimonia excelluerunt, ut ipſi ſoli Monaſticorum Studiorum Apologiam faciant.

Hic non iterabo quæ in meo Tractatu attuli circa Monachos Chartuſienſes, & Ciſtertii Reformationem, ubi ſtudia communia ideo minus in uſu erant, quod ibi fere non reciperentur niſi viri adulti, ſtudii privati plerumque capaces, ut poſtea videbimus.

Ut ea hic concludam, quæ in poſtremis hiſce Articulis diſſeruimus, non abs re erit ita ratiocinari. Pro certo eſt, jam inde a Sancti Benedicti temporibus erudiendi pueros uſum in Monaſteriis viguiſſe. Rogo quibus momentis probare nobis poſſit Dominus Abbas, praxim eoſdem erudiendi quam in Anglia Benedictus Biſcopus ſequutus

eſt,

Digitized by Google

eſt, quamque e plnribus Italiæ Monaſteriis didicerat, ab antiqua Sancti Benedicti plane fuiſſe diverſam? Certus ſum, eum numquam firma argumenta ad hanc rem probandam allaturum. Conjecturam ergo facimus hanc Benedicti Biſcopi praxim etiam Sancti Benedicti ætate uſurpatam fuiſſe, cum nullæ ſuppetant in contrarium rationes, & cum viri ſancti temporibus S. Benedicti proximis iſtud ex animo crediderint.

Veriſimile-ne eſt, de hac re Domino Abbati magis eſſe exploratum quam Sancto Benedicto Biſcopo & Sancto Benedicto Anianenſi, a quibus fuerat accuratiſſime perpenſa? Eſto in Regula id non contineatur; at in ea nequaquam eſt interdictum; juxta vero Sanctæ Thomæ, Pontificum & Conciliorum ratiocinium, quod in Regula expreſsè interdictum non eſt, proculdubio debet eſſe permiſſum. Ea quæ priſci illi Abbates Sanctitate inſignes paulo poſt Ordinis initia uſurparunt, ceu ab ipſomet Sancto Benedicto inſtituta & tradita, jure merito præſumendum eſt fuiſſe ab eodem S. Patriarcha revera inſtituta & uſurpata. Præjudicium omnino nobiſcum facit. Æquum vero non eſt, ut ſe quidem D. Abbas probandi onere eximat, in nos autem totum transferat.

Quod ſi priſcis illis ſæculis alumni Ordinis Sancti Benedicti Grammaticam atque omnes alias ſcientias ad *Sacræ Scripturæ intelligentiam*, quæ erat illorum temporum Theologia, neceſſarias docebantur; omnino ſequitur, earumdem ſcientiarum ſtudium nobis quoque nunc eſſe permittendum.

ARTICULUS XIII.

Ponderantur difficultates, quæ occurrere poſſunt circa dicta in Articulo præcedenti.

PRovideo animo, quid dicturus ſit D. Abbas: videlicet ſe ad ea quæ Superiori articulo tradidimus anticipatò reſpondiſſe: quamquam ediſſerendi modus, & per ſingula diſcurrendi ratio ab iis, quæ in meo Tractatu non niſi obiter dicta ſunt, penitus differant. Nunc denique dici non poterit, cum aliqua ſaltem veri ſpecie, exemplum Bedæ Venerabilis ſingulare eſſe, cum illum omnes ſcientias docuiſſe, quas prius ab aliis Monachis didicerat, adnotaverimus.

Nihilo magis proderit adverſarii cauſæ, ſi reponat, ſtudia illa, diſciplina ordinis collabente, fuiſſe inſtituta, nimirum octavo & nono ſæculo; cum oſtenderim, omnium ordinatiſſimas, & ſtrictiori diſciplinæ maxime congruentes fuiſſe illas Abbatias, in quibus magnopere ſtudia literarum florebant; econtra vero in profundiſſima jacuiſſe ignorantia illas, in quas diſſolutio & Regulæ contemptus irrepſerant: indicio eſſe poteſt Cœnobium S. Dionyſii, ubi, antequam a Ludovico Pio reformaretur, vel ipſa Monaſterii Regula erat incognita. Propte-

prterea quidquid generatim in Reſponſione dicitur de corruptela & diſſolutione, quæ in omnia paſſim Monaſteria, ut præſumitur, influxerat, non officit recto ordini puræque diſciplinæ illorum quæ a me commemorata ſunt; niſi duorum alterum demonſtretur: aut Cœnobium Fuldenſe in ſuis exordiis, Anianenſe ſub S Benedicto ejus Abbate, Corbeienſe ſub S. Adelardo & Wala ipſius fratre, Cluniacenſe ſub S. Odone, Beccenſe ſub B. Herluino & S. Anſelmo, in diſſolutione fuiſſe: aut exploratum ſaltem & compertum fuiſſe, quod ſtudia Regulæ & antiquæ puræque obſervationi adverſarentur, ſed nullam aliam ſuccurriſſe probabilem rationem res *in priſtinum ſtatum* revocandi. Quæ cauſa fuit, prout aſtruit D. Abbas, cur inter alios S. Benedictus Anianenſis *procuLdubio invitus a priſcis conſuetudinibus & exercitiis deſciverit; & loco manualium laborum, quibus primi S. Benedicti diſcipuli operam dabant, Monachos ad ſtudia compulerit Grammaticæ & Orthographiæ, ut libros tranſcriberent, & exemplarium numerum augerent, non modo ad privatum ipſorum uſum, ſed etiam ad publicam utilitatem, inhærendo Decretis, quæ Imperator nuper ediderat.* pag. 84.

Haud equidem puto D. Abbatem propugnaturum, Cœnobia, quæ memoravimus a recto diſciplinæ ordine in diſſolutionem prolapſa eſſe, cum a ſanctis illis Abbatibus regerentur: mihi enim facile eſſet oſtendere, Monachos Anianæ non minus ordinate atque ad inſtituti leges vitam egiſſe, quam nunc agant Trappæ Monachi. Neceſſe erit igitur, ut alterum probet quod poſtremo adduximus. Sed ne hoc quidem ullis momentis evinci poteſt. Nam ſi S. Benedictus Anianenſis hac in Monachos ſui temporis indulgentia fuit, profecto dicendum eſt, aut eum priſcam Monaſtici Ordinis circa ſtudia conſuetudinem ignoraſſe; aut cum eam noſſet, reſtituere non potuiſſe; aut cum potuiſſet, noluiſſe.

Horum vero trium capitum nullum arbitror ſuſtineri poſſe. Et quidem priſcam conſuetudinem non ignoravit. 1. quod fonti propior quam nos ſimus, priſci moris notitiam commodius haurire potuerit. 2. quod priſcorum Monachorum antiquas Regulas & exercitationes diligentiſſime inveſtigaverit, ut Reformationis conſilium propoſito hoc typo exequeretur.

Quod ſi dicatur noviſſe ille quidem antiquam Cœnobiorum circa ſtudia praxim, reſtituere autem non potuiſſe, idoneis argumentis probanda res eſt. Demonſtrandum, ſanctum hunc Abbatem aliquatenus conixum fuiſſe ut ſtudiorum uſum aboleret, ſed irritos fuiſſe illius conatus, proptereaque, licet invitum, labori manuum ſtudium ſubſtituiſſe. Utrumque vero nullo pacto ſuſtineri poteſt. Tantum enim abeſt ut mens illi fuerit ſtudia abolendi, ut potius in iiſdem locis in quibus ea penitus negligebantur, certa ordinataque methodo & diſpoſitione revocaverit; imo & in Monaſteria recens, ut ab illo regerentur, fundata, eadem introduxerit. Fac illum ſtudia literarum recto ordini contraria exiſtimaſſe; nonne facillimum fuiſſet ſine ſtudiorum ope rectum ordinem reſtituere in iis Cœnobiis quæ a priſca diſciplina de-

Digitized by Google

deſciverant; vel, ſi ſermo ſit de recens fundatis, quorum diſciplina ab ipſius nutu & conſilio omnino pendebat, quid commodius quam ibi ſtudiorum praxim non introducere? At neutrum horum fecit, imo penitus oppoſitum.

Supereſt itaque, quod noluerit; quod ne cum minima quidem veri ſpecie dici poteſt de eo viro qui ſanctitatis laude adeo fulgebat, ac reſtituendæ Regularis obſervantiæ tam incenſo zelo flagrabat, ut ſua ætate quaſi alter S. Benedictus haberetur, teſte Theodulpho Aurelianenſi Epiſcopo. Hiccine vir ſtudia primitivo S. Benedicti ſpiritui contraria eſſe crediderit, & nihilominus ea poſtquam collapſa fuerant, de integro ſtabilire voluerit?

Sed ut pateat, quam longe abſit a veritate, ſtudia illum labori ſubſtituiſſe, & tranſcribendis libris omnem laborem incluſiſſe, ſat ſuperque erit legere vitæ ejus hiſtoriam, & Concilium Aquiſgranenſe, cujus ipſe præcipuus auctor & moderator fuit, evolvere: jamque omnibus fiet perſuaſum, illum non minori zelo flagraſſe ut opus manuale ad antiquam obſervationem reduceretur, quam ut ſtudia refloreſcerent.

In ejus vita hæc legimus: *Cum arantibus ipſe arabat, cum fodientibus ſocius erat, cum meſſoribus metebat:* Et quamvis Occitaniæ Regio, in qua Aniana ſita eſt, maximis æſtibus ſit obnoxia, Confratribus ſuis & ſibi ipſi vix aquæ cyathum extra prandium indulgebat, quo ab hoc labore aliquantulum recrearentur. Coniiciantur oculi in Monaſterium Gellonenſe, quod ejus auctoritate & gratia erectum fuerat, atque ejus Reformationi ſubiectum. Erit ibi obvius Princeps, exercitus Caroli magni Imperator, S. Gulielmus ejuſdem Monaſterii fundator, officium piſtoris exercens, & viliſſima quæque Communitatis exercitia peragens.

Lubetne ſcire quid circa Regulæ diſciplinam & ſpeciatim circa opus manuale in Conventu Aquiſgranenſi fuerit ordinatum? Primo „ capitulo ſtatutum eſt, ut Abbates, mox ut Monaſteria ſua remea- „ verint, Regulas per ſingulas ſententias diſcutientes pleniter legant, „ & intelligentes Domino opitulante efficaciter cum Monachis ſuis „ implere ſtudeant. Quod ſpectat ad laborem manuum, capitulo „ quarto ſtatutum eſt, ut in coquina, in piſtrino, & in ceteris artium „ officinis, propriis operentur manibus, & veſtimenta ſua opportu- „ no tempore ipſi lavent. Capit. 17. ut occupentur Fratres, ſi neceſ- „ ſitas poſtulet, ad colligendas fruges. Denique capit. 29. ut in Qua- „ drageſima uſque ad Nonam operentur Fratres, quatenus Miſſa ce- „ lebrata congruo tempore reficiant.

Poſt adeo luculenta teſtimonia, dici ne poterit, S. Benedictum Anianenſem *a priſcis conſuetudinibus deſciviſſe*, & loco manualis operis *Monachos ad ſtudia compuliſſe?* Et quamquam verum eſſet, Ordinationes, quæ ipſo auctore in Conventu Aquiſgranenſi factæ ſunt, ubique fideliter non fuiſſe ſervatas, hoc nihil impedit, quominus ipſe eximio quoad neceſſe erat zelo flagraverit diſciplinæ puritatem reducendi:

Quod

Quod ſi pervidiſſet, ſtudia literarum ſpiritui S. Benedicti, quem nemo melius illo noverat, adverſari, profecto aliquid etiam contra ſtudia decreviſſet.

Non ſum neſcius, in quodam fragmento hiſtorico Concilii Aquiſgranenſis legi: quod *propter boneſtatem Sacerdotii*, quo jam tum plerique Monachorum initiabantur, ſtatutum fuerat ut ii a gravi labore eximerentur. Sed hujus fragmenti, in quo multa a veritate aliena ceteroqui continentur, nulla eſt habenda ratio poſt adeo manifeſtas & oppoſitas auctoritates, quas ſupra retulimus.

Apprime igitur certum & inconcuſſum manere debet, ſtudia reſtituta fuiſſe in ordinatiſſimis Monaſteriis octavo & nono ſæculo juxta veterem uſum, quem animadvertimus in Angliæ Cœnobiis; illum, inquam, uſum, quem S. Benedictus Biſcopus a celeberrimis Galliarum & Italiæ Monaſteriis didicerat, in quibus a S. Benedicto, a cujus ætate non niſi uno ſæculo diſtabant, uſus ille contraditus procul dubio vigebat.

Atqui parum probabile videtur (dixerit aliquis) S. Benedictum ſuis Monachis ſtudia voluiſſe permittere, cum ipſe *non modo ſcientiam procul-* *pag.* 106. *caverit, ſed & quodammodo ignorantiam publice profeſſus fuerit*.

Hoc verbum a D. Abbate effluxiſſe vix credo; quippe qui honore & reverentia quam fieri poteſt maxima S. Benedictum proſequitur; vereor autem ne multi durius id dictum graventur, ac fortaſſe etiam religioſiſſimo viro indignum putent. Sanctus quidem Gregorius de S. Benedicto memoriæ prodidit, quod a ſæculo receſſerit *ſcienter neſcius & ſapienter indoctus*: at hæc non ſignificant, eum poſtquam receſſerit *publice ignorantiam profeſſum fuiſſe*.

Contemni poteſt ſcientia, proculcari etiam poteſt, quin publice ignorantiam profiteamur. Et revera doctiſſimus quiſque ea quæ didicit parvi pendere debet, ſi cum ſcientia ſalutis comparentur. Abrenunciare poteſt, imo & quandoque debet quibuſdam ſtudiis, quibus excellit, ſi ſibi offenſionis & lapſus occaſio fuerint. Denique inanem ſcientiæ gloriam contemnere debet, quin propterea palam inſcitiam profiteatur. S. Benedictus cum Romæ ſtuderet, deprehendit juvenum conſuetudine atque diuturna in magna illa civitate commoratione creari ſibi ſeductionis & a Deo averſionis periculum. Ideo ſtudia reliquit, non propter ipſa, ſed propter ipſorum circumſtantias. Sequitur-ne ex hoc, ut ipſe ignorantiam palam quodammodo profeſſus ſit? ipſe, inquam, cujus Regula, teſte S. Gregorio adeo ſcite & luculento ſermone compoſita eſt. Sequitur-ne ex hoc, quod poſtea in ſuo receſſu nequaquam ſtuduerit? cum ipſe non ſolum ad legendas Sacras Scripturas, ſed etiam ad evolvenda opera Patrum ſuos Religioſos exhortetur; cum denique ipſe *Scripturarum ſcientiam abſolutiſſimè calleret*, ſi D. Abbati credimus. *pag.* 58.

Sine ullo itaque legitimo fundamento aſſeritur, *S. Placidum ſtudiis parum imbutum fuiſſe; & S. Maurum nihil amplius doctrinæ retinuiſſe; quæ* *pag.* 112. *vero de ſtudiis montis Caſſini a me dicta ſunt tanti non eſſe ut aliquem morentur*.

Mihi enim videntur adhuc minus morari nos poſſe Conjecturæ, quæ in Reſponſione afferuntur, ad probandum aſſertum de inerudito ingenio S. Placidi, nimirum *ex modo rudi & ſimplici quo ſuos diſcipulos inſtituebat*. Hujus, ſicut ne S. Mauri quidem, nullum ingenii fœtum habemus; at vel illud certum eſt, ex præſcripto S. Benedicti, a quo uſque ab infantia enutriti fuerunt, didiciſſe illos prima elementa ſcientiarum, nempe legendi & ſcribendi uſum; ac Latinæ linguæ, quæ in Italia jam tum corrupta admodum erat, præceptis & exercitatione fuiſſe eruditos; poſtea vero lectioni & ſtudio ſe adiunxiſſe eorum librorum, quos S. Benedictus in ſua Regula permittit. Quidquid id eſt, D. Abbas, ut ſibi libuerit, indigitet: ego quidem ſtudia appellavero. Et quocumque tandem nomine nuncupetur, ſatis erit ad ea confirmanda, quæ de Caſſinati Cœnobio a me dicta ſunt. Præterea cum S. Benedictus Diaconatus ordine S. Maurum inſignire voluerit, non alienum eſt a ratione credere, fuiſſe illum ſcientiæ Eccleſiaſticæ ſtudio eruditum, quo huic miniſterio idoneus redderetur.

Hanc tamen de S. Mauro nimis abiectam opinionem æquiori ferremus animo, niſi plura addidiſſet D. Abbas, exhibuiſſetque nobis hunc virum, quaſi illum, qui *cum in Gallias perveniſſet plura Regulæ capita magni momenti immutavit*. Cujus dicti aſperitatem ſtatim lenivit ſubjungens, *æquis rationibus & conſiliis ad illa immutanda fuiſſe compulſum, prout refert Petrus Cluniacenſis*.

Ego quidem ea, quæ Petrus Venerabilis Cluniacenſis Abbas dixit, omittere maluiſſem, quam me adeo acerba in S. Maurum criminatione onerare. (*Pet. Ven. l. 1. Epiſt. 28.*) Petrus Venerabilis cum ſe a Monachis Ciſtercienſibus acriter urgeri videret, eo quod Cluniaci manuale opus negligebatur, nititur ſe tueri exemplo S. Mauri, qui in Gallias delatus, Monaſterio jam egregie fundato, duxit ſe poſſe Monachos labori eximere, ut ad ſpiritualia exercitia unice incumberent. (*Id. l. 4. Epiſt. 17.*) Idem Petrus Cluniacenſis alio loco narrat, S. Maurum alia plura in Regulæ praxi immutaſſe. Æquius profecto fuiſſet a Petro Venerabili ſciſcitari, quem ſuæ aſſertionis auctorem haberet (neque enim veriſimile quod ille narrat mihi videtur) quam in illius verba jurare, & de S. Mauro minus benigne ſentire; maxime cum credibile valde ſit, Petrum non niſi ex conjecturis id affirmaſſe; ut plerumque ſolent ii, qui cum ab adverſariis graviter urgentur, quidvis arripiunt quo ſe expediant.

Sed utcumque iſta certa eſſent & explorata, jure nihilominus videmur dicere poſſe quod alibi ait D. Abbas; nimirum id quod de S. Mauro narratur *mereri magis ut de memoria excidat quam ut allegetur*. At multo minus opportunum erat, ut hoc loco adduceretur, ubi D. Abbas (*Pag. 204.*) magna ſtudiorum incommoda oratione auget, oſtenditque *quid ex his mutationibus & variationibus diſciplinæ ſequutum ſit; quod nempe relicta Regulæ litera, quæ quaſi agger & munimentum quoddam abuſus & relaxationes arcere debebat; hac ope deſtituta pietas diutius ſtare non potuit, & cito Religio in Clauſtris concidit*. Hoc enim idem ferme eſt, ac ſi diceretur, S. Maurus, qui *unus fuit ex primis & præcipuis S. Benedicti diſcipulis*, primus quoque fuiſ-

ſe Re-

Digitized by Google

ſe Regulæ prævaricator, non modo ſtudia introducendo, quod viro *iiſdem parum imbuto* neutiquam convenit, ſed etiam per has mutationes occaſionem præbendo abuſibus & relaxationi, unde pietas & Religio intra Clauſtra defecit; quod adhuc minus illi honorificum eſt. Illud ergo ultimum reſtat, ut ſtudia invexerit *æquis rationibus ſapientibuſque conſiliis*; atqui eædem omnino rationes, eadem motiva, neceſſitatis, utilitatis, imo & obedientiæ, quam Eccleſiæ debemus, ad retinenda ſtudia noſmetipſos impellunt, illius exemplum ſectantes, quem alterum a S. Benedicto patrem nobis eſſe cognoſcimus.

ARTICULUS XIV.

Ejuſdem argumenti continuatio: ubi de Caſſiodoro, de Lupo Ferrarienſi, & de Sancto Anſelmo diſſeritur.

QUandoquidem adeo male cum S. Mauro in Reſponſione actum eſt; non eſt cur miremur, quod de Caſſiodoro pæne nulla ibidem habita ſit ratio. Egregium ſane quamquod maxime argumentum nobis ille ſuppeditaverat ſtudiorum, quæ ſuo ævo a Monachis excolebantur, in ſuo de Inſtitutionibus divinarum lectionum libro; ubi Religioſis Cœnobii Vivarienſis, cujus ipſe fundator, & poſtquam mundo valedixerat, moderator etiam fuit, omnigenarum ſcientiarum volumina proponit, & commendat; quorum ſtudium intelligendæ Sacræ Scripturæ conferre poteſt. Nihil diſertius & clarius uſpiam occurrerat: ipſius vero auctoritas eo magis valere debuerat ad eorumdem ſtudiorum conſuetudinem in noſtris Monaſteriis vindicandam, quod S. Benedicti ætate vixerit.

Sed infeliciter accidit, ut fuerit *homo aulicus, qui mundi frequentiam fugerat in ſolitudine victurus. Porro ne diſcipuli, quos erudiebat, pravas mirent vias, & ne Monachorum, quos ante oculos habebant, diſſolutiones ſequerentur, opus eſſe duxit ut illos omni genere lectionum occuparet. Oratio quam fudit Deo, rectitudinem mentis ejus oſtendit; at dici poteſt, illam cum diſcretione & lumine nondum fuiſſe conjunctam;* & ideo *tanti non eſt ut audiatur.* pag. 52.

Dici iſta poſſunt, & reapſe dicuntur; at eadem nihil vetat quominus, vel cum majori fundamento, negemus. Mirum id profecto atque inſolens eſt, quod improbari ſtudia Monaſtica non poſſint, niſi ſimul maximorum virorum famæ derogetur, & nullum tempus expers corruptionis fuiſſe innuatur. Qui ita ſe gerit, idoneis ſe deſtitui argumentis oſtendit; quippe unicum aut ſaltem præcipuum & magis commune illud eſt, quod ſtudia tunc in uſu erant; hoc vero nihil aliud eſt quam pura petitio principii. Ut mittam quæ ait Reſponſionis auctor de S. Epiphanio, de Palladio, de Evagrio, aliiſque doctis viris Orientalis Eccleſiæ; cogitur aſſerere, S. Benedictum *ignorantiam*

quodammodo palam profeſſum fuiſſe: S. Maurum *in multis capitibus* a Regula deſciviſſe: S. Benedictum Anianenſem *primitivas Regulæ exercitationes*
pag. 114. *reliquiſſe, ſtudia inſtituendo*. Lupum Ferrarienſem *humaniorum literarum amo-*
& 115. *re fuiſſe quidem commendabilem; ſed ſatius eum facturum fuiſſe ſi in clauſtri receſſu propria & mundi peccata fleviſſet, ac ſuos ferreo illo ſæculo fratres conſolidaſſet*. Denique, ne multis morer, cum ego pro Virgilii lectione S. Anſelmi teſtimonium attulerim; *quod de S. Anſelmo traditur magis meretur ut de memoria excidat, quam ut allegetur*. Si ut ſtudia impugnentur maximis viris detrahendum eſt, nos quidem malumus ſtudiis inſiſtere, quam majores noſtros male excipere, vel eorum exemplum auctoritatemque contemnere.

Ut ad Caſſiodorum revertar; verum quidem eſt, aulicum eum fuiſſe, at gravem tamen & ſapientem virum, virtutiſque amantem, cujus fides in Aula Regis Ariani, apud quem auctoritate & gratia plurimum valebat, nunquam potuit labefactari. In Aula ita fuerat verſatus, ut nunquam aſſentatione veritatem compreſſerit, aut juſtitiam prodiderit. Delitias & ſæculi vanitates faſtidiens, ſeceſſit in Monaſterium quod ipſe fundaverat, veſtigiis inhærens Benedicti, Equitii, & aliorum plurimorum, qui, teſte S. Gregorio Magno tunc in Italia florebant. Vetant tanti viri virtus & ſapientia, ne putemus eum ſtudia invehendo aliquid feciſſe regulari diſciplinæ contrarium, aut quod ſaltem in ordinatiſſimis Cœnobiis contrarium crederetur; & æquè parum rationi conveniens eſt dicere, quod caruerit *diſcretione & lumine*, indeque inferre, *quod audiendus non ſit*; quam hac ſuper re judicio ſtare D. Abbatis, qui nihil aliud habet ei exprobrare, niſi quod in Aula vixerit, quodque *mundi opiniones & mores* nondum depoſuerat, ſtudia ſcilicet amare pergens, quæ pleroſque ſæculi viros haudquaquam ſane delectant.

Mihi dubium non eſt, quin Caſſiodorus a Vener. Abbate Dionyſio Exiguo ſui amantiſſimo & perfamiliari, ſanctiora vitæ regularis exercitia didicerit; cum quo Dialecticæ una ſtuduerat, ut in ſuo libro Divinarum Lectionum ipſe teſtatur. Tanta hic liber pietate redolet, & tam magnum Divinæ Scripturæ amorem & cultum præfefert, ut ipſe ſolus ſufficiat ad delendam minus æquam opinionem, quæ de Caſſiodoro concipitur: pauci enim Monachi, vitæ Monaſticæ officiis vel exercitatiſſimi de eodem argumento diſſerere poſſent tam devotè & ſpiritualiter, quam in hoc opere diſſeritur. Eadem obtinet pietas in toto ejus Commentario in Pſalmos, quod Commentarii S. Auguſtini eſt quoddam excellens quaſi Compendium, & in quo adeo elegantem ſtatus Monaſtici notionem exhibet, ut plane oſtendat ſe ex abſolutiſſima rei peritia loqui; non quaſi aulicum, qui mundi opiniones & mores nondum depoſuerat. De Caſſiodoro iterum verba faciam in progreſſu operis. Interim hæc ſint ſatis ad eum purgandum, & ejus cauſam tuendam contra Auctorem Reſponſionis.

Nihilo minus a veritate abludit ſpecies, ſub qua Lupum Ferraria-
Pag. 114. rum ob oculos ponit. Si hunc illuſtrem Abbatem nulla res præter *lite-*

rarum amorem, & humanarum ſcientiarum ſtudium commendaſſet, aliqua ſubeſſet cauſa, cur Religioſis noſtri Ordinis in exemplum minime proponatur: ſed cum parem ſibi pietatis & ſolidæ doctrinæ exiſtimationem acquiſiverit, mirum eſt profecto, quod nobis ille quaſi nullius pretii literator exhibeatur, qui nihil aliud mente volvebat quam Ethnicorum libros. Ejus Epiſtolæ, quæ a doctiſſimis viris magni æſtimantur, anſam dederunt D. Abbati, ut ſcriptoris auctoritatem apud Lectores minueret; cum tamen legi nequeant, quin magna in tantum virum veneratio animo concipiatur.

Quamquam vero nihil aliud cum illo faceret, quam exiſtimationis in qua apud homines ſui temporis fuit, ſuffragium & favor, id unum ſatis eſſet ut de illo quiſque noſtrum egregie ſentiret. Cum de mittendo ad Romanum Pontificem prudenti viro pro gerendis magni momenti negotiis ageretur, Carolus Calvus illum adhibuit. Ejus ætate nullum inibatur Concilium, cui non intereſſet, ut patet ex ejus Epiſtola 60. & ex aliis pluribus. Cujuslibet vero Concilii ipſe moderator erat & ſcriba; & ab ipſo compoſiti fuere Canones Concilii Vernolienſis anni 844. Quid ſapientius & elegantius Epiſtola 84. quam ipſe Epiſcoporum Galliæ nomine ſcripſit ad Nomenoium Brittaniæ Ducem, ut eum a vitæ intemperantia & crudelitate averteret. Epiſtola Synodica (115.) ad Ercanraum Pariſiorum Epiſcopum ab illo fuit exarata, pariter ac illa nunciatoria, quam Clerus Pariſienſis de hujus Præſulis morte ad Metropolitem & Provinciæ Epiſcopos miſit; & ab iiſdem quoque Epiſcopis de Aeneæ electione ad eumdem Clerum ſcribere juſſus eſt: Quæ major in virum aliquem honoris & exiſtimationis ſignificatio exhiberi poteſt.

Vir gnarus (inquies) latine ſcribendi fuit; ideo hæc illi committebantur. At quam egregia nobis ſuppeditat ejus doctrinæ argumenta liber ab eo compoſitus de tribus πολυθρυλλήτοις quæſtionibus, quæ illa ætate totam Eccleſiam Gallicanam ſcindebant. Cui addenda eſt Epiſtola 128. de eodem argumento ad Carolum Calvum miſſa; ac demum Epiſtola 30. quam ad Goteſcalcum ſcripſit de quibuſdam ſcrupulis circa S. Auſtuginum.

Verum ut innoteſcat quæ fuerit ejus de ſtudiis humanarum literarum ſententia; legeſis Epiſtolam 35. in qua conqueritur, quod viri literati ſui temporis veræ ſapientiæ injuriam facerent, nullum alium ſibi proponentes ſtudiorum ſuorum fructum quam orationis candorem, morum puritate neglecta: *Etenim plerique cultum ex ea ſermonis quærimus; & paucos admodum reperias, qui ex ea morum probitatem, quod longe conducibilius eſt, proponant addiſcere*. Quo vero de illius humilitate abunde nobis perſuadeatur, ſat erit legere Epiſtolam 41. Denique incenſi pietatis & Religionis ſtudii, quo ille flagrabat, clariſſimum exemplum petendum eſt ex ejus Epiſtolis ad Carolum Calvum ſcriptis, ſcilicet 64. 93. & 96. ac 126. ad Venilonem Metropolitem ſuum, ut eos ad officium compellat. En paucis qualis fuerit hic *Monachus*, ſive hic Grammaticus.

Quid

Digitized by Google

Quid eſt igitur quod in ſuis Epiſtolis non meminit niſi de libris ſtudiorum liberalium? Auctor quidem Reſponſionis nihil de eo citavit, quam quod ad hoc librorum genus ſpectat: at ſi cum illo æquius actum fuiſſet, comperiſſemus non minus illi curæ & ſtudii fuiſſe circa opera Sanctorum Patrum. Legantur Epiſtolæ 37. & 62. ubi loquitur de S. Hieronymi & Vener. Bedæ Commentariis in S. Scripturam: Epiſtola quoque 103 quam ſcripſit ad Benedictum III Pontificem, duos ei commendans Monachos quos Romam mittebat de ritibus & moribus primæ Orbis Eccleſiæ edocendos, ut ſe ad illius diſciplinam componeret, nihil putans rationi convenientius eſſe, quam cum ea Eccleſia vel in hoc conſentire, a qua reliquæ omnes, ut ipſe ait, primitias fidei acceperunt. In hac eadem Epiſtola rogat Pontificem, ut ad ſe mittat Commentarii S Hieronymi in Hieremiam partem quæ ſibi deerat, & quoſdam etiam humaniorum literarum libros, qui Dom. Abbati tam acerbæ in illum criminationis anſam dederunt. Animadvertendum denique eſt, quomodo ſcriptis Sanctorum Patrum utatur in ſuo de tribus Quæſtionibus libro, & ſpeciatim S. Auguſtini auctoritate in ſua Epiſtola 96. ad Carolum Calvum, ut illum exhortetur ad tollendum de ſuo Regno juriſjurandi abuſum, qui tunc inoleverat.

Ceterum ſi de colligendis prophanis auctoribus, qui in ſua Bibliotheca deſiderabantur, adeo fuit ſollicitus, deque hac re ad Pontificem, ad Epiſcopos, & alios ſpectabiles viros ſcripſit; id quidem argumento eſt, ſtudiorum uſum in ejus Monaſterio fuiſſe, quem neque Pontifices, neque civiles Poteſtates improbarint; minime vero illum *otio abundaſſe* ut tempus in hiſce ſtudiis impenderet. Sed revera hinc apparet, quam illi curæ eſſet, ut Monachi erudiendis juvenibus occupati, puros & melioris notæ ſcriptores illis traderent; id vero non impediebat quominus *pro religione ſanctitatis* ipſe tamquam excellens Præſul haberetur, ac ejus Cœnobium ex duobus & ſeptuaginta Monachis conflatum maxima celebritate & veneratione apud omnes eſſet, teſte Hildegario Meldenſi Epiſcopo ejus contemporaneo: *Paſtor modo pro religione ſanctitatis in Monaſterio famoſiſſimo Ferrarienſi, ubi cœtus Monachorum in Chriſto cum illo toto orbe eſt venerandus*. Idem auctor refert hoc loco, Lupum a periculoſiſſimo morbo relevatum S. Faronis precibus & interceſſione, ſeque id ex ipſo Lupo audiviſſe; atque hinc eſt fortaſſe quod ſibi *Servati* cognomen impoſuerit, in grati animi monumentum. Inter hujus magni viri diſcipulos claruit Ado Viennæ Archiepiſcopus, cui debet Eccleſia Martyrologium, atque alia ſcripta, quæ ſatis oſtendunt, Lupi ſollicitudinem & diligentiam ad alia ſpectaſſe quam ad literarias quæſtiones. Talis fere extitit Servatus Lupus Ferrarienſis; atque utinam eadem dextra, quæ nobis illius imaginem exhibuit horridiorem, colores & lineamenta huic noſtræ qualicumque formæ addidiſſet. A qua tamen, utut rudis fuerit & invenuſta, non aberit ſaltem decor veritatis.

Facile patebit ex iis quæ in hoc & Superioribus articulis ediſſerui, tamquam ex ſpecimine quodam, nonum & octavum ſæculum non

fuiſſe

fuiſſe ita fœda & corrupta, ut D. Abbas contendit fuiſſe. Omnino convinci poſſumus Sanctorum noſtri Ordinis Acta legentes, duobus hiſce ſæculis æque magnos viros floruiſſe, quam alias umquam in noſtro Ordine floruerint. Sancti Bonifacii & ſociorum ejus in Germania Apoſtolatus, atque eorum populorum ad fidem converſio: Miſſiones Sanctorum Wlfrani, Willebrordi, & Wilehadi in Friſia atque alibi: Sancti Anſcarii & S Remberti in Svetia & Dania, ac finitimis Provinciis: Fuldæ, Fritislardi, Corbeiæ in Saxonia Cœnobiorum fundationes: alia plura inclyta Monaſteria quaſi quædam coloniæ ad ſervandam & promovendam in his regionibus fidem, erecta: Magnus celeberrimorum Sanctorum numerus, qui inde & ab omnibus Eccleſiæ Latinæ partibus prodiere; apertiſſime oſtendunt, hæc ſæcula Monachis noſtris fuiſſe ſæcula benedictionis. Quod ſi barbari & infideles populi depopulatis provinciis, ac Monaſteriis direptis vaſtitatem alicubi intulere, Deus eodem tempore eduxit inde viros zeli & ſcientiæ plenos, qui collapſa reſtaurarunt, & inolitas diſſolutiones ac deformitates emendarunt.

Non ſum neſcius, ut nullum ſine aliqua perturbatione ſæculum fuit, duo illa quoque, de quibus agimus ſuas tuliſſe labes & ruinas. In cauſa fuere bella, & incurſiones Saracenorum, direptiones Eccleſiarum & Monaſteriorum Caroli Martelli tempore: Filiorum Ludovici Pii defectio, civilia bella quæ poſt Patris obitum inter ſe exercuere: Normannorum & Hungarorum Gentilium graſſationes: denique corruptio, humanæ naturæ pene cognata, & indivulſe adhærens. Sed ea ſæcula habuere etiam magnos viros, qui præſidium & columen reliquis fuerunt, atque omnem operam, omne ſtudium impenderunt, ut errores evellerent, & collapſa reficerent.

Non una denique facies, ſed bina cuilibet ſæculo contigit, altera quidem ſerena, tenebroſa altera. Si ſæculi fœditatem tantummodo proferamus, non niſi ex parte illud exhibemus; ponere autem lucem tenebras, & tenebras lucem, pariter vetamur. Decimum Eccleſiæ Seculum, utut illud nobis Baronius fædum & horridum ob oculos poſuerit propter diſſolutiones eorum qui S. Petri Cathedram illo ævo tenuerunt, magna edidit lumina in Galliis, Germania, & Anglia; legentibuſque Præfationem quinti noſtri Ordinis ſæculi, perſpicuum fiet, injurios valde huic ſæculo quoſdam fuiſſe, qui præter hiſtoriæ veritatem graviter illud infamia conſperſerunt, ea tantummodo quæ Romæ fiebant aſpicientes, clariſſima virtutum decora, quæ alibi coruſcabant nequaquam advertentes.

Verum enimvero aberrationes a recta diſciplina, quæ tribus hiſce ſæculis intra Cœnobia fuerunt, ſtudio literarum & ſcientiæ Monachorum adſcriptas umquam fuiſſe, nequaquam deprehendemus. Legendum quod ſuper hac re ait Concilium Vernolienſe anni 844 canone 3., qui collapſæ obſervantiæ cauſas exprimit: *In locis ſanctis, hoc eſt Monaſteriis, alios ſtudio, nonnullos deſidia, multos neceſſitate victus & veſtimenti a ſua profeſſione deviare comperimus*. Neque nos nimium ſollicitos habere debet

debet *ſtudii* vocabulum quod hic reperitur; ſatis enim explicatur ab eodem Concilio Canone ſequenti, ubi de quibuſdam Monachis diſſolutis agit, qui hinc & illinc diſcurſantes, & propria etiam veſte depoſita ad ſæculum redeuntes, *cupiditatis cauſa*, proprium inſtitutum *impudenter* dedecorabant; quod nihil aliud eſt quam dedita opera & ex affectata pravitate, (hoc eſt *ſtudio*) male agere. Sed *ſtudii* vocabulum adhuc expreſſius determinatur ex eo quod Concilium hoc Canone 3. exactam quamdam cauſarum diſtributionem facit, quæ ſunt affectata pravitas, (*ſtudio*) *deſidia*, & neceſſitas; ubi ſi *ſtudii* vocem pro literarum commentatione acciperemus, diſtributio ſua exactitudine & præciſione careret. Præterea hæc vox raro abſolute ſumitur in ſignificatione applicationis ad ſcientias, niſi forte aliquo adiuncto vocabulo, verbi gratia *literarum*, ad hanc ſignificationem contrahatur. Quod hic præſertim neceſſe erat, vox enim oppoſita, *deſidiæ* alium ejus ſenſum facile ingerebat. Omnibus his argumentis illud adiiciamus, quod Lupus Ferrarienſis, qui hujus Concilii a Secretis fuit, non fuiſſet procul dubio a Patribus hujus Conventus adhibitus, ut ſibimetipſi dicam ſcriberet, ſtudium literarum damnans, quod ſibi apud eoſdem laudis & meriti titulus erat, fuitque ſemper illius exercitatio præcipua. Non dicam plura de cauſis diſſolutionum, quæ illo ævo in aliqua Monaſteria irrepſerant; de quo argumento plurima ſuppeterent dicenda, quæ nos a propoſito nimium avocarent, quæque cæteroquin cuilibet perſuaderent, ſtudia nullam umquam in re iſta partem habuiſſe.

At quam vellem ſilentio præterire poſſe id quod ſcripſit D. Abbas circa S. Anſelmum, in quem cuperem ut æquior aliquanto fuiſſet. Modo ait, quod *cum ad Epiſcopatum eſſet deſtinatus*, *a via communi*, *Dei nutu*, *receſſerat*, ſtudio Dogmatum & Theologicarum quæſtionum operam impendens. Modo per quemdam quaſi contemptum, ejus opinionem reiicit de Virgilii & aliorum auctorum lectione, quam ſanctus hic vir Mauritio Monacho & diſcipulo permittit, imo & ſuadet. Subjungit itaque D. Abbas: *Quod de S. Anſelmo narratur, meretur magis ut de memoria excidat quam ut allegetur. Quis umquam probet, Monachum, cui ex Regulæ præſcripto Dei judicia jugiter obverſari debent, ita ut oculis & facie humi defixis hæreat, & in aſſidua animi & ſenſuum cuſtodia vivat, legendis Virgilii carminibus occupari, & ſcriptores prophanos evolvere, qui facillime intentionem mentis adeo a Regula commendatam abrumpere atque exturbare poſſunt, imo & notiones ingerere omnino contrarias illis, quas S. Benedictus diſcipulis ſuis conatur injicere*. Exceptis iis, *addit S. Anſelmus*, in quibus nonnulla reperiuntur honeſtati & puritati contraria. *Heu quænam exceptio!*

pag 106.

Non ita reſpondit S. Bernardus, cum ſibi objiceretur Gregorii Pontificis indulgentia erga quemdam ſacrilegum deſertorem, & S. Auguſtini ſententia circa matrimonium, qui illud continentiæ voto anteferre videtur. Ait ergo S. Bernardus: *Et ad hæc nihil ad præſens certius breviuſque reſpondendum occurrit, niſi quod ita ſancti Antiſtites ſapuerunt: recte ne? ipſi viderint &c. certus ſum enim, ſive in ſuo abundaverint ſenſu, ſive in Dei*

Bernar. de Præc. & diſp. c. 17.

in Dei ſpiritu: ſicut & in ceteris ita & in his ambos extitiſſe diſpenſatores fideles, illum in diſpenſando quod præ manibus erat, illum in ſcribendo quod ſenſerat.

Haud aliter dici potuiſſet, S. Anſelmum ſuas habuiſſe rationes cur ita ſentiret. Sed cum eæ nobis ſint incognitæ, quod non intelligimus, damnare non audemus, quamvis ægre in ejus ſententiam eamus. Mihi quidem S. Bernardus nihil gravius dicturus fuiſſe videtur, S. inquam Bernardus, qui nonnulla ſe afferre profitetur *poſt Patres, non contra Patres*. *Id. ſub fin. hom. in Miſſus eſt.*

Difficile tamen non eſt cauſas inveſtigare, quibus adductus S. Anſelmus Mauricio Virgilii lectionem ſuadet, modo ejus Epiſtolam perpendere velimus. Hic Monachus erat magnæ ſpei adoleſcens, quem S. Anſelmus Linguæ Latinæ prima elementa docuerat, & ad quem præcipua quædam operum ſuorum inſcripſit. Poſt grammaticæ tyrocinium, Mauricius docti cujuſdam Rhetoris Arnulphi diſciplinæ ſeſe tradiderat, ut Auctores diſceret interpretari. Suadet illi D. Anſelmus in hac Epiſtola, ne ex ſchola exeat hujus grammatici, donec Virgilium & alios prophanos Auctores, quorum lectio nihil indecori habeat, explicare didicerit. Ecquis damnare poſſit hanc ſtudiorum rationem in juvene præſertim, qui dotes ingenii eximias poſſidebat? Argumenta, quæ in Reſponſione obiiciuntur, ſunt quidem apposita ad retrahendas regulares perſonas ab aſſidua & ordinaria lectione Virgilii, aliorumque Gentilium; ſed ſi communem erudiendæ juventutis uſum qui in ſcholis viget, itidem damnare velit D. Abbas, haud ſcio an hæc fuerit Eccleſiæ ſententia: certe exploratum eſt, non ita viſum Gregorio Nazianzeno, ut in ſequenti adnotabimus. In meo Tractatu uſus ſum ad hanc rem auctoritate D. Baſilii, qui Homerum legendum ſuadet, cujus carmina ad virtutem excitent.

Cæterum non puto, ullam aliam S. Anſelmo fuiſſe vocationem præter ejus ad ſtudia aptitudinem, quamquam a Deo ad Epiſcopatum fuerit deſtinatus. Neque ideo a communi via receſſit; ſtudiorum enim exercitatio in ejus Cœnobio publica & communis erat. Ejus Opera Dogmatica pleraque compoſita ſunt in gratiam & ad preces ſuorum Monachorum, quibus ea inſcripſit deinceps explicaturus, hoc eſt (uno verbo dicamus) ut ea illi ſtudioſe legerent.

Digitized by Google

ARTICULUS XV.

Alia argumenta ad probandam communium ſtudiorum latitudinem, quæ Monachis permitti poſſunt relate ad Sacram Scripturam.

SUnt qui putant Monachorum ſtudia anguſtius concludi, ſi intra Sacræ Scripturæ limites terminentur. At ubi librorum ſacrorum intelligentia, quæ interdici revera non poteſt, illis permittatur, in ejus ſtudii meſſem mittuntur, quod latius patet quam vulgo creditur.

Fateor igitur quod alias toties affirmavi, olim Eccleſiaſticos viros, imo & regulari vitæ addictos ſtudio Sacræ Scripturæ unice *fere* operam dediſſe. Hinc D. Abbas occaſionem arripit mihi obtrectandi; meque pluribus ſuæ Reſponſionis locis redarguit, quod quæ antea dixeram oblitus, Monachos in ampliſſima ſtudia, quæ eorum inſtituto nequaquam conveniunt, conjicere velim.

Attamen animadvertere quoque poterat, ipſum-met in ea quæ dixeram conſentire; quippe qui fateatur, Eccleſiaſticorum ſtudia intra S. Scripturam ſtetiſſe. Imo eamdem rem apertius & fortius, ac ego, confirmat, cum ait: *Cognitio S. Scripturæ, dummodo medullitus penetraretur, quidquid egregio Præſuli informando neceſſarium putabatur, ſola comprehendebat ..... Divi Chryſoſtomi Homiliæ, S. Baſilii Moralia Documenta nihil aliud continent præter Sacræ Paginæ teſtimonia atque auctoritates .....* Uno verbo, *intelligenti probe Divinas Scripturas omnia ſuppetebant requiſita ad majores Eccleſiæ dignitates obtinendas. Ubi aliquis reperiretur illis explicandis idoneus, qui myſticum, tropologicum & anagogicum earum ſenſum reſerare, populoſque veritates & ſententias inibi contentas edocere poſſet, in eo inerat ſumma meritorum & doctrinæ.*

Interea tamen D. Abbas oblitus ferme quæ dixerat, ſola Scripturæ lectione nunc ſtudia Monachorum non circumſcribit. Alia plura nunc denique permittit ut legant, indulgetque illis Patrum Commentaria, atque Opera ad mores pertinentia, libros etiam recentiores, qui de Diſciplina morali tractant, Collationes Eccleſiaſticas Lucioceníes & Petrogoricenſes, Moralem Gratianopolitanam &c. En igitur uterque in eadem repugnantia verſamur; ita ut ego viciſſim illum alloqui ita poſſem, ut ipſe me eſt allocutus: „ Quando quidem aſſertum eſt to-
„ tam veterum Patrum Theologiam in ſcientia Sacræ Scripturæ ſte-
„ tiſſe; ejus ope ad ſanctitatis culmen evectos, Dei & hominum ap-
„ probationem conſecutos; quare a via quam ipſi inierunt & mon-
„ ſtraverunt nobis, modo recedimus? quare Monachos tot auctorum
„ copia oneramus?

Sed ut quod verum eſt dicamus, præcipuum ac ſolemne Eccleſiaſticorum & Monachorum ſtudium exerceri debet circa Sacram Scripturam. Omnis illorum opera, omnes cogitationes huic ſtudio ſunt impen-

pendendæ; in hoc omnis eorum Theologia collocanda eſt, juxta morem veterum Sanctorum Patrum, quorum opera omnino fere ex Scripturæ ſententiis & verbis atque ex conſequentiis ab ea ductis conflata ſunt. Hujuſmodi ſtudium eſt ſtudium omnium temporum, eoque non minus hodie, quam olim, occupari debent viri ſacris initiati: At hujus ſtudii tractandi methodus juxta temporum atque ingeniorum diverſitatem plurimum immutata eſt; diſpoſitiones quoque & adminicula huic ſtudio collata alio & alio modo uſurpata ſunt.

Ut diſcamus methodum, qua ſtudium Sacræ Scripturæ quondam procedebat, videndum eſt quomodo illam docuerit Origenes unus ex præcipuis in hac ſchola Magiſtris. Cognoſcere id poſſumus ex illuſtri illa oratione quam Gregorius Thaumaturgus cum laude illius magni viri olim ſui præceptoris compoſuit. „ Solemne illi fuiſſe narrat ſin- *Greger. Thaum. pag. 58. & ſeq.*
„ gulas Philoſophiæ partes relate ad divinam Scripturam, & ad Chri-
„ ſtiane vivendi rationem tradere, incipiendo a laudibus ejuſdem Phi-
„ loſophiæ, & ejus amatorum: qui ſoli, ajebat, vitam ratione præ-
„ ditis convenientem vivunt, qui recte ſtudent vivere, & primum
„ ſeipſos, qui ſint, noſcunt; deinde ea, quæ vere ſunt bona, quæ
„ perſequi hominem fas eſt, & quæ vere ſunt mala, a quibus refu-
„ gere oportet. Inde inſcitiam vituperabat, omneſque inſcientes, qui
„ pecudum more mentis lumine capti, ne hoc quidem ipſum quod
„ ſunt cognoſcunt, & bonum malumve neque ipſi ſcientes, neque
„ diſcere curantes. Plane enim ne pium quidem eſſe erga Deum poſ-
„ ſe oſtendebat, qui Philoſophiæ expers foret.

„ Logicæ præcepta diſcipulis ſuis principio inculcabat, neque fru-
„ ſtra neu temere admittere aut rejicere teſtimonia eos adſuefaciens;
„ ſed rerum capita explorantes accurate, non ſpecioſis vocibus aut
„ nimia ſimplicitate decipi; neque eas opiniones quæ admirabiles &
„ minime credendæ videntur, ſtatim pro falſis rejicere, cum eæ po-
„ ſtea diligenter indagantibus omnium veriſſimæ repertæ ſint: deni-
„ que de omnibus caute & ſine ulla præoccupatione judicare.

„ Eos deinceps ad Phyſicam admovebat, nimirum ad commenta-
„ tiones de potentia & ſapientia Dei, oſtendens nihil eſſe ad ingeren-
„ dum humanis animis ſenſum humilitatis hiſce commentationibus
„ accommodatius.

„ Phyſicam excipiebant Mathematicæ diſciplinæ, præcipue Geo-
„ metria & Aſtronomia; ac denique ſcientia Moralis, quam non je-
„ junis ac nudis definitionibus & diviſionibus ſitam eſſe docebat; ſed
„ ipſo uſu a ſuis auditoribus percipi volebat, ſubindicans illis propria-
„ rum appetitionum motus, quibus ipſorum animus afficiebatur; ut
„ idem animus tamquam in ſpeculo ſemet contemplans, radicitus vi-
„ tia extirpare, & virtutum exercitatione rationis vim confirmare.
„ Neque verbis ſolum, ſed jam etiam factis morum regulas inculca-
„ bat, docens veram juſtitiam in eo poſitam eſſe, ut a mundanarum
„ rerum ſtrepitu ſegregemur, & ad nos ipſos omne ſtudium converta-
„ mus, ut in abſolutam noſtri cognitionem pervenire poſſimus.

Digitized by Google

„ Jam poſt ceteram omnem induſtriam ac ſtudium, ad doctrinam „ de Deo illos traducebat, rem aſſerens omnium maxime neceſſariam „ eſſe, primæ omnium Cauſæ agnitionem. Philoſophandum autem „ ita cenſebat illis, ut omnia quæcumque extarent veterum cum Phi- „ loſophorum tum Poetarum ſcripta legerent, iis exceptis, quæ atheo- „ rum eſſent, qui etiam humanis averſi rationibus Deum Providen- „ tiamque eſſe negarent: ne ſcilicet una quæpiam horum illorumve „ doctrina dumtaxat audita & in pretio habita, quamvis minime ve- „ ra, animum, ut ſi vera eſſet, ſubiens deciperet. Et vero ipſe una in Philoſophorum placita intrabat præcedens & manu ducens quaſi in itinere, ſi quod forte occurreret obliquum & inſidioſum; eligebatque & proponebat quidquid utile penes ſingulos philoſophos atque verum erat. Ad quorum aliquem ne ſe omnino adjungerent hortabatur, ſed ſoli attenderent Deo, & hujus prophetis.

Poſtremo loco docebat eos Theologiam proprie dictam, interpretans illis divinas Scripturas, quarum doctiſſimus explanator præ ceteris fuit. Per hos gradus & hac methodo celeberrimus doctrinarum inſtitutor ſuos Auditores deducere ſolitus fuerat ad Sacrarum Literarum ſtudium. Porro cum illa ætate neque Concilia ſuppeterent, neque Sanctorum Patrum Opera, aut certe pauca, extarent, neque hiſtoriæ Eccleſiaſticæ campus adhuc pateret, jure merito ſtatuendum eſt, omne ſtudium, omnem Theologiam virorum Eccleſiæ addictorum primis illis ſæculis in ſola Sacra Scriptura collocatam fuiſſe: quod tamen neutiquam impediebat, quominus ad hoc ſtudium cum præviis diſpoſitionibus veniretur, iiſque variis, cujuſmodi in Origeniana methodo hactenus deprehendimus.

Nonnullos hic quoque Canones ſubiiciam, quos ad explicationem & intelligentiam Sacræ Scripturæ adhibebat Origenes. „ 1. Qui in „ Eccleſia docent, ne quid a ſemetipſis loquantur, ſed omnia ex Scri- „ pturis probent atque confirment, S. Pauli exemplo, qui eas tam „ crebro citat, licet Dei Spiritu ageretur. 2. Eos damnat, qui Sacram „ Scripturam interpretantur juxta proprium ſenſum, non ſequentes „ eum qui a Spiritu Sancto eſt; ipſe-met vero plerumque citat Docto- „ res, qui ante ipſum Scripturas explicaverant, licet eorum nomina „ nequaquam proferat. 3. Jubet, ne hæreticis facile credamus Scriptu- „ ras citantibus, quas ceteroqui tanta cum religione coli vult, ut de „ emendatione nihil ſoliciti vel ipſos ſolæciſmos in iis relinquamus. „ 4. Quidquid in illis (ait) nos offendit, nobis ipſis adſcribendum eſt; „ nec a lectione deſiſtere debemus, quamvis in obſcura & difficilia lo- „ ca frequenter occurramus; cum enim Scriptura ſit Verbum Creato- „ ris, a nobis non intelligi haudquaquam mirandum eſt, cujus ne Ope- „ ra quidem percipimus. 5. Ut locum quempiam Scripturæ rectè ca- „ pias, omnia loca, in quibus de eadem re ſit ſermo, aut in quibus „ idem verbum uſurpari videris, in unum congerenda tibi ſunt. 6. Pri- „ mò ſimplex & literalis ſenſus eruendus, deinde myſticus, quem ipſe „ Origenes aliis præfert, cum illud tamen afferat, in qualibet Parabo-

„ la

„ la unum eſſe præcipuum, in quo ſita eſt analogia; reliqua vero Para-
„ bolæ membra ad eumdem ſcopum non eſſe accommodanda, neque
„ ſingula verba ſubtilius excutienda. Hos præſertim Canones exhibet
Origenes quatenus pertinet ad Sacrarum Scripturarum commentatio-
nem: quos per ipſius Opera varie diſperſos excerpſit & collegit Dom.
Abbas Florius in ſuæ Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ libro ſexto.

„ Idem Origenes alibi quoque ait, nihil eſſe utilius nobis lectione *Philoc.*
„ Divinæ Scriptnræ, quæ utilitas haud ſemper quidem percipitur, *cap. 15.*
„ quemadmodum ſumpti alimenti effectus haud cito ſentimus; ſed hac
„ lectione crebro repetita malas perturbationes & vitia ſenſim immi-
„ nui ac enervari, & quidquid eſt in nobis virtutis vires acquirere.
„ Divinum Eloquium ſimile eſſe magno Palatio, in quo plura cubicu- *ibid. c. 2.*
„ la, & ædium partes clauſæ, quarum claves variis locis diſperſas di-
„ ligenter inquirere debemus, ut eo pateat ingreſſus. In Epiſtola ad
„ Gregorium monet, ut e Græcorum Philoſophia ſumat notitias, ceu
„ quædam Doctrinæ Chriſtianæ præludia (προπαιδεύματα) ipſi futu-
„ ras. Liberales denique artes oppido neceſſarias eſſe ad aſſequendam
„ Divinarum literarum abſolutam intelligentiam, ab omni errore &
„ ceſpitatione ſejunctam; nec aliud quidpiam præſidium præter hoc
„ ſuppetere, quo loca obſcura explicentur, æquivocationes tollan-
„ tur, interpunctiones recte ponantur, & hujuſmodi alia ſexcenta.

Hæc fere ſunt præcipua quæ circa methodum ſtudendi Sacræ Scripturæ apud Origenem reperimus. Hæc methodus in uſu erat, dum ipſe viveret, in ſcholis Alexandriæ. Huc vero ſumma omnium redit, quod neceſſarium putaret, antequam aliquis hoc ſtudium ingrederetur, ut didicerit humaniores literas, ſtudueritque præſertim grammaticæ, rhetoricæ, philoſophiæ, & naturali Theologiæ, ne quid dicam de peritia linguarum, quæ ſunt inſtar clavium, quibus aditus in hoc ſacrum palatium aperitur.

Eaſdem ferme diſpoſitiones requirit D. Auguſtinus libro ſecundo de Doctrina Chriſtiana. „ Et primò quidem poſtulat ut ſciamus, quæ
„ ſint Canonicæ Scripturæ. 2. ut illa quæ in eis apertè poſita ſunt vel
„ præcepta vivendi, vel regulæ credendi, ſolertius diligentiuſque in-
„ veſtigemus. 3. ut quæ in Scripturis obſcura ſunt aperire pergamus,
ad obſcuriores locutiones illuſtrandas de manifeſtioribus ſumentes exempla.

Notitiam troporum & proprietatum cujuſque linguæ neceſſariam eſſe ſtatuit ad obſcura loca explicanda. Cum figuratæ locutiones ut plurimum a rebus naturalibus, a numeris & ab ipſa muſica diſciplina ducantur; hujuſmodi ſcientias ad earum intelligentiam multum conferre. Quibus adjungit morum qni apud Ethnicos obtinuerunt, veteris hiſtoriæ, mechanicarum artium, Dialecticæ, ac Philoſophiæ peritiam. Monet verò ut ex his notitiis quantum ſatis eſt retineatur, & nimia curioſitas evitetur. *Utilia ſunt iſta*, ait, *nec diſcuntur illicitè ..... ſi tantum occupent, ut majoribus rebus, ad quas adipiſcendas ſervire debent, non ſint impedimento.*

Sub-

Subſequentibus temporibus eadem ſervata eſt methodus, eædemque diſpoſitiones ad hoc ſtudium collatæ ſunt. Quod ſi Scholaſtici res ipſas tractandi modum aliquatenus immutarunt, quoad rei ſummam eamdem methodum ſecuti ſunt. Et ideo Concilium Viennenſe ſub Clemente V. poſteaque Benedictus XII. conſtituerunt, ut Monachi grammatica & philoſophia erudiantur, quo ad ſacræ paginæ ſtudium parati veniant: alia vero poſteriora Concilia eaſdem Conſtitutiones identidem innovarunt & confirmarunt, ut ſuperius adnotavimus.

Hinc aperte deducitur, ſi Monachorum ſcientia librorum ſacrorum ſtudio terminetur, hanc ſcientiam latiſſime patere, neque illis interdici poſſe prævias cognitiones, quas memoravimus, hoc eſt ſaltem grammaticam & philoſophiam, quæ omni tempore habita ſunt neceſſaria prærequiſita ad Theologiam, quæ a Sacra Scriptura non differt niſi quoad modum tractandi materias. Ubi enim Theologia in quaſdam ordinatas claſſes argumenta diſtribuit, ſingulos articulos probans auctoritate S. Scripturæ; econtra ſtudium Scripturale de ſe ac privatim inſtitutum in unoquoque libro ejuſdem Scripturæ verſatur, atque omnes libri partes ſingulatim & continenter explicat.

Equidem ſcio (reperam enim) non omnes Monachos ſtudii æque profundi capaces eſſe, & eorum pluribus ſimplicem Scripturæ lectionem abunde eſſe poſſe; ſed de perſpicacioribus hic loquimur, quibus ſolers ingenium eſt, & ad grave ſtudium capeſſendum idoneum: contendo autem, hujuſmodi Monachis tale ſtudium non debere interdici.

Coactus eſt D. Abbas idem fateri, ut ex pluribus Reſponſionis locis intelligitur. Reſpondens enim ad exemplum a me allatum Luciani Monachi & Martyris, affirmat, *nulla illum ſcientia fuiſſe imbutum priuſquam mundo valediceret*. Qui cum Edeſſæ ſub Machario Sacras Literas didiciſſet, *eaſdem poſtea docuiſſe*; & intra illarum cognitionem *omnem ejus ſtetiſſe doctrinam*. Poſt quæ ſubdit D. Abbas, *hoc exemplo ſuam ſententiam confirmari*; nam ſibi viſum ſemper fuiſſe, *Sacræ Scripturæ lectionem & meditationem præcipuum Monachorum exercitium eſſe debere*. Scientiam ergo Scripturarum poſſidere licitum eſt, immo & hujus ſcientiæ aliis doctores eſſe permittitur exemplo S. Luciani, ſiquidem hoc exemplo D. Abbatis ſententia confirmatur.

pag. 175.

Quis enim id negare poſſit, cum hæc Scripturarum exquiſita doctrina veteres Nitriæ Monachos ceu quædam inſignis nota diſcerneret, de quibus narrat Rufinus: *Scripturarum divinarum meditationes & intellectus atque ſcientiæ divinæ, nuſquam tanta vidimus exercitia, ut ſingulos pæne eorum oratores credas in divina eſſe ſapientia*.

Rufin. de vit. Pat. cap. 21.

Juvat hic adnotare, *meditationis* verbum in hoc argumento fere accipi pro gravi ſtudio & ſeria commentatione. Quo ſenſu illud uſurpavit S. Benedictus Regulæ cap. 8. ubi ait juxta ſingulorum exigentiam in ſtudio Pſalterii ſive in aliqua alia lectione intervallum quod hyemis tempore inter Matutinum & Laudes ponitur, inſumendum eſſe. *Pſalterii vel lectionum meditationi inſerviatur*.

Non

Non abs re erit itidem anceps *Scripturæ* imo & *Scripturæ Sacræ* vocabulum hic explanare; illud enim divinos libros non ſemper ſignificat, ſed omne librorum genus de rebus ſacris tractantium, aut de morum diſciplina, & de Eccleſiaſtica etiam hiſtoria. Habent hunc ſenſum hæc vocabula in vita S. Euſebii Vercellenſis Epiſcopi, ubi de S. Sylveſtro Melchiadis ſucceſſore fit mentio; *Qui quantæ ſanctitatis vir fuerit, nullus qui ſcripturas ſanctas legit ignorat*, ſeu ut in nonnullis exemplariis legitur, ſine ullo addito *Scripturas*. Perſpicuum eſt id non poſſe intelligi de libris divinis, ſed de hiſtoria Eccleſiaſtica, in qua S. Sylveſtri geſta memoriæ prodita ſunt. Idem luculenter probatur ex verbis Concilii Duciacenſis anni 874 capit. 7. Regula S. Benedicti *auctoritate Papæ Gregorii inter canonicas Scripturas & Catholicorum Doctorum ſcripta, eſt teneri decreta*. Hæc animadverſio, quæ magno probationum numero confirmari poſſet, robur addit iis, quæ a me alias dicta ſunt circa ſtudium, de quo meminit Trithemius, apud quem ſub iiſdem verbis reliquas Eccleſiaſticas ſcientias comprehendi affirmavi.

Quamquam D. Abbas conſentire videatur, haſce prævias notiones Monachis inſervire poſſe ad Scripturæ ſtudium capeſſendum; contendit tamen neceſſarias non eſſe, & poſſe Monachos ad eloquii divini intelligentiam pertingere, cum compunctione & puritate cordis Scripturas legentes ac ſimpliciter meditantes. Alioqui debuiſſent *Antonii, Hilariones, Macharii in omnimoda divinarum Scripturarum ignoratione verſari, cum non appareat eos Præceptorum & doctorum ope uſos fuiſſe:* licet in dubium venire non poſſit, quod *ſacrarum literarum ſcientiam apprime calluerint*.

Ad id reſpondemus, compertum nobis eſſe, ex privilegio divinitus conceſſo poſſe aliquem ſine ſtudiorum conatu & labore ad perfectam Scripturarum intelligentiam evehi. At S. Auguſtinus, qui huic veritati adſtipulatus eſt, adnotavit etiam, „ Deum ab iis tentari, qui ta- *Auguſt. in prol. de Doctr. Chr.*
„ lis intelligentiæ gratiam ab eodem expectant, nec præceptorem &
„ adjutorem hujus ſtudii quærunt. Subdit vero id perinde eſſe, ac ſi ad
„ ipſum Evangelium audiendum atque diſcendum nollemus ire in Ec-
„ cleſias, aut codicem legere, aut legentem prædicantemque homi-
„ nem audire, hoc obtentu quod S. Paulus in tertium cælum raptus ab
„ ipſo Deo Evangelium didicit. Ita porro claudit: *Caveamus tales tentationes ſuperbiſſimas & periculoſiſſimas*.

Ad hanc veritatem confirmandam, exemplo uſus fueram Eunuchi Reginæ Candacis. *Quid hæc*, ait D. Abbas, *inter ſe comparantur? Eunuchus ethnicis commixtus, tenuiſſimis & imperfectiſſimis notitiis veritatis imbutus; homo denique in Idololatriæ erroribus natus & educatus, cum viro Chriſtiano fidei principia edocto &c.* *pag. 61.*

Si hæc comparatio de meo eſſet, de ejus congruentia & æquitate fortaſſe dubitarem, ſed illa jure merito me uti poſſe reor poſt S. Auguſtinum, qui in occaſione conſimili ea uſus eſt, probaturus hoc exemplo, non eſſe fidelibus confugiendum ad extraordinaria media, ut Scripturæ notitiam hauriant; ſed tritæ & communi viæ inſiſtendum; conſulen-

Digitized by Google

ſulendos videlicet illos, qui ejus pollent intelligentia, & reliquis ſcientiis dandam operam, quatenus ſtudio ſacrarum literarum utiles aut neceſſariæ ſunt; ſicuti cum vellet Deus hunc Eunuchum fidei myſteria docere, non adhibuit ad hoc Angeli cujuſpiam miniſterium, ſed Philippo diacono uſus eſt: eique humanis verbis & lingua quod in Scriptura illa tectum erat aperuit.

Verum æquiori jure eadem comparatione uti poſſum poſt S. Hieronymum, qui mecum ea utitur ad illos refellendos, qui ſentiunt poſſe ſine magiſtro ſacris literis operam dari. In quadam itaque ad Paulinum
Hieron. l. 2. ep. 2. Epiſtola, allato Eunuchi exemplo, ita loqui pergit. *Ego, ut de me interim loquar, nec ſanctior ſum hoc Eunucho, nec ſtudioſior, qui de Æthiopia, ideſt de extremis mundi finibus, venit ad templum, reliquit aulam regiam: & tantus amator legis divinæque ſcientiæ fuit, ut etiam in vehiculo ſacras literas legeret. Et tamen cum librum teneret, & verba Domini cogitatione conciperet, lingua volveret, labiis perſonaret, ignorabat eum, quem in libro neſciens venerabatur*. Ac deinceps facta de Philippo Diacono narratione, addit Sanctus Doctor. *Hæc a me breviter perſtricta ſunt (neque enim Epiſtolaris anguſtia evagari longius patiebatur) ut intelligeres te in Scripturis Sanctis ſine prævio & monſtrante ſemitam non poſſe ingredi*. Et paulo inferius in eadem Epiſtola: *Quod medicorum eſt, promittunt Medici: tractant fabrilia fabri. Sola Scripturarum ars eſt, quam ſibi omnes paſſim venditant.*

Idem omnino mihi propoſitum fuerat evincere, hujus Eunuchi exemplum afferenti. Neque illi, certo ſcio, refragatus fuiſſet D. Abbas, ſi animadvertiſſet, ad eumdem ſcopum collineaſſe S. Auguſtinum & S. Hieronymum, idipſum probaturos quod ego contendo; nimirum non eſſe temere præſumendum ſolitariis, quod Sacræ Scripturæ rectam intelligentiam conſequi poſſint, ſine adminiculo ſcientiæ aut Præceptoris.

Equidem ſcio cum S. Auguſtino, quibuſdam ſingillatim difficile non eſſe, tantum agnitione complecti, quantum neceſſe eſt ad bene vivendum, obtinendamque æternam ſalutem. Sed hic res eſt de gravi divinorum librorum ſtudio, de ſcientia & intelligentia, qua circa illos ſancti olim Monachi, & magni viri excelluerunt; ad id vero aliis notitiis aliiſque ſcientiis opus eſſe ajo poſt S. Auguſtinum & S. Hieronymum; præterea que magnum adhibendum eſſe ſtudium ad acquirendam hanc intelligentiam. „ Tanta eſt enim, ait S. Auguſtinus, Chriſtianarum „ profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas „ ab ineunte pueritia uſque ad decrepitam ſenectutem maximo otio, „ ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere. Hujuſmodi ſtudium exquiſitiſſimum non eſt cuilibet ex Monachis neceſſarium; ſed interdici non poteſt iis, qui ad illud fore idonei videntur, ſi adminiculis a me indicatis utantur. Saltem hæc perfecta intelligentia Communitatibus in univerſum neceſſaria eſt, ut inibi reperiantur omni tempore viri, præbendi aliis lumen, aliorumque difficultates enodandi capaces: qui mos in ordinatiſſimis Cœnobiis ſemper viguit.

AR-

ARTICULUS XVI.

Proſecutio ejuſdem argumenti; ubi ſermo fit de Rhetorica, de Philoſophia, & de Theologia.

ITane? Rhetorica, humanioribus literis, Philoſophia, Diſputationibus, demum Theologia opus erit Monachis ad intelligendam Scripturam? Nunquid eo fine aſcetica vita inſtituta eſt, ut Oratores, Sophiſtas & Doctores efficiat? *Macrobii, Auli Gellii lectio, multiplex ille & varius eruditionis prophanæ apparatus, quo tandem pacto cum cogitatione mortis & conſideratione judiciorum Dei poterunt copulari?* *Pag.118.*

I.

At enim viri eximiæ ſanctitatis hujuſmodi cognitiones noverunt inter ſe colligare, utut oppoſitæ videantur. S. Auguſtinus earum demonſtrat utilitatem in ſuo de Doctrina Chriſtiana priori libro: S. Gregorius Nazianzenus tanta ſententiarum vehementia hunc humaniorum literarum uſum propugnat, & adverſarios ſuæ opinionis refellit, ut ipſius verba afferre non auſim, ne forte in aliam ſignificationem transferantur, quàm ego vellem. S. Baſilius hoc argumentum ex profeſſo tractavit in quodam ſermone, ubi hæc ſtabilit principia: Quod quævis rerum cognitio nihil profutura ſaluti, reſpuenda eſt: Quod ad hanc ſacra Volumina per recondita myſteria ſat ſuperque nos inſtruunt, quorum ſenſus altitudinem, quia ob ætatem, in qua verſamur, attingere non admodum facile eſt, Auctores ideo prophani perlegi identidem poterunt, ut inde exornetur animus, & *ad Sacræ Paginæ lectionem* quodammodo diſponatur. S. Gregorius Magnus, ſive Auctor Commentarii in librum Regum, idem luculente aſſerit, atque Ethnicorum operum lectionem ad intelligenda divina volumina magnum afferre momentum contendit; & ait *malignos ſpiritus a nonnullorum cordibus diſcendi deſiderium tollere, ut & ſæcularia neſciant, & ad ſublimitatem ſpiritualium non pertingant.* Et paulo inferius: *Aperte quidem dæmones ſciunt, quia dum ſæcularibus litteris inſtruimur, in ſpiritualibus adjuvamur.* *Baſil.ho. 24.* *Greg.l.5. in I.Reg. c.13.*

Haud ignarus ſum, quod apud priſcos olim Patres in dubium vertebatur, num iſtiuſmodi lectionibus Chriſti fideles licitè vacare poſſent, neque unam hac ſuper re fuiſſe omnium ſententiam. Ipſemet S. Baſilius ſuadet, ne in puerorum inſtitutione, quæ intra Cœnobia exercebatur, gentilium fabulæ uſurpentur. At nihilominus non fuerit fortaſſe difficile diverſas illorum ſententias conciliare, prophanorum ſcripta in duplex genus diſpertiendo, unum earum rerum quas inſtituerunt homines, alterum earum, quas animadverterunt jam peractas aut divinitus inſtitutas. Illud quod eſt ſecundum inſtitutiones homi- *Auguſt. de Doct. Chr. cap. 19. & ſ.*

„ num, partim ſuperſtitioſum eſt, partim ſuperſtitioſum non eſt. Quæ
„ ad primum pertinent, ea rejicienda ſunt, & amputanda ab animo
„ chriſtiano. Sed alia utiliter inventa ſunt, inter quæ linguarum va-
„ rietas, quæ eatenus diſci utiliter poſſunt, quatenus ad meliora con-
„ ferunt. Jam vero illa quæ tranſacta temporibus, inveſtigando ho-
„ mines prodiderunt, alia ſunt ad ſenſus corporis, ut hiſtoria, noti-
„ tia locorum, res naturales, & artes mechanicæ: alia ad rationem
„ animi pertinentia, ut Dialectica, Rhetorica, Arithmetica, Philo-
„ ſophia. Quidquid in his ſuperſtitioſum eſt, aut honeſtatem lædit,
„ eradicandum. Quod pertinet ad memoriam temporum, ad libera-
„ les artes & ſcientias, utile erit Chriſtianis, dummodo illud menti
„ obverſetur *Ne quid nimis*: præſertim in rerum naturalium experimen-
„ tis, in Geographia, in eventibus anteactarum rerum, & in iis quæ-
„ cumque de locorum ſitu, naturiſque animalium, lignorum &c. ſcri-
„ pta ſunt. Quo ſpectat utiliſſima Sancti Doctoris admonitio, paulo
„ poſt tradita his verbis: Quamobrem videtur mihi ſtudioſis & inge-
„ nioſis adoleſcentibus, & timentibus Deum, beatamque vitam quæ-
„ rentibus ſalubriter præcipi, ut nullas doctrinas, quæ præter Eccle-
„ ſiam Chriſti exercentur, tamquam ad beatam vitam capeſſendam ſe-
„ cure ſequi audeant, ſed eas ſobrie diligenterque dijudicent, quas ab
„ hominibus traditas cognoverint. Utque oſtendamus, quanti faceret
Sanctus hic Doctor humaniorum literarum ſtudium, ſatis eſt animad-
vertere, quomodo alicubi miretur Julianum Apoſtatam inter Eccleſiæ
Perſecutores non recenſeri: *An ipſe non eſt* (inquit) *Eccleſiam perſecutus*,
qui Chriſtianos liberales diſciplinas docere ac diſcere vetuit?

Id. de Civ. Dei l. 18. c. 52. n. 2.

Igitur ſtatuamus, licere Monachis humanas ſcientias addiſcere, dummodo iis contenti ſint, quæ utilitate & honeſtate commendantur, neque multum in illis tempus impendant; ad eas ſiquidem tamdiu ſolum incumbendum eſt, quantum ſatis fuerit ut melioris notæ auctores intelligantur & explicentur, quorum cognitio ad Sacræ Paginæ & Sanctorum Patrum notitiam conferre poteſt. Sic agendo plane cum S. Baſilii opinione conſentient, qui hoc ſtudium approbat, ut vidimus; quamvis pueros Aſcetarum inſtitutioni traditos nolit gentilium fabulis, quæ plerumque inhoneſtæ ſunt, erudiri, ſed earum loco ſuadet enarrari illis ſacras hiſtorias. Ita majoribus noſtris, cum de erudiendis juvenibus ageretur, in more fuit: *Probe enim* (ut ait Trithemius) *judicabant ſapientiſſimi viri, divinas ſcripturas neminem poſſe perfectè intelligere, quem literas ſæcularis doctrinæ contigiſſet ignorare*.

Trith. in Chron. Hirſaug. an. 847.

II. Hinc

II.

Hinc ortum habuere tot juſſiones & decreta Conciliorum, quibus præter ſtudium humaniorum literarum etiam Philoſophicum præſcribitur; ſaltem quatenus ad Dialecticam ſpectat, quam plurimum arbitrati ſunt juvare, ut ad ſuperiores ſcientias, quibus Religioſi deſtinabantur, diſcendas ingenium præparetur.

At D. Abbas contendit, *regulam, ad quam componere nos debemus, nullam aliam eſſe præter antiquorum Praxim, quos non conſtat intra Cœnobia Philoſophicas ſcholas erexiſſe, aut operam navaſſe huic ſcientiæ, quæ nata eſt diſtractionem & ſuperbiam parere, animi perturbationes ciere, ad pravam æmulationem provocare, rixandi & diſputandi libidinem ingerere animis illorum, quos ſe ſubmittere, & aliis obtemperare maxime decet. Pietati ergo & ſapientiæ adverſantur qui biſce offendiculis & tentationibus integras ſodalitates exponunt, quin ulla cogat aut neceſſitas aut ratio.* pag.284. 287.

Si res ita ſe haberet, ſequeretur Eccleſiam, quæ generales ordinationes & conſtitutiones circa Philoſophicum ſtudium edidit, rem *pietati & ſapientiæ contrariam* feciſſe, & ab ea cœtus Regularium his offendiculis ac tentationibus exponi, quandoquidem non modo permittit ſed & jubet, ut religioſi Alumni hoc ſtudio exerceantur; denique dicendum eſſet *nulla neceſſitate, nulla ratione* ad hoc ſtatuendum, fuiſſe compulſam. Ipſa tamen de ſua nos intentione certiores pleniſſime fecit, quando ait, *ut ipſis Monachis proficiendi in ſcientia via opportuna non deſit:* etenim perſuaſum illi eſt, ſcientiam maximopere conferre non ſolum ad hoc ut intra Monaſteria religioſi ſeceſſus quies, & diſciplinæ fervor ſuſtineatur, verum etiam ut fides ſarta tecta ſervetur in Regnis & Provinciis; & ſi quando ab erroribus & hæreſibus fuerit impetita, ſtrenue defendatur; quemadmodum accidit omni fere tempore, & ſingillatim præterito ſæculo in Germania; ut mittam hic quæ dici poſſent de utilitate, quæ ex mutua admiratione virtutis, & ſcientiæ æmulatione Cleri ſæcularis & regularis in Eccleſiam dimanat. Denique ſcientiæ adſcribenda tot præclara ingenii monumenta, quæ populis, religioni & Eccleſiæ multum profuerunt; & eidem ſcientiæ quamplurimos viros doctrina ac pietate eximios; qui Eccleſiæ gubernacula tenuerunt, acceptos referimus. Ecquis dicet poſthac, *nulla neceſſitate, nulla ratione* hæc ſtudia tractari. Equidem ſcio, aliquid pravi in tradendæ philoſophiæ methodo occurrere poſſe; ſed hic de re ipſa non de modo diſputamus. Corrigendi abuſus & vitandi offendicula rationes in promptu ſunt, quas ego quoque indicavi. At propter abuſus, & quorumdam hallucinationes hoc ſtudium penitus damnare, ex quo cæteroquin uberrimos fructus percipimus, iniquum eſt.

Egregiè ad hanc rem faciunt ea, quæ ſcribit S. Bonaventura ad ignotum quemdam, qui Regulares mendicantes in eo criminabatur, quod philoſophiæ operam darent; & digna profecto ſunt, ut hic referantur. Bonav. tom. 7. pag.386.

 „ Audi

„ Audi cariſſime, ait, ſicut in ceteris, pariter & in hoc concordemus.
„ Fateor, diſplicent tibi curioſitates diſplicent & mihi, & diſplicent
„ fratribus bonis, & diſplicent Deo & Angelis ſuis. Nec defendo cir-
„ ca *ſcripta puerilia* muſſitantes, ſed deteſtor eos pariter tecum. Unde
„ & tibi & mihi conſulo, ut habeamus zelum ſecundum ſcientiam,
„ ne deteſtemur pluſquam oportet. Fortaſſis enim inter peccata *mi-*
„ *nuta & venialia* computandum eſt. Vix enim grana abſque paleis col-
„ ligi poſſunt, & verba divina ſine verbis humanis. Hæc autem om-
„ nia ſeparantur per zelum compunctionis & fletum devotionis, quæ
„ faciunt triticum veritatis a verborum paleis ſeparari. Et fortaſſe vi-
„ dentur aliqui curioſi, qui magis ſunt ſtudioſi. Si quis enim ſtuderet
„ in dictis hæreticorum, ut eorum ſententias declinando magis intel-
„ ligeret veritatem, nec curioſus nec hæreticus, nec Catholicus eſ-
„ ſet. Cum verba Philoſophorum aliquando plus valent ad intelligen-
„ tiam veritatis, & eorum confutationes, non deviat a puritate in his
„ aliquando ſtudens, maxime cum multæ ſint concluſiones fidei, quæ
„ ſine his terminari non poſſunt. Unde ſi velimus nimis ſtricte judica-
„ re, fortaſſe ipſos Sanctos, quod impium eſt, judicabimus curioſos.
„ Nam nullus melius naturam temporis ...... &, ut breviter dicam,
„ pauca aut nulla ponunt Magiſtri in libris ſuis, quin illa reperias in
„ libris Auguſtini. Unde multa quæ non didicimus per Philoſophos
„ de dictis Philoſophiæ didicimus per Sanctos. Ac per hoc non debet
„ tibi eſſe mirum ſi minus fundati intrantes, fiant in ſcientia in Ordi-
„ ne fundatiores. Sed eſto, quod iſta ſint reprehenſibilia & purganda,
„ non propter hoc retraharis, quia nullus ad hoc impellitur, ſed is
„ magis amatur, qui magis eſt talium aſpernator. Nec Prælati talia
„ præcipiunt, ſed permittunt. *Nec propter tres vel quatuor vitioſos, de-*
„ *bet Magiſter contemnere innocentes.*

III.

Quod ad Theologiam ſpectat, Gregorius Nazianzenus ſermon. 16., in quo Monachos æque ac alios compellat, multa ſapienter admonet, quo diſputationes de rebus fidei recte exerceantur. *Turpe eſt profecto* (ait) *in veſte ac victus ratione, non ſubliomiorem ſed viliorem eligere, ac genuum callo, lacrymarum fontibus, jejuniis, vigiliis, chameuniis, labore, atque omni corporis maceratione humilitatem præſeferre, ac propriam imbecillitatem agno-ſcere: in divinis autem diſputationibus principatum & tyrannidem ſibi vendica-re.* Poſt quæ ſibi Sanctus Pater hæc obiicit: *Quid igitur? (interpellabit*
Gregor. Naz. Or. 26. *quiſpiam ex iis qui ferventioris animi ſunt) an de Deo tacebimus, idque nobis indicis? Et de qua tandem re potius loquemur? aut quo loco illud ponemus, ſemper laus ejus in ore meo, & alia Scripturæ loca* pene innumera *in eamdem ſententiam. Cui leniter* (ſubdit Sanctus Pater) *& ſine acerbitate, ut hinc quoque animi moderationem doceamus, occurrendum eſt. Non te tacere jubeo, vir ſapientiſſime, ſed à pertinaci contentione abſtinere: non veritatem occultare,*

ſed

ſed præter legem non docere. Nam & ipſe vel primus inter eos nomen profiteor, qui ſapientiam & doctrinam laudibus efferunt, atque in divinis ſermonibus ſacriſque ſtudiis tempus atque operam ponunt, aut certe ponere cupiunt. Interim tamen exceſſum vito, & inexplebilem cupiditatem coerceo: malimque, ſi mihi utrumque fugere ac mediocritatem aſſequi non liceat, nimis ignavus eſſe, quam nimis audax, & temerarius. Denique Sanctus hic Præſul aliis pluribus in hac materia egregiis regulis propoſitis, orationem claudit, eam ad quodlibet hominum genus dirigens, ad juvenes, & ſenes; ad Superiores, & ſubditos; ad Monachos, & in ſæculo degentes, *Monachi & qui in ſodalitio vivitis.*

Patet hinc quam manifeſtiſſimè, quis illo ævo vigeret uſus inter Monachos tractandarum Theologiæ quæſtionum; neque vero quoad hoc potiores regulæ exhiberi poſſe mihi videntur. Quæ ſi rite ſervarentur Theologicum ſtudium intra Clauſtra inſtitutum, maximam procul dubio afferret utilitatem.

Idem S. Gregorius orationem 45. mittit ad Evagrium Monachum, a quo ſibi fuerat propoſita hæc quæſtio, quomodo divina eſſentia ſimplex eſſet, cum ex tribus conſtaret perſonis. Tantum vero abeſt ut eum propterea curioſitatis arguat, ut potius laudet & miretur etiam, eo quod ſibi occaſionem præbuerit de talibus diſſerendi: *Prudentiam tuam vehementer ſuſpicio ac ſummopere admiror, qui talibus ſpeculationibus tantiſque quæſtionibus cauſam præbes.* Quod multum a ſententia diſcrepat D. Abbatis, qui de Theologicis materiis, & de Dogmatibus ſermonem haberi in Monaſteriis vetat, contendens hunc uſum ſimplicitati & humilitati, quarum fit in ſtatu Monaſtico profeſſio, omnino adverſari; quemadmodum & moribus veterum temporum, quibus aſcetica vita in ſua manebat integritate.

Attamen Syneſius in ſua Epiſtola 146., quam ad Monachum quemdam Joannem ſcribit, de eodem memoriæ prodit, quod Alexandriam profectus fuerit ut Theologicos libros videret, atque eorum explicationem & ſenſum addiſceret. Denique compertum habemus, S. Maximum Abbatem, poſtquam literis humanis & Philoſophiæ in ſæculo ſtuduerat, Theologiæ in Monaſterio operam dediſſe, cujus notitia in diſputationibus contra Monothelitas adeo ſtrenue uſus eſt.

Huic auctoritati addi poteſt illa S. Baſilii in Epiſtola ad Chilonem, qui ex Cœnobita Anachoretam ſe fecerat, ut refert latina verſio. Ibi S. Doctor de omni artificio eumdem certiorem facit, quo Diabolus uti poterat ad ipſum retrahendum a ſolitudine, ſuggerendo nempe ex Anachoretica vita occaſionem penitus adimi amplius interveniendi ad ea Sacra Concilia, quæ cogebant Epiſcopi, ut difficultates & dubia reſolverent ad Theologiam pertinentia.

Uſus fueram hoc loco D. Baſilii in meo Tractatu, ut inferrem, quod Cœnobitæ aſſiſtebant Synodis ejus temporis; & cum dicere debuiſſem, S. Baſilium de hujus lucri ſpiritualis jactura ad *Chilonem Monachum verba facere;* dixeram, quod illum *redarguit, quia cum ſe Anachoretam feciſſet hac ſe fraudaverat utilitate.*

D. Ab-

Digitized by Google

D. Abbas factum ipſum non inficiatur, *& hanc objectionem alicujus momenti fore* confitetur, *ſi S. Baſilii eſſet, cujus revera non eſt* (ait) *quippe illam excogitavit mendacii pater*. Et re, ut ex Epiſtola colligitur, narrata, concludit me *hac citatione in errorem impegiſſe, qui notari meretur in eo viro, cui taliter hallucinari ſolemne non eſt*. Nihil magis officioſum dici poterat pro excuſatione graviſſimi erroris: quod enim neſciverim S. Baſilium a diabolo ſecernere, & illum loco hujus acceperim, ea eſt profecto non remittenda hallucinatio. Utcumque vero ſit, & Diabolus quandoque veritatem enunciat, eaque utitur, ut ad peccatum & ad mendacium trahat. Quando verbi gratia, tentans Dominum, Scripturæ verba abhibuit, in ore ejus iſtæc verba veritatis formam non amittebant, quamvis ea prave ad ſuum intentum torqueret, & Dominum eorum ope ſeducere vellet. Ita ſane, quamvis Diabolus in hac Epiſtolæ parte Chilonem alloqueretur, & objectio, de qua agitur, non S. Baſilii, ſed diaboli eſſet; nihilo minus ad probandum virium haberet, poſito quod certum exploratumque ſit illud factum, quo utitur Diabolus ut Chilonem a propoſito dimoveat. Malignus enim ſpiritus numquam ad malum allicit niſi ſub boni ſpecie, quod bonum ſemper ut certum & verum ſupponit, ſaltem ratione illius quem tentat. Proinde dum Monachum ad relinquendum Monaſterium ſollicitat, ob ejus oculos ponens commoda, quibus frui poſſet in parentum domo; revera intelligimus, huic Monacho parentes eſſe, quibus ſuppetunt bona ad alliciendum Monachum opportuna. Neque enim diabolus adeo eſt calliditatis expers, ut tentet hominem repræſentans ei bonum, quod homo ille ſciret non eſſe. Exploratum eſt igitur, Diabolum, ſi ipſe quidem cum Chilone loquitur, ſupponere, quod Chilo antequam ſecederet, Epiſcoporum conventibus intervenire re ipſa poſſet; ſecus enim ejus ſollicitatio evaneſceret. Objectio itaque non deſinit *alicujus momenti eſſe*, quamvis diaboli ſit, non vero S. Baſilii.

Sed ut rectius loquamur, dici poſſe videtur, eam S. Baſilii eſſe, qui proſpiciens, diabolum hac tentatione Chiloni inſidiaturum, huic a maligni ſpiritus fallaciis præcavet. Fateor, hunc D. Baſilii locum, prout in prima mei Tractatus editione Gallica legitur, non uſquequaque exacta locutione expreſſeram: at ſi ex editione latina jus mihi aſſumam, in qua legitur quod Chilo ex Cœnobita Anachoretam ſe fecerat: & ex D. Abbatis factum non inficiantis confeſſione compendium capiam, nempe quod Chilo in priori Cœnobitica vita hiſce Conventibus intereſſet; in ſuo manet robore argumentum, quod inde colligebam, ac tantumdem habet ponderis.

Id, de quo potiori jure dubitare poſſemus, in hoc ſitum eſt: an Chilo vere fuerit Cœnobita antequam Anachoreta fieret: imo etiam an hoc ipſo receſſu, de quo agitur, ſe fecerit Cœnobitam potius quam Anachoretam. Nam quamvis in titulo latinæ verſionis, & initio quoque textus latini *Anachoretæ* conditio legatur, nihil tale in græco reperitur. Quin & plures hujus Epiſtolæ ſententiæ quadantenus innuunt,

quod

quod Cœnobiticam vitam ſuſceperit Chilo in aliquo remoto Cœnobio. Etenim S. Baſilius eum monet, ne ſtatim ad aſcetici inſtituti ſummitatem ſeipſum extendat, ne ſibi ipſi confidat; ut ad patientiam ſe præparet objectu criminum, detractionum, calumniarum; ut quietus ſit, non petulans in ſermone, non litigioſus, ſed paratus ſemper non ad docendum, ſed ad diſcendum; ut ſuos fratres amet, ut mitis & humilis ſit.

Ex adverſo autem ait quoque, ſolitudinem non niſi a feris habitari, ibi ab hominibus magnam eſſe abalienationem, penuriam doctrinæ, & ſegregationem a fratribus. Quæ res facit ut putemus, Chilonem è Monaſterio, quod S. Baſilius prope Cæſareæ Epiſcopium ædificaverat, in ſolitudinem tranſmigraſſe, non ut ibi omnino ſolus degeret, ſed ut cum aliquibus ſolitariis viveret, in cellulis fortaſſe ſeorſim poſitis, ut mos ferebat Anachoretarum, ad differentiam Eremitarum, qui ab omni commercio diſgregabantur. Ita in vitæ prioris inſtituto memoratis Epiſcoporum conventibus adeſſe potuiſſet; quemadmodum conſtat, Monachos intereſſe conſueviſſe ſermonibus S. Gregorii Nazianzeni, juxtam praxim illius temporis, cujus pluria alia exempla in promptu eſſet afferre. Nimio plus ſatis de peculiari facto diſſeruimus; verumtamen illud mihi viſum eſt hac egere dilucidatione.

Obiiciunt nobis S. Joannem Climacum, qui ait, *non decere flentes peccata de Theologicis materiis loqui, cum hoc genus diſputationum lacrymas exſiccare ſolitum ſit. Nos ante Dei judicium non accuſandos, quod ſublimes Theologicas veritates inveſtigare omiſimus, ſeu quod ad altiſſimas contemplationes nequaquam evecti fuimus. Profunditatem Dogmatum fidei eſſe inſtar Oceani vado carentis; quo ſi ſe conjecerit Monachus, maximis periculis obnoxium ſe reddet.* pag. 270. 271.

Ad id primum reſpondeo, ſolemne eſſe auctoribus ſpiritualia tractantibus, inter quos S. Joannes Climacus, hoc modo loqui; & noſtri temporis auctores aſceticos eodem uti ſermone, neutiquam interea damnantes ſtudiorum uſum. Deinde dico, quod ad primam obiectionem pertinet, religioſum quempiam, cui a Deo lacrymarum donum conceſſum reipſa foret, ſatius fortaſſe facturum, ſi ſe a ſtudio abſtruſarum Theologiæ quæſtionum cohiberet, ne periculo ſe exponeret doni amittendi. Quod vero ad ſecundam objectionem ſpectat, qua monitum continetur omnibus indiſcriminatim Chriſti fidelibus in Imitationis libello exhibitum, ſequitur tantummodo, non eſſe Monachis ad hoc ſtudium unicè ac præcipuè incumbendum. Ad tertiam denique, id maxime referri ajo ad Anachoretas, & hoc loco a S Joanne Climaco magnum ſtatui diſcrimen inter Anachoretam & Monachum. Quo diſcrimine explicato ait: *Dogmatum ingens eſt & alta profunditas: mens autem Solitarii non abſque periculo inſiliet in ea. Tutum non eſt cum veſte neque cum paſſione aliqua Theologiam attingere.* Clim. gr. 27. n. 7. 8.

Cæterum ex toto hujus gradus contextu apparet, hic non agi de Monachis, qui in commune vitam agunt, ſed de Anachoretis, quos inter

inter ac Cœnobitas, ut ajebam, hic Sanctus magnum ſtatuit diſcrimen. Fruſtra vero quis dixerit, rationes quas ipſe affert utriſque eſſe communes. In aperto enim eſt, eas non minus ad ſæculares quam ad religioſos pertingere. Cæterum non is ego ſum qui negem, in Oceano ſcientiæ & Theologiæ pericula & ſcopulos inveniri. Neutrum periculo vacat, ac utrobique occurrunt ſcopuli, in ignorantia pariter ac ſcientia: numquam ſecuri fuerimus, niſi hæc pericula jugiter formidemus, nobis minimum fidentes, & multum orantes. Qui ſic affectus non eſt, in magno pereundi periculo reipſa verſatur.

ARTICULUS XVII.

De lectione librorum Veteris Teſtamenti, & Commentariorum in Sacram Scripturam.

MUlta D. Abbas (quod jam initio adnotavi) liberalius indulſit, ut ad noſtram ſententiam propius accederet. Copiam nobis ille fecit legendi Sacram Scripturam. Patrum quoque Commentaria, atque eorum Morales Tractatus exhibuit. Eo ipſo tamen tempore, quo nobis manum tendit & aperit, iterum ſtatim occludit, magnam eorum partem detinens, quæ nobis tribuere velle præſeferebat.

Ex iis, quæ de lectione Veteris Teſtamenti differit, ſic ſe habere intelligimus: quippe ita cenſet: *pleroſque Monachorum ſola novi Fœderis lectione ad vitæ ſanctitatem contendiſſe; & licet Veteris lectione interdictum illis non fuerit, nihilominus ſanctos viros exiſtimaſſe, cautius in ea procedendum; prout diſcimus ex Epiſtola S. Baſilii ad Chilonem, ex ejuſdem praxi in Regulis compendio explicatis; ex S. Nili ſcriptis, & ex ipſa S. Benedicti auctoritate; quippe in Regula notat, primos ſeptem Veteris Teſtamenti libros cum periculo legi poſſe in quibuſdam temporis circumſtantiis, propter animorum imbecillitatem. Cum autem hæc ineptitudo & imbecillitas in multis reperiri poſſit, & præſertim hoc tempore, quo ſcientia in majorem Monaſticarum ſodalitatum partem irrepſit; non debet ejuſdem lectio permitti, niſi cum aliqua diſcretione cordium & ſpirituum, ne forte pro utilitate damnum & abuſus erumpant.*

Nimirum ſequitur, ut hujuſmodi lectio non niſi Trappæ Monachis, illiſque, qui eadem obſervantia tenentur, permittenda ſit. Nam ſi huic lectioni obſtat ſcientia, prout ſatis aperte innuit D. Abbas, cum ea vel ipſo fatente in majorem Monaſticarum ſodalitatum irrepſerit, ſubtrahenda erit hæc lectio in his ſodalitatibus, in iis vero tantummodo permittenda, in quibus ſcientia recepta non eſt, nimirum ut uno verbo dicamus, illis dumtaxat permittenda, qui vix quod legerint intelligere poterunt.

Sed ſane credibile eſt, D. Abbatem in his Communitatibus illos ſecernere, qui pietatem in ſcientia cuſtodiunt. Cum ipſe tamen putet,
Pag. 150. *ſcientiam Monachis nocere, eorum corda pervertere, eos lethaliter afficere, pietatiſque & ſimplicitatis fundamenta diruere, quibus adhæret ipſorum ſanctificatio;*

Digitized by Google

catio; neutiquam inficiari poteſt, valde eſſe metuendum, ne nonniſi pauciſſimi inveniantur in his communitatibus, quibus Veteris Teſtamenti lectio permitti poſſit. Ergo ab omnibus fere Monaſteriis exulabit hæc lectio, modo Pſalmorum librum excipias, cujus lectionem D. Abbas interdicere nequit. Quid magis admirabile, & contra omnium opinionem dici unquam potuit?

In ſermones omnium ipſe alias incurrit eo quod hac lectione interdixerat Moniales (des Clairéts): & nemo ignorat, quæ in utramque partem ſcripta ſunt. Verum enim verò aliquo jure ita ſtatuere potuiſſe videtur; nam præterquamquod de infirmiori ſexu agebatur, earum ille Superior erat, & privatis ac certis rationibus forte adigebatur, ut illis hanc inhibitionem faceret. Sed nihil ad nos rationes illæ: ſermo hic non eſt de infirmioribus puellis, ſcientiæ expertibus, ſed de regularibus viris, qui ejus regimini nequaquam ſubduntur, qui in Cœnobiis degunt, ubi viget ſcientia; uno verbo de omnibus ferme Monachorum cætibus.

Quod ſi hoc paradoxon primo fundamento ex ſcientia deprompto innixum viſum eſt abſonum & mirabile; admirabilius procul dubio videbitur, ubi alterum ejus fundamentum expenderimus. *Si veteres Patres (ait) qui hanc lectionem permiſerunt, uſque ad futura tempora animo* pag. 238. *pervaſiſſent, & Monaſticæ diſciplinæ fervorem remiſſurum vidiſſent, quàmque pauci futuri erant Monachi ita diſpoſiti, ut hanc lectionem cum fructu peragere poſſent; profecto non niſi parcius & cautius eam permiſiſſent.*

Haud multum ſane honorificum eſt priſcis Patribus, S. Benedicto atque aliis, credere, quod non cognoverint, quid in hominem cadere poſſit. Neque enim ad hoc opus erat, ut in futura tempora animo excurrerent. Satis ſuperque erat homines & Monachos, quibus cum vivebant, intueri. Iidem hodie ſunt homines, ac olim fuerint, & recti ordinis perverſiones ſunt omnium temporum.

At ſi veteres Patres poſteriora tempora inſpicere nequiverunt, neutiquam fas eſt ut dicamus ea non patuiſſe illi, cui omnia tempora aperta ſunt & præſentia, Spiritui Sancto videlicet, qui primus antiqui Fœderis æque ac Novi auctor eſt. Verum enimvero idem ipſe ſpiritus vetus Teſtamentum ad omnium hominum inſtructionem ſcribi voluit. *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Quidquid ibi legimus, ipſa peccata, *ſcripta ſunt ad correptionem noſtram.* Poſtremo Jeſus Chriſtus Hebræos, & nos in eorum perſona commonefecit, ut ſedulo Scripturas inveſtigaremus, ut ſe in illis reperiremus: *Scrutamini Scripturas.* Quod ſi ratione alicujus offendiculi, in quod incurrere quis poſſit Vetus Teſtamentum legendo, hæc lectio non niſi parce & caute eſt permittenda; jam ab illa abſtinendum erit in Divinis quoque Officiis, ubi his præcautionibus non eſt locus. Imo & interdicenda erit hæc lectio ipſis Doctoribus atque Eccleſiaſticis viris, eo quod illa abuti poſſint, ut fecere multi, ad propugnandas hæreſes; cum nullus umquam fuerit hæreticus, qui falſo obtentu Scripturas ipſas fovendis erroribus non adhibuerit. Verum hic non conſiſtunt omnia: age

Digitized by Google

quæ Dominus Abbas diſſerere pergit audiamus.

ibid. *Si Monachorum proxime ſuperioris temporis diſſolutio antiquis Patribus perſpecta & cognita fuiſſet, in hoc ſatis cauſæ habuiſſent, cur caſti eloquii veritates non exponerent illiberalibus jocis, intempeſtivis verborum argutiis, improbis narrationibus, liberioribus explicationibus, alluſionibus impiis, malignis, & ſanctitate Spiritus, qui Scripturas dictavit, prorſus indignis. Noluiſſent procul dubio corruptorum hominum innumeræ fere multitudini locum dare, ut effrenatam morum licentiam tam ſpecioſo obtentu alere ac tueri poſſent.*

Hæc plerorumque Cœnobiorum præſentis ſtatus delineatio, tetra adeo eſt ac fœda, ut ſi congrueret veritati, merito regularium cœtus in ſumma abominatione apud omnes eſſe deberent. Ergo ne in iis locis, quæ ideo conſtituta ſunt, ut inibi adoleſcat ſanctitas, ut Scripturarum vigeat jugis meditatio, ut omnium cogitationes & ſermones ad Deum, ad ejus veritatem, bonitatem & juſtitiam referantur, caſti eloquii veritates impune contemnentur *illiberalibus jocis, improbis narrationibus, liberioribus explicationibus, alluſionibus impiis?* Non reclamabunt Superiores tot abominationibus? Nemo ibi reperietur, qui *innumeræ fere multitudini* obſiſtat *corruptorum hominum*, qui ex Veteri Teſtamento anſam arripiunt, *ut in effrenata morum licentia audacius ſeſe tueantur?* Ecquod crimen eſt, quod ſub his poſtremis verbis, quæ cum nihil dicant ſingulare, quidquid cogitari poteſt exprimunt, non comprehendatur? Profecto iſta horrorem incutiunt; quæ ſi ita eſſent, omnium hominum indignatio adeo execrandis ſceleribus debitas pœnas irrogare non ſufficeret.

At ſi hæc in publica luce verſantur, & omnium pupillas feriunt, quidni prodit aliquis, qui horrendis diſſolutionibus bellum indicat? Quomodo Epiſcopi, & probi viri eorum punitionem perſequi morantur? Ergo ne fieri poſſit, ut adeo vehemens & elata ſcelerum vox tantummodo in Trappæ ſolitudine fuerit audita? Quod ſi latent hæc ſcelera (quamquam qui latere poſſint, cum eorum perpetratio adeo ſit frequens & communis?) quare propalantur, ut cœlum & terra erubeſcant? Delata ne ſunt ad Superiorum aures? Sumpta ne eſt illorum notitia, quantum rei gravitas poſtulabat, antequam denunciatum veniretur? Urbs Sodomorum, utut abominationibus plena, & quamvis clamor ſcelerum eorum coram Domino increviſſet; non antea divinæ vindictæ pœnas perſolvit, quam Deus ipſe deſcendiſſet, quodammodo ſingula exquiſiturus. Cur ergo nos per ſummam injuriam damnamur inauditi, inexquiſiti? Graviſſima accuſatio nullum alium fortaſſe auctorem habet, quam pravi ingenii hominem neſcio quem transfugam, qui ut aliquo ſpecioſo obtentu deſertionis improbitatem elevet, edit in vulgus dictum quod imprudenti cuipiam in re minus ſeria exciderit; ſub monſtri ſpecie rem totam enarranti fides adhibetur; excandeſcit zelus audientis; atrox crimen intenditur; & inſontium denique innumera multitudo cum uno fortaſſe aut duobus malis nullo delectu confunditur.

Sed ne credas quæſo, Reverende Pater, ita eſſe ut narratur. Res aliter

aliter omnino ſe habent. Quotidie intra noſtra Cœnobia legitur Sacra Scriptura ea qua par eſt reverentia, plerumque flexis genibus & capite aperto. Cum eodem ſenſu venerationis de ea ſermones miſcentur: proponuntur difficultates quæ in hac lectione occurrunt, ut illuſtrentur. Superiores etiam in qualibet Provincia certas conſtituerunt Sodalitates, in quibus peculiari modo & dedita opera illius ſtudium tractatur ſub directione Doctorum, unde prodeunt diſcipuli alios docendi capaces. Juſſi ſunt quoque originalium linguarum peritiam ſibi comparare, quo planior illis ad Sacræ Paginæ intelligentiam aditus aperiatur. Quod ad hanc rem pertinet, ita apud nos comparatum eſt; nec aſſerere dubitarem, utut exiguus ſit eorum numerus, qui Prophetæ cenſeantur in Iſrael, magnam vim ſanctarum animarum ibi eſſe, quæ non flexerunt genua ante Baal. Interea Vetus Teſtamentum æque ac Novum legere & meditari pergemus, quando quidem ejus lectio nobis eſt a S. Benedicto conceſſa: & donec Eccleſia aliter decernat, hac nos lectione numquam interdici poſſe putabimus. Quid enim propter nonnullos abuſus quos aliquis animadverterit, hac nos ſuaviſſima conſolatione fraudabimur? Parum aberit ſcilicet, ut nobis propter eaſdem cauſas ipſa Novi Fœderis lectio interdicatur; eædem enim hic occurrunt cauſæ. Ita brevi librorum ſacrorum lectio a Monaſteriis omnino exulabit. Ubi vero legentur, ſi illic legi eos non liceat? Veri ne ſimile eſt, ut ſæculares & laici potiori jure frui debeant, illi inquam, qui vivente S. Joanne Chryſoſtomo communiter aſſeverarunt, eos tan- *Chryſ.* tummodo, qui ſpretis mundi illecebris antra deſerti, abruptaſque *ho. 3. de* montium crepidines incolebant, uno verbo Solitarios, dignos eſſe *Lazaro.* qui divinos hoſce libros legant. Verum ad Commentaria veniamus.

Minime probatur D. Abbati methodus legendæ Sacræ Scripturæ a me indicata; ait vero, ſe *firmiſſimis & magni momenti rationibus* adigi quo- *pag. 239.* minus eam probet. Quarum prima in hoc ſita eſt; *ægrè fieri poſſe ut ſolitarii animus non diſtrahatur, aut ejus cor non areſcat, propter multiplices lectiones, ad quas eum compello, ut Scripturarum Sanctarum intelligentiam acquirat: periculum eſſe, ne hoc ſtudio magis eruditionem & doctrinam quam pietatem augere ſatagat.* Secunda eo ſpectat; *tot Auctorum varia commentatione, legentis notiones omnino perturbari, atque confundi, ita ut tempus & operam perdat.* Tertia innuit, *facile eventurum, ut ii, quibus tot variorum Auctorum Volumina non ſuppetunt, neque ulla ſubit ratio quomodo ſibi illorum copia fiat, Scripturarum ſcientiam conſequi deſperent, & lectionem negligant.*

Singulæ iſtæ rationes non contemnendæ eſſent, ſi mihi propoſitum fuiſſet, ut falſo ponitur, quemlibet indiſcriminatim ad omnes illos Auctores perlegendos cogere. Econtra enim ob nihil aliud multifarios propoſui, niſi ut variis ſingulorum placitis atque ingeniis ſatisfacerem, & Monaſteriorum commodis conſulerem; quibus ſi ex Auctoribus alter deſit, ſuppetere alter poteſt; ſeu denique ne librorum eorumdem nimis augere numerum cogeremur, ſi omnibus & ſingulis Monachorum eoſdem diſtribuere oporteret.

Addit D. Abbas, *ignotas fuiſſe Sanctis omnes has methodos, & ſtudendi* *pag. 240.*

leges: adhæſiſſe illos unicè Scripturæ Codicibus ſtabili fide; & ejus auxilio fretos, cujus eſt tenebras diſſipare, & oculis lumen præbere; aſſidua & repetita lectione ac meditatione ad earum intelligentiam perveniſſe; demum nobis hiſce viis, quas proprio exemplo ſtraverunt Sancti, inſiſtendum eſſe.

Abſit, ut ego Sanctorum praxim & rationem minus probem, aut methodum, quam magna cum diffidentia propoſui, pro quadam lege haberi velim. Et mihi perſuaſum omnino eſt, Sanctorum exempla nobis agendi normam eſſe debere. Haud ſcio tamen, an methodus, quæ in hoc & aliis Reſponſionis locis tamquam a Sanctis uſurpata exhibetur, reipſa congruat veritati. Oppoſitum me oſtendiſſe arbitror ſupra in articulo 15. Neque difficilè foret noſtram hic quoque ſententiam aliis auctoritatibus confirmare. Ratio ſtudendi ſacris literis, quæ in hac objectione legitur, eo magis anceps & ſuſpecta eſt, quod Religioſis, junioribus æque ac provectis, plerumque ſtudio, ſcientia, ac ſcientiæ acquirendæ medio deſtitutis proponitur. Quid his Religioſis in Scripturæ lectione & meditatione agendum erit? Literæ ne ſemper adhærebunt? Litera illos occideret ſæpius, quam vivificaret. Senſum-ne myſticum aut allegoricum ſcrutabuntur? Facile in vitium Origenis impingerent. Quomodo vero apti ad hos ſenſus inveſtigandos eſſe poterunt? Literam ne aliquando ſequentur, aliquando myſticum & tropologicum ſenſum? Unde vero ſingula appoſite ſecernere didicerint? Dei miracula quotidie expectanda non ſunt; vult quippe Deus ut tritas ſequamur vias, quas ipſe indicavit ad hanc intelligentiam acquirendam, utamurque ſcientia, ſtudio, traditione, & doctrina illorum, qui nos præceſſerunt.

Pag. 240. 241. *At quoſnam Commentarios legerat S. Antonius, magnus ille vir, qui uberrimos fructus ex Scriptura ſibi comparabat.* Idem dic de SS. Hilarione, Pachomio, Ephræmo, de Machariis, de Sanctis Patribus, quorum Collationes nobis retulit Caſſianus.

Dentur mihi Antonii, Hilariones, Pachomii &c. nullum aliud ab iis ſtudium, nullam ſcientiam poſtulabo, quam ſolam librorum ſacrorum lectionem ab ipſiſmet peractam, aut ab aliis, quos ipſi legentes audiverint; hæc illis ſatis ſuperque erit ut Scripturæ intelligentes fiant. Compertum enim eſt, ſi de Antonio loquamur, præter peculiare gratiæ donum, qua hic Sanctus plenus fuit, ingenii celſitudinem & perſpicaciam, quam Syneſius nondum Chriſtianus maximopere miratus eſt, cujuslibet ſcientiæ loco illi fuiſſe; dicique de illo poteſt quod de Trajano dictum fuit, ſine ſtudio habuiſſe eum quidquid ſtudium & literæ præbere poſſunt.

Nihilo tamen minus fatendum eſt, S. Antonium ſtudio dediſſe operam, ſi non legendo, at diſcipulorum lectiones aſſidue audiendo; quo pacto Didymi & alii permulti noſtro etiam ævo docti evaſerunt. Ita ſaltem intelligenda ſunt quæ in ejus vita memorantur; quod ſicuti quidquid in reliquis Monachis imitatione dignum animadvertebat, imitari ſategit, ita non minori ſtudio flagrabat aſſiduitatem lectionis aliquorum æmulandi; *alterius legendi æmulabatur induſtriam.* Paris æmulatio-

Digitized by Google

lationis amorem in diſcipulis accendebat, ita ut in Monte S. Antonii, referente Athanaſio, lectio, quæ jure merito quaſi quoddam ſtudium cenſeri poteſt, inter regularia exercitia peculiare eſſet: *Erant igitur in monte Monaſteria, tamquam tabernacula plena divinis choris, pſallentium, legentium, orantium.* Demus, hanc lectionem, hoc ſtudium ad Sacram Scripturam præſertim ſpectaſſe; neceſſe eſt fateamur, non leve aut perfunctorium, ſed grave & acerrimum fuiſſe, quandoquidem adeo commune & frequens erat.

Hujus rei judicium ferre poſſumus ex Collationibus, ſeu colloquiis, quæ hic vir Dei ſæpe agitabat cum fratribus, aut cum iis, qui ſe conveniebant. Haud raro ibi ſublimiora argumenta pertractabantur, & abſtruſiora Chriſtianæ religionis capita explanabantur, ut patet ex ea Collatione, quam habuit cum magnis illis viris, de qua in hiſtoria Rufini: *Et cum ſermo de rebus profundis, & myſticis haberetur, cumque de Prophetis & Salvatore plurima tractarentur &c.* Addit Rufinus, cum Paulus Simplex in ea Diſputatione quæſiviſſet, utrum Jeſus Chriſtus ante Prophetas eſſet, S. Antonium *quaſi erubuiſſe*, & ſilentium Paulo indixiſſe. Tantum igitur abeſt, ut hic Sanctus vir ignorantiam probaret, ut potius *de rebus profundis & myſticis, de Prophetis* diſſerere dulce haberet.

Rufin. de vit. Pat. cap. 30.

Nullus dubito, quin in ejus Monaſteriis Patrum quoque ſcripta legerentur; quippe S. Antonius fidem & traditionem Patrum moriens diſcipulis commendavit. *Qua propter, aiebat, cuſtodienda eſt pia fides in Chriſto, & Patrum religioſa traditio, quam ex Scripturarum lectione, & crebro meæ parvitatis didiciſtis admonitu.* *Scripturæ* vocabulo non libros divinos tantum, ſed quidquid de Chriſtianis dogmatibus ſcriptum fuerat, ſub traditionis voce comprehenſum, intelligi perſpicuum eſt. Demum Epiſtolæ quæ ſuperſunt ab eo conſcriptæ, pietatis & doctrinæ ſpiritualis argumento, aliorum multorum Patrum Epiſtolis nullatenus cedunt. Quid igitur miramur, S. Hilarionem, qui ab adeo præſtanti magiſtro fuit inſtitutus, Sanctarum Scripturarum ſcientia excelluiſſe? Quis ignorat, S. Epiphanium, doctum illum Præſulem in uno ex Monaſteriis Palæſtinæ a S. Hilarione fundatis, jam inde a pueritia educatum fuiſſe?

Quod ad S. Pachomium attinet, in ejus Monaſteriis uſque a primordiis quamdam ſtudiorum normam viguiſſe demonſtravi. Satis eſt legere utriuſque Macharii homilias, ut quilibet convincatur, profundum Scripturæ ſtudium in Monaſteriis viguiſſe. Difficultates vero, quarum ſolutiones in hiſce homiliis exhibentur, manifeſto indicant, Sanctis illis Monachis valde curæ fuiſſe, ut obſcura Scripturæ loca, quibus in legendo impediebantur, perſpecta atque explicata haberent: Erant denique illi, totidem, ut ita dicam, viventes ſibi invicem Commentarii. Haud ſecus dicendum eſt de Sanctis illis Patribus, quorum Collationes memorat Caſſianus; in quarum decima ſexta Joſephi Abbatis teſtimonio demonſtrat, ſine aliorum præſidio & doctrina, in lectione atque intelligentia ſacrorum librorum errores vitari non poſſe.

De S. Ephræmo compertum habemus, ſingulari luminis gratia illum

a Deo

Digitized by Google

a Deo fuiſſe donatum, ita ut ſine ullo pœne ſtudio altiſſimam doctrinam fuerit conſecutus. Porro divinæ colluſtrationes adeo in illo fuerunt extraordinariæ, ut teſtetur Sozomenus, maximas difficultates, quæ Philoſophos torquere ſolent, fuiſſe illi apertas & exploratas; in patria vero lingua, nempe Syriaca modo prorſus mirabili eloquentem fuiſſe: adeo ut S. Baſilius eum omnium ſuæ ætatis oratorum, etiam inter Græcos, diſertiſſimum judicaret. Non eſt autem dubitandum, quin multum quoque profecerit ex hujus Sancti Doctoris conſuetudine, a quo Sacris Ordinibus, & ipſo Sacerdotio initiatus fuit.

Sozom. l.3.c.15.

pag.241. Quærit D. Abbas, an *S. Baſilius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Joannes Chryſoſtomus, S. Auguſtinus, atque alii plerique magnas illas veritates, quæ in eorum Scriptis paſſim occurrunt, aliunde quam ex ipſo Scripturæ textu deprompſerint.*

Quis neget, illos ex hoc uberrimo fonte omnia hauſiſſe? Verum antequam ſtudium ſacrorum librorum capeſſerent, præſtantes oratores, eximii Philoſophi & Theologi fuerant. Nemo jam mirabitur eos ſine ullo alio adminiculo in hoc ſacro ſtudio tam magnos progreſſus feciſſe. Sed quid narro? Magni illi viri omnium illorum, qui ante ſe Scripturam explicaverant, commentaria legere non omiſerunt, imo & alios, quos in hac ſcientia excellere putabant, crebro conſuluerunt; cujus rei teſtis locuples eſt S. Auguſtinus in ſuis ad S. Hieronymum Epiſtolis.

pag.244. Sed quid opus habent *tot interpretibus, tot paraphraſtis, tot commentatoribus, Monachi, quibus in ſola Scriptura quærendæ ſunt veritates ad vitæ rationem & morum inſtitutionem ſpectantes?*

Nihil eſt cur D. Abbatem hæc multitudo Commentariorum offendat, cum ego pluries ſignificaverim, non id mihi conſilii eſſe, ut velim ea ab omnibus in univerſum legi, ſed unum eligi prout cuique magis lubet, ex nutu & judicio Superioris aut alterius prudentis viri. *Non eſt animus*, ipſemet ait, *quodlibet in Scripturam Commentarium Monachis interdicere*. Nihil aliud ab eo reiicitur quam ingens numerus Commentariorum, quem ego propoſui. Nobis ergo hac in re plane convenit. Nam ego pluribus in locis palam feci, non id me velle ut univerſa legantur, ſed ideo magnum eorum numerum adnotaſſe, ut cuique daretur optio, & hoc vel illud eligeretur. Non omnes libri in Bibliothecis Monaſteriorum ſuppetunt; & ejuſdem libri non adſunt plura exemplaria, quæ ſingulis diſtribuantur. Commentariorum Eſtii in Epiſtolas S. Pauli, non ſuppetunt verbi gratia viginti exemplaria pro viginti Monachis, quibus aliquod in has Epiſtolas Commentarium habere opus fuerit. Poſtremo velle ſuum cuique eſt, & ſingulorum ingenia ac placita inter ſe diſcrepant. Has ego mei facti rationes habui.

pag.144. & ſeq. Quod ad illam ſpectat veritatum enumerationem, quas commentario in S. Scriptura non egere ait D. Abbas; nihil habeo dicere; niſi quod ſimpliciſſimæ veritates quandoque perperam accipiuntur, aut parum intelliguntur, ſi ut oportet non explicentur & enodentur. Quid magis notum & exploratum eſſe poteſt generali hominum obligatione ſe

ad Deum

ad Deum convertendi, vitam in pœnitentia agendi, ſemetipſos cautè cuſtodiendi: de his tamen & aliis id genus argumentis elucubrantur Tractatus, quos ſupervacaneos exiſtimare non poſſumus. Singulæ illæ veritates, quarum enumeratio octo pœne integras Reſponſionis paginas implet, quot Tractatus requirunt? Omnes fere vanitates (repetam enim) utut perſpicuæ & apertæ videantur, a rudibus & ignaris Monachis, licet piis, perversè accipi poſſunt. Nihil clarius ea lege, verbi gratia, qua omnes Chriſtianos teneri vult Dominus, ut ſuam videlicet crucem tollant. At Caſſianus quoſdam Monachos in ſuis Collationibus memorat cæteroqui *diſtrictiſſimos* & zeli plenos, zeli, inquam, qui a ſcientia minime regebatur, qui juxta nudam literæ ſententiam hoc mandatum accipientes, putarunt ſe ad ligneas cruces humeris jugiter ferendas obſtringi: *Fecerunt ſibi cruces ligneas, eaſque jugiter humeris circumferentes, non ædificationem, ſed riſum cunctis videntibus intulerunt*. Adverſus hos Monachos ſtylum ſuum videtur acuere D. Joannes Chryſoſtomus in ſermone de adoratione crucis. Perſpicuum eſt hæc abſurda ab ignorantia Monachorum regularis diſciplinæ cæteroquin amantium ortum habere. In notis Gazæi ad hunc Caſſiani locum animadverti poſſunt aliæ plures Scripturæ auctoritates, quæ licet de ſe apertæ & claræ, a Solitariis tamen doctrinæ expertibus male intellectæ ſunt.

Caſſ. Coll. 8. c. 3.

ARTICULUS XVIII.

De Studiis privatis & peculiaribus, quæ vel ſimplices Monachos, vel Monachos presbyteros, ac Superiores decent.

POſtquam de communibus ſtudiis, quæ intra Monaſteria peragi poſſunt, diſſeruimus; erit modo ſermo de ſtudiis privatis Monachorum, & de peculiaribus & certis materiis, quarum ſtudium capeſſere privatim liceat. Porro hanc ſtudiorum in communia & privata diſtributionem adhibeo, ut generalem conſuetudinem ſequar, quamvis quod in ſtudiis communibus diſcitur, privatim quoque diſci poſſe neutiquam ignorem.

Conſiderari poſſunt ſtudia vel reſpectu ſimplicium Monachorum, vel illorum qui ſacris Ordinibus initiati ſunt, vel denique reſpectu Superiorum. De primis primò agamus.

I. Ut

I.

Ut methodo, quam Monachi in ſuis lectionibus & ſtudiis ſequi poſſent, majorem lucem afferrem; illos in tres claſſes diſtribueram: prima eorum eſt, qui piis dumtaxat operibus vacare optant, & ſpiritualium auctorum lectione propria ſtudia concludunt: Altera eorum, qui mediocri ſunt eruditione contenti. Tertia demum eos complectitur, qui ad majora aſpirant, & a Superioribus vel ad ſcientiarum cultum deſtinantur, vel ad aliquid Eccleſiæ aut Religioni proficuum.

Pag. 386. Contra hanc diſtributionem a D. Abbate reclamatur, quippe quæ, ut ipſe ait, *nova ſit*, *inaudita*, & ſanctis incognita. Addit *id perinde eſſe, ac diſſenſionem illuc invehere, ubi nulla prorſus debet eſſe diſſenſio, & ſocietatum fundamenta concutere.*

Iſta quidem acerbius dicta ſunt: ſed age videamus, an hæc diſtributio ſit adeo nova, & pernicioſa, & num ipſemet D. Abbas eam admittere cogatur.

Et primo certum eſt, ut Corpus Eccleſiæ, ita Religionis & ſtatus Monaſtici, ex pluribus membris eſſe conflatum, quibus varia officia, & variæ functiones competunt: ex hac vero operationum diverſitate non modo in hoc corpore nullum fieri diſſidium, ſed potius convenientiam partium & mutuam conſpirationem ſuſtineri: Pes non iraſcitur oculo, quod non videat, aut ori & ſtomacho quod non comedat, neve cibos conficiat.

2. Haud minus exploratum eſt, ſolius Dei eſſe, ſuum cuilibet parti locum & gradum tribuere, quem in hujus corporis compoſitione ſervare debeat. Ita nos docet in Epiſtolis S. Paulus.

Plerumque non dignoſcitur, cui miniſterio aliqua perſona a Deo deſtinetur, niſi ex talentis, quibus ab illo fuit donata. Ita prælaturæ illis conferuntur, quibus Deus majorem virtutem, ſapientiam & prudentiam impertivit: officiis & miniſteriis rerum exteriorum præficiuntur alii, qui ad illa perſolvenda magis idonei eſſe probantur: charitatis officiis alii, in quibus ad illa propenſio cernitur. Porro hæc officiorum diſſimilitudo tantum abeſt, ut religioſi corporis diſſiciat unitatem, ut potius eam quodammodo coagmentet & fulciat. Idem dic de dotibus ingenii, quas, cum exploratum ſit maxime inter ſe differre, dignoſcere accurate debemus, ut quemlibet pro captu & viribus ad ſtudia dirigamus, ſicque ordinem Providentiæ ſequamur. Quemadmodum vero privati Monachi falſo quererentur, quod in Superiorum dignitate conſtituti non ſint, cum deſint illis qualitates ad illud munus recte obeundum requiſitæ; ita inique & præpoſtere agerent, qui ingenio ad ſtudia apto carentes ægre ferrent, ſe ad ſcientiarum ſtudia non admoveri.

De hoc negotio ita ratiocinari convenit, ſicut de rebus, quæ in Religioſis Communitatibus ſingulis privatim a Superiore diſtribuuntur.

S. Be-

Digitized by Google

S. Benedictus vetat nè certa & eadem quoad omnes ſervetur menſura in hac diſtributione: ne fiat perſonarum acceptio, neve ulla levitatis animi cujuſpiam ratio habeatur; ſed jubet, ſingulorum reſpici infirmitatem & indigentiam. Nunquid hæc diverſitas nata eſt invehere diſſenſionem? Minime vero. A S. Benedicto egregie circa id proviſum eſt, ut in hac inæqualitate omnia ad unitatem & pacem conſpirent: Ait enim: *Ubi qui minus indiget, agat Deo gratias, & non contriſtetur: qui vero plus indiget, humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro miſericordia: & ita omnia membra erunt in pace.* S. Bened. cap. 34.

Simile judicium ferendum eſt de ingenii facultatibus & donis, quæ inæqualiter perſonis, ex quibus Communitates componuntur, collatæ fuerunt. Hujus inæqualitatis ratio habenda eſt a Superiore, ut unumquemque pro ſua capacitate, pro naturæ & gratiæ diſpoſitionibus ad ſtudia aliave munera capeſſenda dirigat. Ubi qui ſcientiarum altioribus ſtudiis non admovetur, gratias agit Deo pro talentis fratri datis, neque dolet quod ſtudio ut ille non occupetur: Ubi viciſſim ille qui ad ſtudia juſſu Superiorum incumbit, non extollitur pro ſcientia, ſed humiliatur, eo quod vilioribus & abjectioribus officiis non occupetur, dicitque ex animo cum S. Auguſtino, aliorum conditionem fore ſibi chariorem; omnia membra erunt in pace.

Iſtud quidem facile dictu eſt, reponet mihi aliquis: at rariſſime & difficillime ad praxim redigitur. Fac ita eſſe; negari tamen non poteſt hanc agendi rationem in Eccleſia & in Monaſteriis rectiſſime ordinatis jugiter fuiſſe ſervatam.

Ipſemet D. Abbas hanc ſtudiorum diverſitatem inter Monachos cogitur accipere, ſpectata eorum capacitate, & talentorum inæqualitate; quamvis interea dicat, *hanc agendi rationem cautè & circumſpectè eſſe uſurpandam; videndumque ne in hac re proprii fines inſtituti tranſcantur; niſi evidenter pateat Deum propter gloriam ſuam, & propter Eccleſiæ utilitatem hoc a nobis petere.* Pag. 228.

Sed quæ major evidentia ſupernæ diſpoſitionis expectanda eſt, quam urgens neceſſitas, quæ ſæpius uſuvenit protegendæ fidei, & propugnandæ doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ? Cui ut in hoc rerum ſtatu ſubvenirent, S. Antonius ſolitudinem olim reliquit, & Syriæ Monachi ex jugis montium receſſerunt, ut narrat Theodoretus. Nunquid deerant Epiſcopi & Eccleſiaſtici zelo pleni, qui hæreſeos ignem reſtinguere potuiſſent? Verum enim vero ubi nimium excreverit hæc flamma, jus eſt omnibus in auxilium convolare. Neque expectanda eſt omnimoda conflagratio; ipſæque ſcintillæ timendæ ſunt. Nullum ferme tempus eſt, quo in Eccleſia id genus neceſſitates non reperiantur. Præterea morum & quandoque etiam doctrinæ depravatio atque errores, nonne mala ſunt quæ quolibet tempore contingunt? Si in his caſibus minus urgentibus, juſſus Præſulum expectandus eſt; haud puto, Superioribus Monaſteriorum interdictum quominus ſibi ſubditis Regularibus inſtituendis, & ad harum neceſſitatum exigentiam expediendis operam impendant, quoties idonei & capaces eſſe deprehendan-

tur. Sic ſemper filiorum S. Benedicti mentes cômparatæ fuerunt; ad hunc ſcopum collimarunt Pontifices & Concilia, dum cenſurarum interminatione ſanxerunt, ut Prælati regulares ſuos ad ſtudia Monachos dirigant; nempe ut ex eo numero aliqui inveniantur, ſi uſus Eccleſiæ poſcat, ſuam operam & laborem conferendi capaces.

Neque id puto omnino diſcrepare a D. Abbatis ſententia, qui ita pergit dicere: *Ubi hæc Dei voluntas haud clare manifeſtatur, neque congrua certitudine deprehenditur, licet quandoque aliquem Monachum ita dirigere, ut accuratius cæteris ea, quæ ſuo inſtituto conveniunt, edoceatur, modo intra fines ſuæ profeſſionis ſubſiſtat; licet ei librorum majorem copiam, & plura ſtudiorum ſubſidia ſuppeditare, ut deinceps alios, ſi id neceſſe eſſe videatur, aut verbo aut ſcriptis erudire valeat.* ibid.

Jam ergo privatus quidam Monachus ab aliis diſcernitur, cui *major librorum copia, & plura ſtudiorum ſubſidia ſuppeditantur, ut deinceps alios aut verbo aut ſcriptis erudire valeat.* Nonne integrum nobis eſt idem obtrudere D. Abbati quod nobis ille ſuperius objecit; *id nimirum nihil aliud eſſe quam diſſentionem eo invehere, ubi nulla prorſus debet eſſe diſſenſio, & ipſa religioſi cætus fundamenta concutere?*

Sed ut apertius dignoſcatur, quæ hac ſuper re ſit ejus ſententia, appoſite fiet, quod alium locum Reſponſionis, inter alia multa, proferamus, qui mihi rem totam expedire videtur. En ejus verba: *Illi,* pag. 159. *quibus a Deo peculiares aliquæ dotes, & ingenii facultates collatæ ſunt, quive cæteros eximiis quibuſdam diſpoſitionibus antecellere videntur, nihil impedit quominus juxta divinæ Providentiæ curſum, a communibus exercitiis, nempe a manuali labore eximantur; cæteri vero pro cujuſque viribus aut imbecillitate huic labori vacare poſſent; omniaque Superiorum eſſet ſapienter, juſte, & cum charitate diſponere.*

Jam ergo extraordinariam a Deo vocationem non expectamus. *Qui dotibus ingenii & eximiis quibuſdam diſpoſitionibus prediti reperientur* a labore manuum immunes reddi, interea cæteris in illo occupatis, & ad privata ac certa ſtudia capeſſenda dirigi poterunt. In hoc vero nihil recto ordini adverſatur. Hæc agendi ratio *a divinæ Providentiæ curſu nullatenus deerrat.* Uno verbo diverſa hæc officia a Superioribus *diſcrete, ſapienter, juſte, & cum charitate diſtribuentur.* Atque ideo hæc diſſimilitudo & varietas occupationum non officiet concordiæ & unitati, quæ in religioſis cætibus vigere debet, neque regulari diſciplinæ: econtra quod *aliquis Religioſus, qui a Deo peculiari ingenio & aptitudine donatus cæteris præſtat, certo cuipiam ſtudio admoveatur, id nihil aliud eſt quam exceptio quæ-* pag. 103. *dam Regulam confirmans,* quemadmodum alibi in Reſponſione legitur. Quodnam Lectores judicium tulerint, neſcio; ſed an magnum inter meam ac illius ſententiam diſcrimen deprehenderint dubito. Hoc certe perſuaſum habebunt, nihil cauſæ fuiſſe, cur noſtra Monachorum in tres claſſes diſtributio, ſpectatis ſingulorum diſpoſitionibus & facultatibus inſtituta, ab eo improbaretur.

Neque in hoc tamen quandam generalem obligationem eſſe contenderim, ut pro ſua capacitate quiſque Monachorum ad aliquod munus

exacte

exacte ſemper adhibeatur. Id totum a prudentia & charitate Superiorum pendere debet, qui diſpicient, an ita agere ipſorum Monachorum, & rei quoque publicæ interſit. Nullum etiam Religioſis ipſis jus eſt petendi has diſtinctiones; ſed expectare debent juſſa Providentiæ, quæ ipſis per ſuos Superiores manifeſtabuntur. Egregium hac in re nobis exemplum ſuppeditat Ciſtercienſis Ordo, in quo nonnulli Monachi, doctrinæ & Eccleſiaſtici ordinis honore olim in ſæculo fulgentes, ex ſincero ſeſe humiliandi, & intra Clauſtrorum ſepta obſcure vivendi deſiderio, id genus qualitates de induſtria premebant atque occultabant, malentes pecora ad paſcua deducere, quam lectione & magiſterio occupari. *Tanta eſt virtus humilitatis*, ait Cæſarius, *ut ejus amore ſæpe ad Ordinem venientes clerici laicos ſe ſimulaverint, malentes pecora paſcere, quam libros legere; ſanctius ducentes Deo in humilitate ſervire, quam propter ſacros Ordines vel litteraturam cæteris præeſſe*. Egregium, inquam, exemplum, ac dignum, quod omnes præclaris ingenii facultatibus præ aliis ornati, imitari ſtudeant! Illud certe conſentaneum eſt, ut ſancto perculſi tremore, jugiter metuant, ne donis a Deo acceptis male utantur, & ne de illis elati ſuperbia cum ipſo Datore pugnent. Propterea enixe precari debent, ut vel ſibi has facultates & virtutes adimat, quibus hominum exiſtimationem lucrari poſſunt, aut iiſdem bene utendi gratiam largiatur. *Cæſar. diſſ. 1. c. 39.*

Hæc præ oculis habenda ſunt penitus a Superioribus, quoties aliquos ex ſibi ſubjectis Monachis ſeligere & ſecernere opus habent ad peculiaria munera ac certa ſtudia capeſſenda. Sed neceſſe eſt quoque, ut animadvertant, illud quod in ſe tutius eſt, nimirum talentorum defectum aut occultationem, tutum non eſſe quoad omnes in univerſum; ſed aliquibus ingeniis felici quadam diſpoſitione ad ſcientias comparatis, melius fore conſultum, ſi congruenter exerceantur, quam ſi diverſi generis officiis, ad quæ peragenda ſuapte natura minime feruntur, & quibus languidiora ac quodammodo viliora redduntur, per quamdam vim occupari velint. Quod ſi his omnibus exquiſitè perpenſis ad rem eſſe judicaverint Superiores, ut quoſdam ad peculiare ſtudium adjungant, falſo dixerimus, hos Monachos proprii ſtatus fines tranſiliſſe, & aliam viam ingreſſos eſſe ab ea, cui ex ſupernæ nutu Providentiæ inſiſtere debuerunt; quandoquidem in hoc ipſo eidem met Providentiæ aperte obſecundant, cum illa ad nullum alium finem ingenii dotes illis contulerit, niſi ut eas in Eccleſiæ & Ordinis utilitatem adhiberent.

Quamquam hic a me dicta haud multum adverſentur iis, quæ alicubi in ſua Reſponſione ſcripſit D. Abbas; alia tamen in eadem Reſponſione loca legere eſt, in quibus ſibimetipſi minime conſtare videtur; quemadmodum, verbigratia, ubi omnino reiicit diſtributionem a me initam Monachorum in tres claſſes, ſpectatis eorum talentis & facultatibus. Et in hoc quidem loco de illis loquens, quos in tertia claſſe collocaveram, eos acerrime perſtringit, ac traducit quaſi *regularis ſeceſſus incapaces, ſilentii, orationis, jejunii, vigiliarum & aſſiſtentiæ ad officium penitus oblitos*. *pag. 390.*

N 2 Faten-

Fatendum eſt aliquam in his verbis ineſſe aſperitatem. Quotidie in oculos incurrunt hujus tertiæ claſſis religioſi, quos, tantum abeſt ut huic inordinationi obnoxios eſſe animadvertam, ut plane aliter mihi comparati videantur. Sed ita ſibi illos effinxit animo D. Abbas, & ad ea, quæ modo innuimus addit, *notabile abſurdum poſſe contingere ex eo, quod in quopiam Monaſterio literatorum numerus major ſit quam aliorum parum aut nihil in doctrina exercitatorum: nam ſi ibi ex ordinario uſu, & conſtitutis moribus ratio vivendi tranſigatur (cum exemptiones, ut volunt, neceſſariæ ſint, nec ſatis virium ſuppetat hominibus ad vacandum uno eodemque tempore regularibus obſervationibus ac ſtudiis) ſequitur, ut in tali Communitate ſine diſciplina vivendum ſit, ut ibi ceſſent exercitia, & regularia opera prætermittantur. Relaxatio obrepet in diſciplinæ locum, cujus fervor vigere deberet; pietas exulabit; ita ut conſentaneum veritati fuerit dicere, a ſcientia, & ſtudiorum proſecutione hæc incommoda atque has relaxationes ortum habuiſſe.*

Ita profecto extrema imponitur manus tabulæ, in qua recti ordinis perturbatio, quam id genus diſtinctiones inducere valent, vivaciſſimis coloribus exprimitur: neque is ego ſum, qui abnuam oportere omnino tanti mali cauſam è medio tollere, ſiquidem conſtet illud aliter vitari non poſſe. Sed quæro an non idem penitus eventurum ſit in caſu, quem approbat D. Abbas: nempe quod *illi, quibus a Deo peculiares aliquæ dotes & ingenii facultates collatæ ſunt, quive cæteros eximiis quibuſdam diſpoſitionibus antecellere videntur, poſſunt juxta divinæ providentiæ curſum a communibus exercitiis, hoc eſt a manuali labore immunes reddi*, ut ad certa ſtudia incumbant. Quod ſi horum numerus præpolleat, ac reliqui hiſce dotibus & immunitatibus deſtituti, pauci ſint; jam diſciplina regularis illico concidet, pietaſque ex eo Cœnobio, in quo id contigerit, omnino exulabit; unica vero tantæ ruinæ cauſa fuerit proſecutio ſtudiorum.

Reponet procul dubio, id numquam eventurum, ſi ſervetur modus & ratio a ſe indicata; nempe ſi exiguus valde ſit illorum numerus, quibus hæc privilegia concedantur: Nolle ſe, ubi quis a natura ingenio excellenti præditus eſt, continuo illum ad peculiares ſcientias excolendas dirigi, neque Monachos ad ſtudia aptos, omnes indifferenter debere illis animum adjungere. Ob nihil aliud ſæpe talibus ingepag. 226. nii facultatibus divinitus fuiſſe donatos, niſi *ut iiſdem abrenuncient, ut eas pedibus proterant, & pro offendiculo habeant atque obice perfectionis, ad quam contendere debent, denique ut eas ſicuti fortunæ bona Deo ſponte ſacrificent*. Uno verbo *haud tutum eſſe dicere abſolute, regulares viros pro variis aptitudinibus ad ſtudia eſſe vocandos; & niſi hoc axioma magna cum diſcretione & prudentia ad praxim deducatur, in maximam perniciem facile ruituros*.

Eamdem adamuſſim reſponſionem daturus ego ſum D. Abbati grave abſurdum ſuperius proponenti. Sententia, quæ in modo allatis verbis continetur, omnino eadem eſt ac illa, quam ipſe multis locis aſtruere conatus ſum atque explicare, quamque D. Abbas diſertius ac melius explanavit. Ut difficultati ſatis faciam, quam ipſe propoſuit, ejus explicatione ac doctrina utentem patietur me, certo ſcio. Nam

revera

Digitized by Google

revera virorum ad ſtudia aptorum exiguus valde proventus eſt, ac vix ex centum unus reperietur aptus, & cui ſuppetant omnes neceſſariæ diſpoſitiones. Ita prorſus comparatum eſt ac ſolemne in S. Mauri Congregatione, ubi ex trium millium Monachorum numero triginta ad ſummum deliguntur a Superioribus, ut extraordinaria capeſcant ſtudia, quamquam adſint alii ſtudii capaces. Hic mihi ſermo tantummodo eſt de illis, qui rem literariam publice adiuvant, ſecus habitis Magiſtris & Concionatoribus, atque aliis, quorum munera appellari quoque poſſunt aliquatenus extraordinaria. De duplici horum genere poſtea latius agemus. Sed hæc erunt ſatis quatenus pertinet ad ſtudia ſimplicium Monachorum. Nonnulla jam dicamus de ſtudiis Presbyterorum.

I I.

In tractatu de ſtudiis Monaſticis probare contenderam, ſcientiam Monachorum quatenus in Clerum aſciti ſunt, ampliorem eſſe debere, quam reliquorum; atque hujus ſententiæ confirmandæ cauſa, docti & pii noſtri Ordinis Scriptoris, qui duodecimo floruit ſæculo, Pothonis nomine, cujus opus in Bibliotheca Patrum meruit collocari, teſtimonium protuleram. Hic Auctor, ardentiſſimo zelo flagrans aſſerendæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ, pronunciat, ſolitariam vitam agentes viros prout Clericos & Sacerdotes, non minus teneri regularum ad Clericatum pertinentium, quæ canonibus & Eccleſiæ juſſionibus comprehenduntur, doctrinam haurire, quam regulæ Monaſticæ, quam profeſſi ſunt, cum Deo ſeſe in religioſo cœtu dicarent.

D. Abbas haud inficiatur, *Monachos qui Clero ſunt adſcripti, latiori cognitione indigere, quam illi qui eodem gradu ac ordine minime cenſentur:* ſed *cavendum*, ait, *ne hoc obtentu genus aptitudinis ab iis exigatur ipſorum inſtituto inconveniens. Nullum dubium eſſe, quin requiſitam capacitatem habuerint, quoties Sacrarum Scripturarum intelligentia ſubtiliori præ cæteris fratribus præditi fuerint, & quandocumque Religionis principia, & chriſtianæ morum diſciplinæ dictata, perſpecta habuerint, ita ut latas & ſpacioſas vias non præferant anguſtis & arctis, quas Jeſus Chriſtus exemplo & verbo nobis monſtravit, ac per Sanctorum Doctorum præcepta in eorum homiliis, admonitionibus, & tractatibus ad mores ſpectantibus nos docuit.* Pag. 31.

Quod ad Concilia attinet, quorum lectionem Monachis presbyteris neceſſariam eſſe dixi, putat *hanc propoſitionem defendi non poſſe; neque hactenus quemquam fuiſſe, cui in mentem venerit hac obligatione Monachos onerare, atque ad Eccleſiaſticorum Canonum ſtudium compellere ſub adeo gravi ſanctione, nempe ut metuendum ſit ne in multam incurrant a Deo Sacerdotibus ſcientiam ſibi neceſſariam comparare negligentibus intentatam. Huic obligationi numquam adſtrictos fuiſſe laicos* (ut ego cenſeo) *& ne Eccleſiaſticos quidem, quamquam his populorum inſtitutio commiſſa ſit. Meam ratiocinationem exactitudine deſtitui; ac S. Gregorium a me citatum de cultu & reverentia, non de lectione ac ſtu-*

ac ſtudio primorum quatuor Conciliorum Oecumenicorum loquutum fuiſſe. Denique Monachos proprie dictis & eſſentialibus officiis atque obligationibus ſatis eſſe devinctos, quæ nimium alioqui ignorant ac negligunt: (cur id injurioſe in omnes Monachos nullo delectu habito dictum torquetur?) *& omnino intempeſtivum eſſe novas illis atque imaginatione efficias obligationes ſuperaddere.*

Ut innoteſcat, quid de hac reſponſione ſentiendum nobis ſit, tria in illa diſtinguenda ſunt, lectio canonum, praxis eorum quæ Canonibus continentur, & pœna cui obnoxii ſunt qui eorum notitiam & executionem negligunt. Evidens eſt primo, exerceri non poſſe quod ignoratur, atque diſcendum eſſe antea vel ex lectione, vel ex voce. Certum pariter eſt 2. quoties Eccleſia aliquid decernit circa fideles, ſive Clericos, ſive Monachos, ſive laicos, propoſitum illi eſſe, ut ad executionem illos, proindeque ad notitiam decretorum comparandam obliget. 3. qui de officiis hominis chriſtiani recte judicare norunt, negare non poſſe mihi videntur, certæ pœnæ obnoxios eſſe illos, qui obligationum ſibi ab Eccleſia injunctarum notitiam capere negligunt.

His poſitis aſſero, non ſolum licitum eſſe Monachis ſcire regulas ſibi ab Eccleſia circa ipſorum ſtatum, & ſi Clero adſcripti ſint, circa ipſorum ordinem præſcriptas, verum etiam illos teneri eadem ſcire. Quod ſi his regulis erudiri tenentur, earum quoque textum legere aut lectum audire debent. Ecquis vero ipſis has regulas leget, niſi ipſimet legant? Porro legendi & percipiendi hujuſmodi Eccleſiaſticas ſanctiones officium ab obligatione perficiendi quæ jubentur pendet; iſta vero lectionis & uſus duo officia ita inter ſe conjuncta ſunt, ut dividi non poſſint. Docet id eruditus auctor ſupra relatus in ſuo tertio libro expreſſis verbis. *Nam monaſticus Ordo ſic Regulæ ſuæ terminis contentus eſſe debet, ut etiam qualiter cum oporteat ſacris obedire Canonibus non ignoret.* Deinceps vero ſimplicium Monachorum diſcretione facta ab illis, qui Clerici quoque ſunt, aſſerit iſtos *& regulæ ſuæ obedientiam, & ſacris Canonibus reverentiam ſubjectionis exhibere debere.* Non ſufficit ergo regulari presbytero, ut Concilia & Eccleſiæ Canones veneretur; neque ſuo ille ſatisfacit officio *ſolo cordis affectu*, niſi lectionem & exercitium ſubjectionis adhibeat; denique dicendum non eſt, *ad ſolos Doctores ſingulorum notitiam pertinere*. Cujuſnam ſpeciei ſit iſthæc obligatio, impreſentiarum quærere nolo, oſtendiſſe contentus ad rem noſtram, ſaltem lectionem & notitiam Canonum, qui Monachorum & clericorum officia continent, ſolitariis interdici non poſſe, quandoquidem ſe illis ſubiicere, & obtemperare debent. Pœnam vero a Deo Sacerdotibus ignorantibus intentatam, non dico imminere omnibus & ſingulis Canones non legentibus, ſed generatim illis qui ſuarum obligationum atque officiorum ſcientiam omittunt ſibi comparare; quarum cæteroquin aliquam partem continent Eccleſiaſtici Canones.

pag. 35. Quæritur an *S. Benedictus, & ſexcenti poſt illum Monachi, ac Superiores ipſi, noverint olim quod in Conciliis conſtitutum fuerat.* Quæ autem ratio poſtulat (ajunt) ut putemus illos viris Eccleſiaſticis eruditiores eſſe in hac

notitia

Digitized by Google

notitia debuiſſe; maxime quum Eccleſiaſticorum *ſtudium nullum aliud* fuerit, me quoque fatente, quam *Sacrarum literarum.*

Nullus dubito quin S. Benedictus juſſiones & decreta Eccleſiæ ad ejus inſtitutum pertinentia exacte noverit. Ejus ævo Dionyſius Exiguus Conciliorum collectionem de græco in latinum verſam edidit. Caſſiodorus ſuos Religioſos, ut ea legant, hortatur: *ne videamini* (inquiens) *tam ſalutares Eccleſiaſticas regulas culpabiliter ignorare.* En autem obligationis non obſcura ſignificatio. Quid impedit quominus S. Benedictus hujuſmodi lectioni vacaverit; quæve ratio ſuppetit de hac re dubitandi?

Fateor iterum, olim unicum *ferme* ſtudium, cui Eccleſiaſtici viri operam darent, in Sacra Scriptura conſtitiſſe: at tunc temporis pauca aut nulla extabant Concilia, aut ſaltem nondum in vulgare idioma verſa fuerant. Quod ſi alicubi ſine ulla reſtrictione dixi, tunc *Eccleſiaſticos Sacræ Paginæ unice ſtuduiſſe*; innuebam tempora S. Baſilii, quibus nulla alia fere volumina extabant præter Scripturarum Codices, & Superiorum Patrum in hos Commentaria. Verum ubi ſententiam meam explicavi relate ad tempora, quæ paulo poſt S. Baſilium ſequuta ſunt, *olim unicum fere Eccleſiaſticum ſtudium, Sacræ Paginæ, Patrum, & Conciliorum fuiſſe*, affirmavi. Porro quemadmodum proceſsu temporum Eccleſiaſticæ obligationes auctæ ſunt, ſubnaſcentibus paſſim Eccleſiæ decretis circa eorum inſtitutum & vivendi normam; ita viciſſim eorum ſtudium ac ſcientiam excreviſſe, ac latius patuiſſe conſtat. Propterea ergo dupliciter quod erat propoſitum ediſſerui, ut diverſitatis temporum ratio haberetur. Non erat vero cur Auctor Reſponſionis, verborum meorum alteram partem toties refricaret, alteram penitus reticeret.

Cæterum hoc Sacræ Paginæ ſtudium inſtitui conſueverat, ut de Origene ſuperius oſtendimus, poſt abſoluta humaniorum literarum, Rhetoricæ, Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudia. Si ergo D. Abbas Eccleſiaſticorum & Monachorum priſci illius ævi ſtudium S. Scripturæ terminis claudere velit, has ſaltem, ut ita dicam, proæmiales ſcientias illis non deneget. Imo etiam, quandoquidem plures Conciliorum Canones poſtea editi ſunt, qui ad utroſque pertinent, horum lectionem nequaquam ipſis interdicat; præſertim quum eadem lectio a Conciliis quoque & Epiſcopis præcipiatur. Ut hocce ſtudium planius illis redderetur, collectiones Canonum crebro ab Epiſcopis factæ ſunt quatenus ad Clericos referuntur; quemadmodum de Herardo conſtat Turonenſi Archiepiſcopo, noni ſæculi Scriptore, qui in ſua Præfatione hæc habet: *Quoniam auctoritas Sacra Canonum nulli Sacerdotum Canones ignorare permittit &c.* Si id nulli Presbytero permiſſum eſt, abſit ut credamus, Solitarios Presbyteratu inſignitos ab hac obligatione immunes eſſe. Illud certe non capio, quo pacto ſuſtineri poſſit, hanc illis lectionem non eſſe conceſſam. Nequaquam ita viſum eſt Concilio Londinenſi anni 1268., quo jubentur cap. 40. Superiores Monaſteriorum, ut præter Regulam, Conſtitutiones quoque Summorum Pontificum

ad ſta-

Digitized by Google

ad ſtatum Monaſticum pertinentes, & præſertim illas, quæ in Collectione Gregorii IX. ſub titulo *de Regularibus* comprehenduntur, transſcribere faciant; atque earum lectionem publice fieri edicit in Capitulo bis in anno, nempe ineunte Adventu, & Quadrageſima. Salmurienſe Concilium anni 1253. idem paulo antea conſtituerat.

Non repetam hic quæ dixi jam de reliquis ſcientiis, de Philoſophia, & Theologia, quas Reverendiſſimi Præſules adeo neceſſarias eſſe judicant omnibus Regularibus Presbyteris, ut neminem facile ad Presbyteratum hodie promoveant, qui Theologiæ non ſtuduerit. Concilium Tridentinum indicit Epiſcopis, ne Regulares ad Ordines aſſumant *ſine diligenti examine;* & generatim vult ordinandos Presbyteros ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, & adminiſtranda Sacramenta idoneos probari.

Lanſpergius Chartuſienſis pius auctor, in quadam Epiſtola ad ſui Ordinis novicium Godefridum nomine, enumeratis atque indicatis quibuſdam aſceticis libris, quos legendos eſſe admonet, ſubiungit, oportere ut antequam ad Sacerdotalem gradum aſcendat, legat Gabrielem Biel in Miſſæ Canonem; adhæc S. Bernardi opera, ſpeculum Hiſtoriale Vincentii Bellovacenſis, in quo Sanctorum exempla referuntur; & quotidie in lectione verſetur alicujus Summæ, v. g. Silveſtri, aut S. Thomæ; ad hoc ut difficultates, quæ ipſi occurrere poſſunt circa Confeſſiones, circa divinas Preces, cenſuras & Irregularitates (quæ Monachum non ignorare oportet) enodare ſciat.

Hujus argumenti egregiam Epiſtolam legere eſt, quam S. Auguſtinus Valerio ſcripſit Epiſcopo ſuo, poſtquam ab illo Sacerdotii ordinem *Auguſt. ep. 21.* receperat. In ea magnus hic vir quodammodo ingemiſcit, quod ſibi non ſuppetant omnes illæ cognitiones, quas ad tam ſublime miniſterium rite obeundum neceſſarias eſſe putabat; & dari ſibi tempus & otium petit ab Epiſcopo, ut ſe ad illas adipiſcendas præparet meditatione ac ſtudio Sacrarum Scripturarum.

Denique ut uno verbo omnia abſolvam, ex iis, quæ de S. Fulgen- *Part. 1. cap. 4.* tii vita in meo Tractatu retuli perſpicuè intelligitur, lectionem hoc eſt ſtudium Monachorum & Clericorum in ejus Monaſterio fuiſſe communem, *communis lectio*. Præterea tunc temporis Clericos inſtrui conſueviſſe Eccleſiaſticis regulis intra Cœnobia, ut teſtatur Gregorius Turonenſis, loquens de Principe Meroveo, qui ad Monaſterium S. Calaſii ductus fuit, *ut ibi Eccleſiaſticis regulis inſtrueretur*.

Quod a D. Abbate opponitur circa S. Fulgentii inſtitutum; nimirum *fuiſſe illum ſanctitate præditum virum a Deo tuendæ veritati fidei deſtinatum;* *Pag. 35.* *ſingulare autem hoc exemplum eſſe, ex quo non reſultat regula;* ex ſe concidit, nec refelli meretur, adeo tritum eſt & ex communi loco deſumptum. Aliquid enim ſingulare eſſe deſinit, cum paſſim ad omnes extenditur: quod ſi ſexcentis exemplis atque hiſtoriis, ſtudiorum & ſcientiæ uſus intra Monaſteria aſſeratur, licet ſingula exempla particularia ſint, haud tamen minus ponderis & certitudinis in ſe habet inductio; hujus etenim argumentorum generis illud proprium eſt, ut om-

Digitized by Google

ut omnem vim & auctoritatem a multis particularibus eventis mutuentur.

I I I.

Hactenus loquuti de peculiaribus ſimplicium Monachorum, & eorum qui Presbyteratus ordine cenſentur, ſtudiis, convenienter expendemus jam, in quo ſita ſit Superiorum ſcientia. Hujuſce neceſſitatem ſcientiæ demonſtravi 1. ex muneribus, quibus Superiores defungi tenentur, docendi ſcilicet, hortandi, acriter objurgandi, ac tandem ſuos Religioſos dirigendi, ne diaboli, mundi & carnis fraudibus capiantur, & ne in devia deflectant, in erroris laqueum jam jam ruituri, niſi Superiorum admonitionibus, ſapientibuſque conſiliis jugiter defenderentur.

Secundò quam egerent ſcientia Abbates priſcis etiam temporibus, liquido oſtendi ex eo, quod ſæpe Conciliis adeſſe, ſententiam ſuam ferre, ac denique ſubſcribere tenerentur; atque etiam ex Dignitatibus ac muneribus Generalium Vicariorum, & Pœnitentiariorum, quæ aliqui ex illis in celeberrimis Eccleſiis ſuſtinuerunt.

Quoad primum, arbitratur D. Abbas; *Præpoſitos regulares Monachorum neceſſariis dotibus præditos futuros ad hoc ut cum fructu & benedictione gregem ſibi commiſſum regant, ſi Sanctarum Scripturarum ita periti & intelligentes fuerint, ut documentis in utroque fœdere, & præſertim in novo contentis uti apposite valeant; ſi ea, quæ ſancti viri de eorum inſtituto ſcripſere, noverint; ſi pias morum inſtitutiones, quæ in operibus Patrum ac Doctorum Eccleſiæ inveniuntur, exactè perlegerint; ſi denique elocutionis donum, ſine quo omnes illæ notitiæ inutiles forent, habuerint.* p.21.& ſ.

Mihi perſuadere non poſſum, has cognitiones latius patere, quam illas, quas D. Abbas privatis Monachis indulget, ſi *elocutionis donum* excipias, *ſine quo omnes alias notitias fore inutiles* confitetur. Sed cum hoc *elocutionis donum* rariſſimum ſit, niſi ſi literarum ſtudium naturali facultati ſubveniat; quid de Præſule hujus ſtudii experte fiet, utut cognitiones, de quibus modo dicebamus, poſſideat? Evidens eſt igitur, Serlonem unum ex primis hiſtoricis Ciſtertii jure laudaſſe Abbatem ſui Ordinis, quod præter intelligentiam Sacrarum Scripturarum, *in liberalibus artibus ſufficienter edoctus* eſſet; & quamquam Serlo *non idem habuerit cum S. Bernardo propoſitum, nec judicium par*, ut ait D. Abbas; ſatis tamen ad exacte exprimendum verborum S. Bernardi ſenſum acutus & perſpicax fuit: de eodem enim Abbate Ciſtercienſi ſcribit Sanctus hic Doctor, quod ei non defuerit *literatura congruens*; quæ verba nihil aliud ſignificant, quam *liberalia ſtudia*, ut rectiſſime interpretatus eſt Serlo. Agemus articulo 20. de ſcientia Dogmatum, quam Dominus Abbas Regularibus Prælatis, & Superioribus indulgere cunctatur. *Bernard. ep.* 306.

Quod ad ſecundum ſcientiæ Abbatum argumentum attinet, *fuiſſe olim Abbates, qui in Conciliis præſentes ſe exhibuerint*, Auctor Reſponſionis p.24.& ſ.

 mini-

Digitized by Google

minime diſſentit; *ſed nulla, ut illis intereſſent obligatione fuiſſe adactos;* imo ſic fuiſſe comparatum *ut numquam intereſſe deberent*. Multos quidem ad Concilia ſe contuliſſe invitos; ſed nullum inde confici poſſe momentum ad probandam eorum ſcientiæ neceſſitatem, *ex triginta enim aut quadraginta Abbatibus, qui Conciliis interfuerunt, ad quater decies mille reliquos fuiſſe, qui in obſcuritate & ſilentio ſolitudinis deliteſcebant*. Denique ſi aliqui Abbates, aut ſimplices Monachi Sanctorum illorum Conven-
26. tuum pars aliquando fuere, *id non tam propter eorum eruditionem, quam propter reverentiam pietatis eorum contigiſſe*.

Ut huic materiæ ſatis gravi lux affulgeat, tria nobis expendenda ſunt. Primum, utrum Abbates Conventibus Epiſcoporum olim intereſſe tenerentur. Alterum, verum-ne ſit, adeo exiguum fuiſſe numerum illorum, qui iiſdem interfuerunt, uti D. Abbas perſuadere conatur. Tertium, an ad Concilia ſanctitatis potius reverentia, quam eruditionis nomine vocati fuerint. Singula articulo proxime ſequenti diſcutiemus.

ARTICULUS XIX.

Proſecutio ejuſdem argumenti, ubi de obligatione & jure Abbatum interveniendi Conciliis: & de nonnullis aliis eorum Juribus diſſeritur.

SOla conſuetudo cujuſpiam Juris firmare valet auctoritatem, præſertim quoties publica majeſtate innixa deprehenditur. Poſt Concilium Calcedonenſe, cui plures Archimandritæ & Monachi interfuerunt, & contra Eutichem ſententiam dixerunt, admodum pauca celebrata ſunt Concilia, ad quæ iidem vocati non fuerint. Tenebantur etiam præſentes ſe ſiſtere Conventibus, quos Epiſcopi in ſua Diœceſi ſingulis annis agebant. Primum Aurelianenſe Concilium canone 19. edicit ut hoc fiat, poſtquam ab Epiſcopo Synodi indictio prodierit, *accepta vocatione*. Concilium vero Antiſiodorenſe initum anno 578. ſignat tempus conventus, atque abſolute ait: *Kalendis Novembris omnes Abbates ad Concilium conveniant &c.* Hujuſmodi obligatio in Ordine Romano adnotatur, in quo Abbates, dum eorum benedictio celebratur, Synodo ſe interfuturos promittunt. Concilium Vaurenſe anni 1368. conſtituit, ut ſi aliquo impedimento teneantur, mittant ad Synodum Procuratores. Sed hujus obligationis luculentiſſimum argumentum ſunt pœnæ quibus ſubjacebant inobedientes. Gualterius Archiepiſcopus Senonenſis decimo ſæculo, in ſuis Conſtitutionibus Abbates & Priores, qui ſine cauſa legitima a Synodo abſuerant, per octo dies ingreſſu Eccleſiæ interdicit. Innocentius III. Archiepiſcopo Roſſanenſi, quod Abbates ad Synodum venire recuſarent conquerenti, ex æquo reſpondens, copiam illi facit eoſdem compellendi. Et ne putaretur id

exigi

Digitized by Google

exigi dumtaxat ut ab Epiſcopo monitiones reciperent, ſecundum Concilium Lemovicenſe anni 1031. proteſtatur, vocari illos *non ut arguantur, ſed ut de rebus Eccleſiaſticis moderandis conſultum præbeant*. In hoc ſita eſt operæ collatio, quam juxta hoc Concilium Epiſcopus ab his viris doctrina claris expectat ad regimen Eccleſiæ ſuæ, teſtificans, eos promeritis, coronæ, quæ ſe maneret, participes futuros: *quatenus ipſi ſpirituales viri, dum mihi per diverſas multorum curas diſperſo opem ferant ad ſublevandum onus, in retributione coronæ mecum participentur*. Nihilominus cum Abbates Ciſtercienſes ſignificarent Innocentio IV. harum Congregationum obtentu cogi ſe de propria ſolitudine crebrius exire; inhibuit idem Pontifex, ne ad Synodos vocarentur, niſi tractaretur materia fidei; *pro fide dumtaxat*.

Non me fugit, aliquos illorum ſolitos ſe excuſare, ſive modeſtiæ cauſa, uti factitatum a S. Bernardo, qui ne Conciliis Træcenſi & Senonenſi intereſſet ſumma ope niſus eſt; ſive ob alias cauſas, ob quas petebant diſpenſationem: Sed ſaltem quatenus ſpectat ad Synodos, quæ ſingulis annis in qualibet Diœceſi agebantur, ſatis aperte ſeſe prodit hujuſmodi obligatio.

Quod ſi haud pari diſtrictione ad Concilia Generalia atque nationalia proficiſci tenebantur, conſuetudo tamen, quæ legis aut juris locum in his rebus obtinet, omnino quoad hoc evidens eſt ac certa, jam inde a Concilio Calcedonenſi. Inviſe Codices, in quibus hæc Concilia cum ſubſcriptionibus exarata ſunt; continuò deprehendes Abbatum nomina, qui illis adfuere & ſubſcripſere. Tres & viginti Archimandritæ damnatorium calculum contra Eutichem dederunt in Concilio Conſtantinopolitano ſub Flaviano. Idem factum a pluribus aliis in Concilio ibidem inito ſub Anatolio. Quod ſi S. Auxentius Calcedonenſi recuſavit adeſſe, id eo contigit, quod putaret hunc conventum Concilio Epheſino adverſari: ſed poſtea venire compulſus, *cum diligenter & accuratè* hujus Concilii acta *legiſſet*, eidem lubens ſubſcripſit, quod nihil offenderit Concilii Epheſini definitionibus contrarium, *non oportere*, inquiens, *ex ignorantia calumniari hanc Synodum* (Calcedonenſem). Hæc notio facti, quod de S. Auxentio proditum eſt, valde ab illa diſcrepat, quam exhibet D. Abbas. *pag. 24.*

Depoſito in eadem Synodo Dioſcoro Alexandriæ Patriarcha, cum urgerentur ſubſcriptiones Epiſcoporum Ægypti, qui numero duodecim aderant, nec non & Archimandritarum ac Monachorum ejuſdem Patriarchatus, utrique ante electionem novi Patriarchæ ſubſcribere noluerunt, nempe ut pro recepto apud illos more ex juſſu Patriarchæ ſubſcriberent: quod ſub cautione admiſſum fuit, ut narrat Liberatus. *Hoc de Archimandritis & Monachis aliquibus ſimiliter excuſantibus in concilio ordinatum eſt, ut dilationem acciperent.*

Univerſi Archimandritæ formulæ fidei Juſtiniani Imperatoris, ut ipſemet in Epiſtola ad Epiphanium Conſtantinopolis Epiſcopum teſtatur, ſubſcripſere, *ſequentes ſanctorum Patrum traditionem*.

Idem Imperator in quadam ex ſuis Epiſtolis palam facit, id moris

O 2 ſua

ſua ætate fuiſſe, ut dum ordinabantur Epiſcopi aut Hegumeni Monaſteriorum, veterum & recentiorum Hæreticorum condemnationem ſubſcribendo ratam habere cogerentur; ſeque ſcripſiſſe & injunxiſſe reliquis Patriarchis, ut Dogmatum Origenis damnationem impoſterum adderent. *In poſterum autem ne aliter ordinentur Epiſcopi aut Monaſteriorum Hegumeni, niſi prius cum aliis omnibus hæreticis, qui de more in libellis anathematizantur, ideſt Sabellio, Ario, &c. anathematizent.* Denique errorum, quæ in ſcriptis Origenis reperiebantur excerpta a Monachis Palæſtinæ confecta fuerunt, iidemque a Pelagio S. Sedis legato, & poſtea ab Imperatore damnatorium calculum in hos errores petierunt. Mennas Conſtantinopolis Patriarcha ex Imperatoris juſſu illos damnavit, atque ejus ſententia, cui ſupradicti Monachi ſubſcripſere, ad Vigilium Pontificem atque alios Patriarchas miſſa fuit; hæc eſt autem illa ſententia cum anathematiſmis, cui omnes recens ordinati, tum Epiſcopi, tum hegumeni ſubſcribere tenebantur, ut modo diximus. En, niſi fallor, luculenta demonſtratio, ex qua patet, quantam rebus Eccleſiæ ejus ævi Monachi operam & ſollicitudinem conferre ſoliti fuerint. His addas Conſtantini Pogonati ad Papam Agathonem preces, nempe ut quatuor Monachi ex ſingulis quatuor Conſtantinopolitanis Monaſteriis ad ſextum Generale Concilium adverſus Monothelitas coactum mitterentur; uti liquet ex Epiſtola ejuſdem Imperatoris, quæ in fronte hujus Concilii legitur.

Hic non repetam quæ in Tractatu de ſtudiis dixi circa ſextum & ſeptimum Generalia Concilia, & circa plures Monachos Conciliis præſentes nomine ſuorum Epiſcoporum; ut ii, verbi gratia, de quibus meminit S. Athanaſius in Epiſtola ad Antiochenos: *Aderant & aliquot Monachi Epiſcopi Apollinaris, ad hoc ipſum miſſi.* Sexcenta proſtant exempla, quæ huc faciunt, in Conciliis Gallicanis, Hiſpanienſibus, & Anglicis, ubi eodem tempore ubique fere Abbatum ſubſcriptiones reperies. Videantur Concilia, Remenſe ſub Eugenio III. Lateranenſe, Lugdunenſe, Piſanum, Conſtantienſe, Baſileenſe, & Tridentinum; obvia erunt ubique Abbatum, & Procuratorum pro abſentibus nomina. Imo & aliquæ Abbatiſſæ pluribus Angliæ Conciliis adfuiſſe, & ſubſcripſiſſe inveniuntur.

Certus ſum, ſi omnes numerari poſſent, quicumque ſacris hiſce Conventibus præſentes ſe exhibuere, & ſubſcripſere, pro quadraginta, quos numerat auctor Reſponſionis, multa millia invenirentur. Verum præterquamquod talis enumeratio nimis eſſet allatura moleſtiæ, inutilis quoque eſt atque impoſſibilis; quippe ex his Conciliis plura ſunt, quorum ſubſcriptiones ad nos uſque minime pervenerunt. Cohibere me tamen non poſſum, quin memorem Concilium Remenſe ſub Calixto II., in quo Abbates ſupra ducentos conſedere. Neque minor fortaſſe eorum numerus adfuit in alio ejuſdem Civitatis Concilio ſub Eugenio III. In Lateranenſi ſub Innocentio III. pluſquam octingenti Abbates ac Priores numerati ſunt; Epiſtola vero encyclica pro indictione hujus Concilii illis æque ac Epiſcopis inſcripta reperitur. Magnus

eorum

Digitized by Google

eorum numerus interfuit & ſubſcripſit Conciliis Lugdunenſibus, ſecundo & tertio, Viennenſi, & Piſano anni 1409. in quo Abbates noſtri Ordinis ad minus octo & ſexaginta ſeſſionem habuerunt. Haud aliter ſeſe res habuit in Conſtantienſi, Florentino, Baſileenſi, & Tridentino. Vide P. Thomaſſinum Part. 3. Diſcipl. Eccl. l. 3. cap. 13. num. 2. 13. & 15.

Si quæratur autem, quænam cauſa initio Abbates & Solitarios ad Concilia ſuaſerit appellari; mihi quidem nullum dubium eſt, quin eorum ſanctitatis habita fuerit quadantenus ratio; ſed auſim quoque affirmare, gradus quem in Eccleſia tenebant nihilo minorem rationem veteres habuiſſe; & ſententiæ eorum, cujus magna apud Fideles erat auctoritas, multum tribuiſſe. Neque vero ſi ſcientia caruiſſent, in ea exiſtimatione profecto fuiſſent. Sed hic non repetam quæ de ſecundo Lemovicenſi Concilio ſuperius attuli.

Petis-ne tibi dari eorum eruditionis indicia? Libellum ſapientiſſime ſcriptum ſatis eſt legas, quem Monachi adverſus Neſtorium Imperatori obtulerunt, in quo omnes Patres citantur. Deducendus-ne eſt ab erronea opinione Imperator? Continuo Patres Epheſini Concilii ad S. Dalmatium Abbatem Conſtantinopolim litteras mittunt, atque eum rogant ut Imperatorem adeat, qui a fautoribus Joannis Antiocheni deceptus fuerat. At quare in Ægypti ſolitudinibus hujuſce Concilii Acta publicantur? Nonne ut ibi, quæ in eo conventu fuerant geſta innoteſcant? *Lecta ſunt hæc in Eccleſia Monachorum in deſertis degentium.* Profecto viri imperiti nihil in his Actis, in quibus tam anceps & ſubtilis quæſtio diſceptabatur, capere potuiſſent. Quid magis præclarum eo, quod legimus in Vita S. Euthymii Abbatis ſuper Concilio Calcedonenſi? Duo Epiſcopi ejus diſcipuli, Joannes Jamnéæ, & Stephanus Saracenorum formulæ fidei, quæ edita fuerat, nequaquam auſi ſunt ſubſcribere, antequam de Sancti Archimandritæ Euthymii ſententia certiores fierent. Itaque eum cito conveniunt, qui lecto confeſtim decreto, illud *regulis veritatis exactè congruere* deprehendit; ejuſque approbatione vulgata, non illi duo tantum Epiſcopi, ſed omnes illius ſolitudinis Monachi ejus exemplum lætanter ſecuti, Sanctum Calcedonenſe Concilium amplexi ſunt, quod approbarunt quoque S. Symeon Stylita, S. Sabbas, & S. Theodoſius Abbates.

Concil. tom. 2. col. 425.

Concil. tom. 3. col. 126.

Concilium Romanum contra Acacium ſub Papa Felice congregatum, dum Archimandritas Conſtantinopolis & Bithyniæ tali honore proſequitur, ut ad illos Epiſtolam ſcribat, hoc illos præconio celebrat, „ quod præter veræ in Deum pietatis conſtantiam quam tenebant, di- „ ſcernendi juſtos ab impiis, Fideles ab infidelibus, Catholicos ab hæ- „ reticis, dono divini ſpiritus haberent induſtriam; (& revera ipſi „ tunc ferme ſoli erant in ea Civitate fidei aſſertores & defenſores.) „ Proinde, *& ſi nihil eſſet quod eos in cauſa fidei lateret*, quod fatentur in hac Epiſtola Romani Concilii Patres, opportunum tamen crediderunt ad illos ſcribere, & quæ in Concilio acta fuerant memorare. Haud aliter ſe geſſerat S. Athanaſius erga Solitarios Ægypti, ad quos

Vid. Baron. ann. 484.

omnium,

Digitized by Google

omnium, quæ Arianæ hæreſeos occaſione acta fuerant, commentarium tranſmiſit. Ita quoque S. Auguſtinus monumenta ad damnationem Pelagii ſpectantia Monachis Adrumeti legenda tradidit, una cum libro de Correptione & Gratia, ut patet ex duabus Epiſtolis, quæ in fronte hujus libri extant.

Sexcenta id genus exempla prætereo, quibus luculentè demonſtratur, Monachos priſcorum temporum nequaquam imperitos fuiſſe; in his vero antiquioribus potius hæſi, quam in aliis ſubſequentium ſæculorum, quod priſco illo ævo vitæ Monaſticæ integritas adhuc florebat.

B. Petrus Damiani, qui cæteroqui Monachorum ſtudium parum amplificat, in ſuo opuſculo vigeſimo octavo tenet, fuiſſe omni tempore iiſdem permiſſum, *ſuper omnes, qui aderant*, ut in Conciliis diſputarent; ait enim: *Requirite ſancta octo Concilia & maxime ſextum & ſeptimum; ibique invenietis, Monachis licitum fuiſſe diſputare abſque ullo ſcrupulo in conſpectu omnis Concilii ſuper omnes qui aderant*. Multum profectò aberat, ut Monachis Conciliorum lectionem interdiceret, cum eorum jus Conciliis aſſiſtendi, & ſententiam dicendi propugnare ac tueri voluerit.

Petr. Damia. Opuſc. 28. c. 2.

Ubi res ita ſe habet, mirari non ſubit, quod Caſſiodorus ſuos Monachos ad legenda Conciliorum decreta hortetur, ne hujuſmodi ignorantiæ crimine ſeſe apud Deum obſtringant. Neque videri poteſt novum & inuſitatum, quod Grimlaicus cap. 20. Regulæ præſcribat, ut Monachi *Canones percurrant*.

His Grimlaici verbis D. Abbas *levem quamdam & perfunctoriam notitiam ſignificari* putat. Et quidem vocabulum gallicum (parcourir) latinæ voci reſpondens, hanc notionem exhibet: ſed a Scriptoribus Latinis ſaltem mediæ ætatis, pro attenta & diligenti lectione uſurpatur. Ex multis veterum locis, quæ id probant, tria aut quatuor hic adnotabo. S. Auguſtinus in Prologo librorum de Doctrina Chriſtiana de quodam ſervo loquens, qui a Deo legendi facultatem precibus impetrarat, de eo teſtatur, quod *codicem oblatum legendo percurreret*. Sed locus antiquæ verſionis Palladii adhuc magis expreſſe ad rem noſtram facit; nam cap. 143. de B. Sylvania fœmina doctiſſima traditur: conſueviſſe illam noctes in dies mutare, ut *antiquorum ſcripta percurreret*, hoc eſt, ſtudioſe legeret. Rufinus cap. 7. hiſtoriæ ſuæ, narrat, Didymo oculis capto nihil de memoria excidiſſe eorum, quæ a legentibus audierat, *percurrentibus aliis*. In quodam Carthaginenſi Concilio, quod occaſione privilegii quorumdam Africæ Monaſteriorum coactum fuit, Bonifacius Epiſcopus juſſit, tabulas, quas Petrus Abbas, atque ejus Monachi proferebant, legi diligenter, his verbis: *Suſceptum* (forte melius legas *ſcriptum*) *quod ingeritur percurratur*: Et mox, *Redemptiolus notarius recitavit*. Liberatus innuens velle ſe opus quod erat in manibus, proſequi, ait: *cæptum opus percurramus*. Hæc abunde ſufficiunt, ad probandum, Grimlaicum in Regula de diligenti & aſſidua lectione loqui, cum ait, *percurrere canones*.

pag. 64.

Concil. tom. 4. col. 1642. Liber. cap. 2.

Ut demonſtrarem, Abbates doctos eſſe debere, exemplum inter alia

alia attuleram Abbatum Inſulæ Barbaræ, quibus Archiepiſcopi Lugdunenſes Pœnitentiarii ac Vicarii Generalis munus in ſua Diœceſi omni tempore demandaverant; quod munus ſine ſcientia exerceri non poteſt. Quid ad hoc reponit Reſponſionis Auctor?

Si ad cauſas (inquit) *& initia, quibus barum dignitatum collatio debetur, propius attenderemus, facile innoteſceret, iis, quibus collatæ ſunt, magis ignominiæ & pudori, quam utilitati & ornamento fuiſſe.* Ac mox acrius invectus adverſus Abbates, qui *mitris, annulis, atque aliis Pontificalis cultus indumentis veſtiuntur*, prolixam orationem de his omnibus habet, *quæ ab ambitione & libidine cæteris antecellendi, & altiorem ſua profeſſione gradum per alienæ ſigna dignitatis ſibi vindicandi, ortum babuiſſe pronunciat*. *pag.*207. *pag.*209.

Non veniunt hic in quæſtionem mitræ, annuli, & Pontificalia ornamenta. Quis neſcit, ea ſine ſcientia geſtari poſſe? Itaque demonſtrandum erat, munia Abbatibus Inſulæ Barbaræ collata ab eorum ambitione ortum habuiſſe, aut ſine ſcientia ab illis compleri potuiſſe. Neutrum tamen horum firmis rationibus umquam probabitur.

Econtra, quod ad primum attinet, facile convinci quis poteſt, ob nihil aliud quam ob magnam exiſtimationem, in qua Abbates hujus Cœnobii apud Sanctiſſimos Archiepiſcopos fuerant, tali prærogativa condecoratos fuiſſe. Nam Leydradus hoc privilegium in perſona S. Abbatis Benedicti confirmans, ſcribenſque ad Carolum Magnum, Archiepiſcopos, qui Benedicti prædeceſſoribus hoc jus dederant, *clariſſimos viros* fuiſſe teſtatur. Inter quos numerat S. Eucherium, S. Lupum, & S. Geneſium: Abbates vero nominat Ambroſium, Maximum, & Licinium, qui Sanctorum loco habentur. Ipſe met Leydradus fuit Præſul ſanctitate illuſtris, qui ſuam abdicavit dignitatem, ut in clauſtrum ſecederet. Benedictus vero, cui hoc privilegium aſſeruit, Sanctus Anianenſis Abbas fuit, cujus virtus ab omni ambitionis ſuſpicione longiſſime abfuit. Faceſſat igitur hæc ambitio, de qua Reſponſionis Auctor verba facit, & cujus hic nullum veſtigium apparet. Interea certum eſt ad hoc munus rite obeundum ſcientia opus fuiſſe; neque enim tantummodo agebatur de exercenda Pœnitentiarii poteſtate, ſed de ampla etiam juriſdictione totam Diœceſim viſitandi vice Archiepiſcopi, tum ob conſervandum penitus illibatum fidei orthodoxæ candorem, tum etiam ad impediendum, ne perverſorum errorum dogmata illuc aliquando inſtruderentur, *cognituros utrum Catholica fides recte crederetur, ne fraus hæretica pullularet*. En igitur illuſtre factum, luculenter aſſertum & probatum. Quæ vero de Mammerto Claudiano in Diœceſi Viennenſi, & de Abbate Modeſto in Hieroſolymitana memoravi, nihilo minus comperta ac explorata ſunt. Eorum ſanctitas pariter ac eorum ſcientia pro ipſis loquuntur. Legitima igitur ratiocinatio eſt, quam inde confecimus.

Videre eſt apud Baronium laudum præconiis illuſtrata Modeſti facta, qui Eccleſiam Hieroſolymitanam, in captivitate exiſtente Patriarcha Zacharia a Perſis abducto, ſanctiſſime rexit. Non ſolum enim Sanctus iſte Abbas fidelibus ejus Diœceſis ſuæ curæ commiſſis numquam defuit; *ad ann.* 616.

fuit; verum etiam Eccleſias & religioſas domos ab hoſtibus incenſas ac dirutas reſtauravit, quod agens quaſi alter Zorobabel apparuit: poſt reditum autem Patriarchæ ab incæpta officiorum benignitate non deſtitit.

Omnibus hiſce argumentis addidimus aliqua de Eccleſiis Cathedralibus Angliæ, quæ plerumque a noſtri Ordinis Monachis regebantur; ac de priſcis Laubii Abbatibus, qui Abbates ſimul & Epiſcopi erant. Idem dic de quibuſdam antiquis Saliſburgi Abbatibus, qui eam Diœceſim deficientibus Epiſcopis gubernarunt.

Hic D. Abbas *Monachos initio*, ait, *Eccleſiaſticis muneribus nequaquam deſtinatos fuiſſe*; idque probat *ex quadam traditione* Patrum, qui de vita ſolitaria loquuti ſunt.

Neceſſe non erat hujuſce traditionis monumenta proferre. Omnia quæ ad hanc rem congeruntur, lubentes admittimus. Sed illud ſcire refert, an æqua fuerit ratio Monachis hæc diſtinctionis ſigna tribuendi, & utrum ſine aptitudine & ſcientia injuncta munera potuerint exerceri. Sancto Auguſtino Monacho, & S. Gregorii Magni diſcipulo debetur inſtitutio Monachorum in Eccleſia Cantuarienſi, ad confirmandas illius regionis gentes in fide, quam ibi paulo ante prædicaverant. Hanc inſtitutionem ſeu fundationem laudat ac probat ipſe Gregorius. Ecquis eam improbare poſſit, cum ob Eccleſiæ utilitatem facta fuerit? Priſcis Laubii Abbatibus idem uſuvenit, quippe fuerant a Pontificibus ad annunciandam Belgis & finitimis populis Chriſtianam fidem legati. Ad hoc munus exequendum, viſum eſt oportere, ut Epiſcopali dignitate decorarentur. Quid eſt quod in hac diſciplina meritò arguas? Nonne cæteroquin conſtat, ſcientia illos opus habuiſſe?

Porro id genus prærogativæ in uſu fuerunt jam inde ab origine Monaſtici inſtituti. S. Euſebius Vercellis Monachos inſtituit, ut ſuæ Eccleſiæ Clerum componerent. Id atteſtatur Epiſtola, quam huic Eccleſiæ ſcripſit S. Ambroſius. *Ambr. Epiſtol. nunc 63.* Novi ego, quoſdam alio ſenſu hujus Epiſtolæ verba intelligere, quod dicant cætum Clericorum Eccleſiæ Vercellenſis a cœtu Monachorum diſcrepaſſe. At ſermo de S. Euſebio, S. Ambroſio adſcriptus, quique verius S. Maximo Epiſcopo Turonenſi eſt adjudicandus, & ſine ulla controverſia antiquiſſimi Scriptoris fœtus eſt, fidem facit, hos Clericos alios a Monachis minime fuiſſe: *Eoſdem Monachos inſtituit, quos Clericos.* Idem factitavit Conſul Rufinus in Eccleſia, quam in ſuburbio Calcedonis extruxerat, in qua poſuit Monachos, ut Clericorum officio defungerentur, ut narrat expreſſe Sozomenus. *Sozom. l. 8. c. 17.* Idem quoque uſurpatum in Eccleſia Epiſcopali Rhinocoruri, eodem referente Scriptore. *Sozom. l. 6. c. 31.* Hæc omnia illo ævo facta ſunt, quo ſtatus Monaſticus in ſua adhuc integritate florebat. Nullum dubium eſt, quin ſupradicti Monachi Eccleſiarum moderatores ſcientiam habuerint Clericis convenientem; id vero erat, quod unice intenderam hoc loco probare.

Quid attinet ergo de mitris, de annulis, & de Pontificali cultu hic loci inſtituere ſermonem? Non abnuo, quorumdam faſtum aliquam

Digitized by Google

in hoc partem habere potuiſſe, quibus id genus privilegia conceſſa fuere: utcumque tamen ſeſe res habeat, multos reperias, quibus Pontifices hæc ornamenta invitis & obſiſtentibus contulerunt. S. Gervinus S. Riquerii Abbas, & ante hunc S. Anſelmus Nonantulæ inter primos hac prærogativa cohoneſtatos numerantur, quos indubium eſt hanc conceſſionem nequaquam ſibi per ambitum captaviſſe; atque idem dic de Sanctis Cluniaci Abbatibus. Ab hujuſmodi ambitione longiſſime aberant profecto Abbates (de la Chaiſe Dieu); opus enim fuit, ut Lucius III. *in virtute obedientiæ* Lancelmum illuſtris hujus Cœnobii Abbatem ad ferendam Mitram compelleret, quemadmodum reliquorum Abbatum majorem partem, licet ſtrenue obſiſterent. In promptu eſſet plura ejuſdem notæ exempla referre: ſed non eſt hic locus.

Dici ergo generatim poteſt, prælationis & honoris ſigna, dignitatum & privilegiorum conceſſiones in Abbatum & Monachorum perſonis nequaquam eſſe damnandas, quamvis aliqui ob fines indirectos & per obliquas vias illas emendicaverint: ac ipſe met D. Abbas non diffitetur, *fore ut Eccleſia illos communibus biſce regulis eximat, quoties opportunum ſibi videbitur ad populorum ædificationem & diſciplinam, atque ad propriam utilitatem; quemadmodum ab ea pluries factitatum fuit, & præſertim in Monaſterio Inſulæ Barbaræ*. Nunc denique illuſtre hoc Cœnobium ab acerrimis inſectationibus defenditur, quas ex alio Reſponſionis loco ſupra retulimus, ubi hæc jura & privilegia Abbatum ambitioni refert accepta; hic vero conſentit, Eccleſiam ea pluries indulſiſſe ad populorum inſtructionem atque ædificationem. Manent adhuc multis in locis inconcuſſa hæc jura. Ad ea rite exercenda ſubſidio ſcientiæ fuit olim, & nunc quoque eſt opus. Ut ea abdicemus nulla æqua ratio compellere nos poteſt; quemadmodum nulla æqua ratio Ciſtercienſis Ordinis Abbatias conſtringere valet ad dimittenda privilegia, quæ diu poſt Ordinis fundationem illis propter eaſdem omnino cauſas ac reliquis indulta fuerunt. pag. 245.

ARTICULUS XX.

De Lectione & ſtudio Sanctorum Patrum, & Dogmaticæ Theologiæ; De Critica. Sententia S. Auguſtini circa ſtudium Dogmaticum.

SI quis ad ea, quæ de ſtudio Sanctorum Patrum in Reſponſione dicuntur, animum intendat, continuo putet, Monachos huic ſtudio operam navare non poſſe, niſi *ſuæ profeſſionis obliviſcantur, & relicta via Sanctorum veſtigiis trita, in aliam transferantur penitus oppoſitam*; niſi denique *adeo ſancti inſtituti veritatem extenuent, & labefactent, alia ſuppoventes fundamenta ab illis, quibus ex divina nutu Providentiæ ſtabilita conſiſtit.* pag. 259.

Digitized by Google

Quid acrius aut quid vehementius dicere poſſemus, ſi religioſos viros in Ethnicorum auctorum lectione unice defixos, ab eadem avertere nobis propoſitum foret? Multa in id genus lectiones ſcripſere Sancti Hieronymus, Nilus, Iſidorus Peluſiota, quorum auctoritates in Tractatu de Studiis Monaſticis citantur aut referuntur; attamen pro certo habeo, nihil tam acre & incitatum inibi ineſſe, quam quod in Reſponſione contra lectionem Sanctorum Patrum dictum reperitur. Mirum profecto eſſet, quod eorum Opera legi non poſſent, niſi viæ Sanctorum Inſtitutorum veſtigiis tritæ desererentur; perinde ac ſi Monaſticorum Ordinum Inſtitutoribus in mentem veniſſet alias ſtabilire vias ad Deum ferentes, præter illas, quas totius Eccleſiæ Magiſtri ac Patres docuerunt eſſe ineundas; ac ubi quis ea quæ ſancti Doctores ſcripſere, legerit, continuo a ſanctitatis & virtutis ſemita deflectere cogatur. Id mihi quidem nimium a S. Patris Benedicti mente diſſitum videtur eſſe; cum in ſua ille Regula dicat, omnia Sanctorum Patrum ſcripta ad Dei cognitionem & amorem deducere poſſe, ſuoſque Monachos ut ſingula legant hortetur: *Quis liber Sanctorum Catholicorum Patrum hoc non reſonat, ut recto curſu perveniamus ad Creatorem noſtrum?* (*S. Bened. c. 73.*)

Haud equidem ignoro, D. Abbatem in hac eſſe ſententia, ut hæc verba de Tractatibus ad mores ſpectantibus, & de Sacrarum Scripturarum expoſitionibus intelligenda eſſe tantummodo velit. At quanam ratione, quove fundamento nititur, ut teſtimonium adeo generatim & clare conceptum limitet atque reſtringat? Cur nobis ille dimidium panis, quem Pater porrigit, quem Eccleſia concedit, quem immemorabile tempus nobis adjudicat, ſubtrahere præſumit? Fateor utique, Sanctum Benedictum, ubi de Horarum Matutinarum lectionibus loquitur, poſt Sacram Scripturam, *expoſitiones Sanctorum Patrum* indicare. (*id. cap. 9.*) Sed ubi privatas Monachorum lectiones memorat, conſimili reſtrictione non utitur; imo vero omnia, quæ in Sanctorum Patrum ſcriptis leguntur, ita eſſe ait comparata, ut nos ad Deum recto curſu ducere poſſint. Et re quidem vera Dogmatum pariter ac Moralis Diſciplinæ cognitio hoc valet efficere; quin & plerumque in operibus Dogmaticis nihil minus moralis ſcientiæ, quam in reliquis invenimus. Quid plura? In expoſitionibus Sacræ Scripturæ Patrum labore conſcriptis, ſæpe tantumdem ineſt materiæ polemicæ, quam in ipſis Dogmaticis libris.

Sed fruſtra laboramus; quidquid in noſtræ confirmationem ſententiæ attulerimus, judicio quidem D. Abbatis, vanum eſt, inutile, ac nullius momenti. Non Sylloge omnium S. Auguſtini Operum ab Abbate Eugipio in gratiam quorumdam Monachorum, & lectionis compendium edita: non auctoritas Caſſiodori, qui Patrum lectionem Monachis ſuis in univerſum commendat: non Caſſiani teſtimonium, in quodam Opere de Incarnatione a ſe compoſito Patres citantis: non denique Sanctorum, Fulgentii, Paſchaſii Radberti, Anſelmi, Bernardi, & innumerorum Monachorum, qui Dogmaticis ſcriptis perlegendis operam navarunt, manifeſtiſſima exempla, quidquam probant.

Patrum

Digitized by Google

Patrum Dogmatica ſcripta Monachis nuncupata fruſtra citamus. Hujuſmodi ſtudium illis eſſe permiſſum, evincere iſta non valent. Omnia hæc exempla ſingularia ſunt: Exempla, inquam, virorum Sanctorum, quos Deus ad Eccleſiaſticas dignitates vocare ſtatuerat, S. Fulgentii, verbi gratia, & S. Anſelmi. Caſſianus & S. Bernardus, viri extitere a communi hominum conditione remoti. Caſſiodorus denique ad Aulicorum cætus amandandus.

Si acribus & incitatis loquendi modis, quibus ad oppugnandam methodum lectionis & ſtudii Sanctorum Patrum a me propoſitam utitur D. Abbas, unice caperemur; facile nobis perſuaderetur, maximum inter meam atque ejus ſententiam intereſſe diſcrimen, nec niſi difficillime convenire invicem poſſe. At nihilominus (quis credat?) eadem eſt utriuſque noſtrum in hac materia notio, idem ſyſtema. Unam uterque opinionem opinamur, ad unum ſcopum tendimus, unius conſilii ſumus. Quid nos ergo disjungit? Cur in contentionem mutuo venimus? Nemo erit profecto, qui id non miretur, aut petat ſibi dari hujus aſſertionis indubia argumenta. Id vero exequi promptum eſt. Verba ipſa Reſponſionis audiamus.

« *Si quis diceret, antiquos Patres & Monachos nequaquam culpæ dediſſe cuipiam Solitario, quod omnibus id genus notitiis operam impenderet; eoſque in ea fuiſſe ſententia ut putarent, quoſdam ex illis in hoc ſtudii genere ex profeſſo verſari poſſe, dummodo ex legitimæ auctoritatis arbitrio ſtudeant; conſentanea diceret veritati.* pag. 262.

Jam ergo, ut patet, inter nos convenit; neque enim hos fines egredi mihi propoſitum eſt, ſi per hæc quidem verba, *ex legitimæ auctoritatis arbitrio*, Superiorum voluntas ſignificetur, quibus integrum eſt quoſdam ex ſuis ſubditis apto ad hoc ſtudium ingenio præditos, ad illud capeſſendum dirigere, quoties Eccleſiæ aut Ordinis utilitas poſtulaverit.

Si vero quis dicat (pergit Reſponſio) *viſum illis fuiſſe, hoc ſtudium tam late diffuſum Monaſticæ profeſſioni conveniens & proprium eſſe, falſo id dixerit, neque umquam hoc illis in mentem venit.*

Et ne mihi quidem; ſi voce *proprii* quiddam intelligas a Monaſtica profeſſione inſeparabile, ita ut vere Monachus eſſe nequeat qui horum ſtudiorum expers fuerit. Si vero contendas, hæc ſtudia ab ea profeſſione omnino eſſe aliena, ut hoc admittam non ſinit Regula S. Benedicti, non ſinunt majorum exempla. Fateor itaque, neque neceſſarium eſſe, nec conſentaneum quidem, ut omnes indiſcriminatim Monachi ad magna hæc ſtudia animum adiiciant; ſed quoſdam ex illis ad hæc ſtudia ſatis idoneos, a Superioribus ad ea tractanda dirigi, quoties opportunum judicaverint, poſſe, defendo. Ut breviter dicam, Dogmaticum ſtudium a Monaſtico Inſtituto nequaquam alienum eſt; & quicumque ad hoc ſtudium apti probantur eſſe, ad illud incumbere poſſunt, quin ſui ſtatus limites egrediantur, aut a communi regula deſciſcant: quippe Regula S. Benedicti pariter ac traditio huic opinioni favet; quamquam hæc traditio non omnes & ſingulos gene-

ratim complectatur, ſed eos tantummodo, qui hujus ſcientiæ capaces erant.

pag. 264. Ab hac opinione D. Abbas minimum diſceſſiſſe videtur, ubi ait; *quidquid ab exemplis in meo Tractatu allatis colligi poteſt, in hoc ſitum eſſe, quod aliqui Monaſticæ profeſſionis viri fidei Dogmatibus ſtuduerint, & de hac materia ſcripſerint; iidemque nunc quoque id facere licite poſſint, ſi ad hoc Providentiæ nutu vocentur.*

Nec mihi quidem revera conſilium eſt ab his exemplis aliud colligere; prout ex Superiori explicatione, & ex meis Tractatus apertis verbis manifeſtiſſime patet.

Sed hæ rationes (addit D. Abbas) *nimis infirmæ ſunt, quam ut probare valeant, hoc ſtudium Monachis de ſe convenire.*

D. Abbas ſæpius inculcat hæc verba, *convenit, proprium eſt*, quæ vel ſemel explicare haud abs re fortaſſe fuiſſet. Eorum æquivocationem ego quidem jam inde a tertio harum Animadverſionum articulo tollere conatus ſum: hic vero ibi dicta denuo repetam: Nimirum ſi per hæc verba innuere velir, Dogmaticum ſtudium a ſtatu Monaſtico omnino eſſe alienum, ita ut qui ad illud inſtituendum recte comparati ſunt, animum ei adiicere non poſſint, niſi continuo a ſuæ ſtatu profeſſionis exorbitent; id ego quidem defendi non poſſe arbitror; & meæ opinionis gravia argumenta mihi ſuppetere contendo ex Regula, atque ex majorum exemplis, videlicet ex Orientalium & Occidentalium Monachorum traditione. Hæc a me in Tractatu de ſtudiis demonſtrata ſunt; neque probationes in medium adductas ita infirmas viſas eſſe puto lectoribus æquis, ut viſæ ſunt D. Abbati.

pag. 231. Notio verbi, *convenit* hic exhibita, cum illa conſentit, quam exhibet in ſua Reſponſione D. Abbas, ubi ſuam de Eccleſiaſticorum ſcientia opinionem ediſſerit, & ſibi videri ait, *profundam atque exquiſitam Conciliorum & Patrum lectionem Eccleſiaſticis viris* convenire *quidem, ſed abſolute illis neceſſariam non eſſe; quovis tempore nonnullos eorum extitiſſe, qui ſine hoc adminiculo, atque hujus ſtudii expertes, ad magnæ virtutis faſtigium evecti, in ſanctitatis viam quam ipſi inierant alios perduxere; hujuſmodi viros noſtris quoque temporibus non deeſſe, nec umquam defuturos.*

Eadem omnino ratione, eodem ſenſu, contendimus & nos, Dogmaticum ſtudium Monachis convenire, illis videlicet, qui ad id genus cognitiones acquirendas idonei ſunt; & Superioribus jus eſſe dicimus illos ad ea ſtudia dirigere, quin a ſuo ſtatu propterea avocentur. Ut quis jure ſibi ſumat de propria religione notitiam capere, ſatis eſt quod Chriſtianus ſit, & hujus diſciplinæ ac ſcientiæ ingenium capax a natura teneat. Peculiaria Monachorum officia nihil de hoc jure detrahunt. Adde quod in ſolitudine degens, a rerum ſæcularium tumultu remotior, & in tranquilliori ſtatu collocatus, ideoque ad hoc ſtudium comparatior eſt. Præterea ſæpe contingit, ut munus ei incumbat alios docendi, quando videlicet ex ſupernæ nutu Providentiæ vel Sacerdotali gradu condecoretur, vel ad Magiſtri aut Superioris officium promoveatur. Religioſi Ordinis intereſt, ut qui ad hæc ſtudia ſunt

ſunt a natura facti, aut omnes, aut certe aliqui ad ea excolenda veniant; nempe ut officiis & muneribus, quibus religioſæ ſodalitates ineluctabiliter tenentur, ſatisfieri poſſit. Si nemo ibi reperiatur Dogmaticæ ſcientiæ omnino peritus, quomodo ſubnaſcentes difficultates expedientur, aut quomodo ea quæ credere oportet, imperiti docebuntur? Eundum-ne erit ad externos, ut doctrinæ ſubſidia comparentur? At ne hoc quoque fieri perſæpe licet, eo quod in ſolitudine deſit commoditas atque opportunitas. Numquam deponendus eſſet de manu calamus, & quovis temporis momento viri in Civitatibus degentes conſulendi forent. Interea tamen errores ſenſim ſine ſenſu intruduntur; ut crebro nimis experientia magiſtra cognovimus.

Eccleſiæ quoque permagni intereſt, in Monaſteriis præſertim in agro poſitis Theologiæ Dogmaticæ peritos viros inveniri, ut multas quæſtiones quæ identidem occurrunt, & prompta ſolutione indigent, enodare atque illuſtrare valeant. Doctores & doctos neque ſemper, nec ubique obvios habemus. Interim pſeudoprophetæ ſurgunt, & errores diſſeminantur. Ita in Germania ſæculo præterito accidiſſe nimium compertum eſt. Permultis in locis, velut in oppido S. Galli, Kempis, Corbeiæ in Saxonia, & alibi, ſoli ferme Monachi fidem ſtrenue tutati ſunt ac ſartam tectam conſervarunt; atque hæc eſt cauſa, cur ibi ad noſtri Ordinis Monachos ſacrorum adminiſtratio in ſuffraganeis Eccleſiis ex antiqua conſuetudine contributa adhuc pertineat.

Prætermittere omnino non poſſum hoc loco exemplum Venerabilis Durandi Caſtrorum Abbatis, qui circa dimidium decimi ſæculi florebat. Cum ejus ætate perincioſam doctrinam contra animorum immortalitatem quidam Walfredus diſſeminaſſet, ipſe totis viribus obſiſtens adeo ſtrenue ſe geſſit, ut hæreticus rationum & eloquentiæ pondere obrutus cedere coactus fuerit, & naſcentis erroris curſus continuo ſubſtiterit.

Walfredus ſpargit doctrinæ ſemina falſæ,
Corpus & una animam morte perire docet.
Inſurgit contra vero ſermone Durandus,
Et gladio linguæ dogmata falſa ſecat.

Talia refert Chronicon Epiſcoporum atque Abbatum Caſtrenſis Diœceſis, quod extat tomo ſeptimo Spicilegii. An expertem ſcientiæ Abbatem in hac rerum circumſtantia Eccleſiæ magis profuturum fuiſſe putamus?

Sed Ethicæ Chriſtianæ ac Monaſticæ ſtudium D. Abbas Solitariis non denegat, ideoque permittit, ut legant Patrum Morales Tractatus. Cur ergo Dogmaticum ſtudium illis præſertim, qui perſpicaci ingenio præditi ſunt, denegare præſumit? Nunquid Dogmata minus ad religionem pertinent, quam moralis diſciplinæ capita? Proclivius eſt, ut ait Origenes, in doctrina, quam circa mores errare. *Origen. ho. 9. in Jerem.*

In hac mea opinione duces & magiſtros habeo plane conſentientes S. Auguſtinum, & S. Hilarium; a quorum doctrina recedere puto qui D. Abbatis ſententiam tuentur. Sed res de qua agimus, majoris eſt momen-

momenti, quam ut eam leviter & perfunctorie tranſigamus. Licebit ergo, ut in ea aliquantulum hæreamus.

S. Auguſtinus in explanatione Pſalmi 130. quid de hac re plane ſentiat graviſſimis verbis ediſſerit. Ut ejus ſententiam, recte concipiamus, notandum 1. S. Doctorem alloqui homines mere fideles & laicos; nemini autem dubium eſſe poteſt, ſcientiam plebi & laicis convenientem prout Chriſtifidelium nomine cenſentur, Monachis etiam convenire, qui ſaltem medium inter Clerum & plebem locum ſervant. Certum itaque & exploratum eſſe debet, ſcientiam, ad cujus acquiſitionem S. Auguſtinus in hoc ſermone fideles hortatur, illius ſcientiæ, quæ Monachos decet, fines nullatenus egredi.

2. Explicans S. Doctor duodecimum verſum Pſalmi ſupracitati, *Si non humiliter ſentiebam &c.* utitur diſtinctione lactis, & cibi ſolidi, tamquam fundamento ſuæ explicationis. Verbum divinum in ſua eſſentia, inquit, cibus eſt Angelorum. *Panis ergo eſt; inde vivunt angeli: ecce panis paratus eſt tibi*. Ad panem ſive ſolidum cibum analogice refert ſublimiora Fidei myſteria, puta *æqualitatem Verbi cum Patre, æqualitatem Spiritus-ſancti cum Patre & Verbo*. Has veritates ſolidum alimentum tunc eſſe contendit, quando illas, quatenus in hoc mundo datum eſt, clare & perfecte cognoſcimus: *Cum videro quæ non poteram videre, & cepero quæ non poteram capere*.

Econtra ſub lacte, quod imbecillioribus animis, hoc eſt incipientibus convenientius eſt, agnitionem comprehendit myſteriorum humanitatis Jeſu Chriſti; *quod tibi factus eſt Chriſtus ad infirmitatem tuam;* nec non & humilem atque ſubmiſſam Veritatum fidem, quas animæ provectæ niti debent ut clarius intelligant. *Videre Verbum non poteſt? credat, hoc eſt, ſugat. Securus eſt, quia cum creverit manducabit, quod non poterat antequam ſugendo creſceret*.

3. S. Auguſtinus damnat ut temerarios, qui ſolido cibo uti volunt, antequam lactis uſu roborentur; hoc eſt, qui ad altiores religionis veritates contemplandas, nondum in fide confirmati & exercitati, audacter feruntur. De illis in hoc Pſalmi verſiculo Spiritum-ſanctum loqui putat; quibus nimirum in pœnam ſuperbiæ, qua ſimplices cognitiones quodammodo dedignati, ad inveſtigationem veritatis, quæ ipſorum vires excederet, ſeſe extulerunt, *ſi non humiliter ſentiebam, ſed exaltavi animam meam:* ſæpiſſime accidit, ut in errores impingerent, atque illis tenacius adhæreſcentes defectu luminis, demum ab Eccleſiæ gremio miſerabiliter divellerentur. Itaque cæco impetu ducti, ſemetipſos a lacte ſubmoverunt, quo enutriri poterant, ſi beneficæ ac ſapienti matri humiliter ſe ſubmiſiſſent, credentes ex animo quæ nondum capiebant. *Sicut qui ablactatus eſt a lacte ſuper matrem ſuam, ſic retributio in animam meam*.

4. Quod ad rem noſtram præcipue facit, illud eſt; quod S. Doctor hæreticorum temeritati atque audaciæ, ineptam moderationem, ſive ut rectius dicam, puſillanimitatem opponit, tamquam extremum, illorum, qui contrariam nec minus periculoſam viam ſectantes, *cum audit-*

audierint quia humiles eſſe debent, demittunt ſe, nihil volunt diſcere, putantes quia ſi aliquid didicerint, ſuperbi erunt, & remanent in ſolo lacte. Animas hujuſmodi nimium timidas & imbecilles notat (indice Auguſtino) divina Scriptura S. Pauli verbis in Epiſtola ad Hebræos: *Et facti eſtis, quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo.*

5. Inter hæc duo extrema medium a S. Doctore indicatur, quod in hoc ſitum eſt, ut quis ſe initio lacte enutriat, & confirmet, hoc eſt, agnitione & ſtudio ſimplicium & moralium Veritatum, quæ facilius & cum majori pietatis lucro percipiuntur, exerceat; deinde ad altiſſima & maxime recondita myſteria, quæ ſunt ſolidus cibus, contemplanda extollatur. *Sic enim Deus vult nos lacte nutriri, ut non ibi remaneamus, ſed creſcendo per lac ad ſolidum cibum perveniamus. Non ergo,* inquit Auguſtinus, *tibi dicitur, Humilis eſto, ut non ſapias; ſed, Humilis eſto propter ſuperbiam, altus eſto propter ſapientiam.*

Animadvertendum tamen eſt, duobus hiſce poſtremis capitibus non tam Auguſtini, quam omnium catholicorum doctorum, qui hunc Pſalmum jam antea expoſuerant, ſententiam explicari. Et quamquam illi perſuaſum non ſit, eorum expoſitione Pſalmiſtæ ſenſum exacte reddi; ad hujus tamen doctrinæ ſummam, quæ S. Hilarii (ut alios mittam) eſſe deprehenditur, libentius accedit. „ S. Hilarius ait, homini „ inconveniens eſſe, ut exaltet cor; ſed nihil eſſe impedimento, quo„ minus exaltet ſenſum, & animam. Excelſus animo ſit, & corde „ ſubmiſſus. *Tenendus ergo humilitatis & altitudinis modus eſt, ut corde humiles, ſenſu vero & anima ſimus excelſi.* *Hilar. in Pſ. 130.*

Ex hac doctrina tria, ut mihi quidem videtur, colligi poſſunt, certiſſima ac prorſus indubitata quæ D. Abbatis ſententiæ recta opponuntur. Primum, quod Dogmatica Theologia Monachorum inſtituto adeo non ſit contraria, ut univerſis etiam Chriſtifidelibus convenire poſſit. Evidens enim eſt, citatos Doctores de ſublimioribus veritatibus loqui, cujuſmodi ſunt Trinitatis Myſterium, Divinarum perſonarum æqualitas, Attributa &c. Porro illas non tantum ut obiectum fidei proponunt, ſed etiam contendunt, omnibus ſatagendum eſſe, ut eas intelligant, ac penitus introſpiciant; quod ſine gravi & improbo ſtudio non poſſumus.

Secundo, inepta moderatione creditur, quod propter officium humilitatis ſanctarum rerum cognitio anguſtioribus finibus ſit claudenda. Omnes Chriſtifideles manere in humilitate pariter tenentur; nec hujus virtutis officium ad Monachos ſingillatim pertinet: at non ideo quia humiles eſſe debeamus, altiſſimarum ſanctarum rerum notitiam nobis interdici putandum eſt; econtra vero nulla res magis in humili & modeſta cogitatione homines detinere valet, quam hujuſmodi veritates, quarum ſplendor firmiores animas præſtringit, ſtatim ac defixo in eas obtutu hærere velint, & ſublato velamine intueri præſumant.

Tertio; cum periculoſum ſit in hunc latum Oceanum provehi ſine perito nauta, ac ſine clavo, hoc eſt ſine connexis & certis principiis; non

non eſt cur juniores Monachi ordinato doctrinæ curſu hujus ſtudii principia addiſcentes in aliorum offenſionem incurrant; quandoquidem niti debent ad perfectiorem & abſolutiorem myſteriorum intelligentiam pro ſuo quiſque ingenio pervenire; quod exequi ſine periculo nequeunt, ſi methodo & principiis deſtituantur. Mihi igitur perſuaſum eſt, quicumque Dogmaticum ſtudium Monachis denegant, eos adverſus S. Auguſtini & S. Hilarii hactenus expoſitam ſententiam aperte pugnare.

Hæc doctrina confirmari quoque poſſet ſequenti ratiocinio, quod graviſſima & firmiſſima ſoliditate atque evidentia pollere mihi videtur. Nempe Ethicæ Chriſtianæ principia cum Dogmatica ſcientia neceſſario connecti, inde patet, quod vera pietas in Dei cognitione conſiſtit, & quo perfectior eſt iſta cognitio, eo redditur quoque pietas plerumque ſolidior. Hujus ope ſcientiæ apparentes contradictiones, quæ in divinis Attributis reperiuntur, ſive ea ſeorſim conſideremus, ſive mutuo comparemus, conciliantur. Ab ea diſcimus, quomodo Deus licet ubique per immenſitatem adſit, ſimplex nihilominus in ſua natura perſiſtat. Quare cum infinite potens & ſanctus ſit, peccatum permittat. Quomodo Adami culpa, qua Chriſtianæ religionis dogma capitale & præcipuum continetur, infantibus imputari poſſit, ſalvis divinæ juſtitiæ regulis. Quid ſit, cur juſtus Deus, juſtos ſinat in hoc mundo opprimi, impios vero in proſperitate exultare; ac ſexcenta hujuſmodi alia, quæ virtutem & pietatem eorum, qui de divinis Attributis notitiam in ſe ipſis non habent, nec ab aliis receperunt, commovere ac labefactare valent. Chriſtianarum ſumma virtutum his veritatibus nititur: humilitas, patientia, conformitas divinæ voluntati &c. ab earum cognitione pendent. Quod ſi Monachis Dogmaticum ſtudium interdicatur, quomodo invenientur, non dicam ſubditi, ſed Superiores, qui id genus difficultates expedire, & nutantem pietatem tam in ſe ipſis quam in aliis ſibi commiſſis, fulcire valeant.

Præterea ſi Monaſticæ profeſſionis hominibus Theologicum ſtudium interdicitur, expoſitiones quoque Patrum in Divinam Scripturam, velit nolit D. Abbas, erunt illis interdicendæ: Auguſtinianæ verbi gratia, in Pſalmos, in S. Joannem, in S. Paulum, quæ nihil minus Dogmaticæ materiæ continent, quam cetera ejus opera; aut certe quæ in his Expoſitionibus ad Dogmata ſpectant, ab iis quæ ad mores tantum, erunt ſecernenda; quod difficile factu, ne dicam impoſſibile foret. Quid quod hæc diſcretio nulla ratione niteretur, cum hos ſermones Sancti Patres ad populum habuerint, & vulgus fidelium ex iis doctrinam & pietatem hauſerint. Numquid Monachi conſimilem inde fructum colligere non poſſent? Si ita eſt, Monachis ſubtrahenda quoque foret lectio multorum S. Bernardi ſermonum, qui de dogmaticis materiis tractant, quamvis illos Monachorum efflagitatu compoſitos, & his quoque præſentibus recitatos fuiſſe compertum ſit. Sermonum etiam, quos hic Sanctus Abbas de animarum viſione beatifica ante reſurrectionem compoſuit, lectio interdicenda illis erit, ne forte hujus Theo-

Digitized by Google

Theologici dogmatis cognitione deſtituti, in aliquem errorem incaute offendant. Denique prohibendi erunt a lectione Tractatus de Gratia, & aliorum multorum hujus Sancti Operum, in quibus Theologica Dogmata ex propoſito diſcutiuntur; quamquam D. Abbas omnia S. Bernardi ſcripta ſine ulla diſtinctione a Monachis legi permittat. Hinc patet, in quantas hujus Dogmatici ſtudii ſubtractio difficultatum tricas nos coniiciat; ac jure merito ex hactenus dictis colligimus, Dogmaticam Theologiam a diſciplina morali ſejungi non poſſe.

„ Propterea S. Gregorius Nazianzenus vere ajebat, eos, qui vel ſolos mores, vel ſolam doctrinam conſecuti ſunt, ab altera autem deferuntur, ſibi videri nihil a luſcis differre. Ad horum calamitatem accedit, quod invenuſtam ac indecoram faciem exhibent, ſive aſpiciant, ſive aſpiciantur. At quibus utraque laude excellere, velut ambidextris eſſe contigit, hi nimirum omnibus numeris abſoluti ſunt, ac cum alterius vitæ beatitudine vitam agunt. *Gregor. Nazian. Orat. 20.*

Cum hæc ita ſe habeant, quid a Dogmatum ſcientia & ſtudio Monachi ceteroquin idonei prohibentur? Quid totum hoc ſtudium inter anguſtos fines quorumdam Catechiſmorum, & *trium vel quatuor menſium intervallo* concluditur? Adeo-ne graviter peccarent, ſi vel in his Catechiſmis diutius verſarentur? Adeo ne periculoſum eſt, Dei cognoſcendi modum & rationem addiſcere? Fateor id mihi eſſe imperceptibile. Utcumque tamen ſit, conſentit denique D. Abbas, ut ſupra innuimus, *Veteres Patres & Monachos nequaquam culpæ dediſſe cuipiam Solitario, quod omnibus id genus notitiis operam impenderet; eoſque in ea ſententia fuiſſe, ut putarent quoſdam ex illis in hoc ſtudii genere ex profeſſo verſari poſſe, dummodo ex legitimæ ſtudeant auctoritatis arbitrio*, hoc eſt, ut ego ſentio, ex Superioris nutu & voluntate.

Et re quidem vera complures Monachorum cum fructu & benedictione Dogmaticæ Theologiæ operam dederunt, ut eorum ſcripta teſtantur. Epiſcopi ſanctitate conſpicui ſtimulos illis aliquando ad ſcribendum addidere, quos tamen antea ſtudio exercitatos, & ad ſcribendum idoneos fuiſſe omnino exiſtimandum eſt. Præterea Doctores & Præſules ſanctiſſimi Dogmatica Opera ſolitariis perſæpe nuncuparunt, eoſque ad ea ſemel & iterum legenda excitarunt, quemadmodum S. Auguſtinus Tractatum ſuum de Correptione & Gratia, qui profecto dogmaticus eſt. Efflagitantibus Solitariis ſcripſiſſe conſtat S. Epiphanium libros de Hæreſibus, Dogmaticum opus, quam quod maxime, cui addendus eſt ejus liber inſcriptus *Ancoratus*, quem itidem nonnullis Monachis nuncupavit. Id vero factum in primordiis Monaſtici Inſtituti. Quid plura deſideras?

Magnus Solitariorum numerus ſcripſerunt olim ad S. Cyrillum Alexandrinum, ut ſibi de quibuſdam difficultatibus circa fidei Symbolum occurrentibus reſponderet. Quibus morem gerens Sanctus Antiſtes, reſcripſit Epiſtolam prorſus Dogmaticam, ad propoſitas difficultates enodandas; atque eorum ſtudium dogmata Chriſtianæ Religionis medullitus cognoſcendi, diſertiſſimis verbis miratur atque commendat. *Conc. to. 3. col. 1180.*

Etenim divinas doctrinas deſiderare, & ſacrorum dogmatum rectitudinem ſtudioſe perſequi, quis non valde admiretur? Quibus addit, hoc ſtudium, atque hunc laborem a mercede nequaquam vacuum futurum, atque in id genus cognitionibus conſiſtere vitam æternam.

In Armenia erroneas opiniones quibuſdam ſpargentibus, ejus regionis Monachi continuo Proclum Conſtantinopolitanum Epiſcopum certiorem faciunt: (patet hinc quod ſuperius dicebam, Monachos videlicet errorum & falſæ doctrinæ curſum ſua eruditione & ſcientia ſæpiſſime retardaſſe:) ad quos Proclus elegantem miſit Epiſtolam, totam Dogmaticam, in cujus extremo illos hortatur, ut in amore & ſtudio fidei orthodoxæ conſtanter & immobiliter maneant, ac traditionibus adhæreant, quas acceperant a BB. Baſilio & Gregorio, aliiſque; qui in una & eadem fide ac ipſi quondam fuerant. *Concil. to. 3. col. 1432.*

Monachi quoque Conſtantinopolitani Agapeto Pontifici olim ſignificarunt, Anthimum, quem Imperator in hujus Urbis Epiſcopali throno collocare volebat, corde Eutychianum eſſe. Denique S. Leo adeo de Monachorum hujus urbis doctrina & zelo ſervandæ fidei certus erat, ut graviſſimis hiſce verbis illos alloqueretur: *Collaborate nobiſcum, & quanta poteſtis devotione id agite, ut falſitate deſtructa & fidei ſoliditate defenſa, ſecura per totum mundum pace potiamur.* *Vid. Baron. ann. 535. & 536.*

Antequam hoc caput abſolvam, unum verbum dicam de Critica, quandoquidem eam D. Abbas ſtudio Patrum conjunxit. Nec miror admodum, huic illum ſtudio exitiale bellum indixiſſe, cum ejus abuſum tantummodo reſpexerit, adverſus quem nihilo minus vehementer a me declamatum eſt. Verum prudentior, ac ſapientior eſt, quam ut illam damnet abſolute, quod ea aliqui abutantur. Ipſemet Critices normam in ſua Reſponſione frequentiſſime adhibet, quamquam illam maximopere averſari videatur; ita ut contra Artem Criticam diſputanti idem prorſus acciderit, quod ei circa ſtudia literarum accidiſſe notavi; nimirum illius utilitatem ſuo-met exemplo probavit. Ineptam ergo Criticam abiiciamus, aptam & legitimam amplectamur, quæ ubique neceſſaria eſt, cum nihil aliud ſit, quam rectus judicii & intelligentiæ uſus. Illa opus eſt, ut genuinas hiſtorias a falſis dijudicemus; ne ſuperſtitioſis narrationibus, vanis opinionibus, inanibus deliramentis & viſionibus, fictis aut ambiguis miraculis, ſuppoſititiis Patrum ſcriptis temere fidem habeamus. Venerabilis Guigo, quintus Cartuſianorum Generalis Critices normam utiliter adhibuit, ubi ſerio examine dijudicat inter Epiſtolas Divi Hieronymi, legitimas nempe ab apocryphis diſcriminando. Eadem adhibenda in rebus fidei & religionis, cautiſſime tamen & cum ſumma moderatione, ne indiſcriminatim omnia ſine ulla ratione & lumine accipiantur: *Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Qui credit cito, levis eſt corde.* Sanctiſſimi denique Monachi Critices regulas in textu Sacræ Paginæ exercuerunt, verſiones cum textu originali conferentes, prout a S. Martyre Luciano factum, qui ſeptuaginta verſionem ad Hebræos Codices diligentiſſime recognovit, atque emendatiorem edidit. Jampridem quoque adnotavimus S. Stephanum *pag. 275. & 5.*

Ciſter-

Ciſtercienſium Abbatem adhibitis peritis Hebræis ad Sacra Biblia in ſuo Monaſterio emendanda ſolerti labore incubuiſſe. Adeo verum eſt, Critices notitiam ipſis Solitariis eſſe in ſanctioribus rebus neceſſariam.

Ægre adducor ut credam, D. Abbatem in hæc principia minime conſentire: atqui dicere poterit, imo reipſa dicit, *viro critico frenum inici nullo modo poſſe*. Si ita eſſet, moleſtiſſima abſurda pati cogeremur; *pag.* 276. atque eo deveniretur, ut vel omnia ſine ullo examine & indiſcriminatim recipienda eſſent, vel medicina malo deterior adhibenda. Sed non deeſt ſuus huic ſcientiæ modus, ut tot illuſtrium virorum, qui ejus ope utiliter Eccleſiæ inſervierunt, exempla aperte convincunt. Regulæ vero, quas in meo Tractatu pro legitima criſi inſtituenda indicavi, impedire valent, ne quis ea abutatur.

ARTICULUS XXI.

Privata & certa ſtudia Monachorum novis rationibus confirmantur, deſumptis ab ingenti Epiſcoporum & magnorum virorum numero, quos Monaſteria edidere. Cœnobii Lerinenſis Elogium.

INter varia argumenta, quibus probare conatus ſum, a primis uſque temporibus ſtudia in Cœnobiis exculta fuiſſe, pene innumerabilem Epiſcoporum & magnorum virorum ſeriem allegaveram, qui inde prodiere, ad digne fungendum tali miniſterio prorſus comparati. Auctor vero Reſponſionis contendit, *nihil exactæ & exquiſitæ rationis in hoc argumento ineſſe. Nam ſi ex his Monaſteriis* (ait) *quinquaginta Monachi electi, ad Epiſcopatus honorem educti ſunt; ex adverſo centum mille fuerunt, qui ibi totum vitæ curſum abſolverunt in humilitate, in ſilentio, in ſuæ profeſſionis integritate. Summa igitur redit ad paucos viros, quos Providentia diſpoſitione extraordinaria a reliquis diſcrevit.* *pag.* 37.

Sed veniam dabit, ut ego quoque illi reponam, nihil exactæ & exquiſitæ rationis in hac reſponſione ineſſe. Licet enim concederemus (quod nequaquam ita eſt) exiguum Epiſcoporum numerum è Monaſteriis prodiiſſe, atque hos extraordinario nutu Providentiæ a reliquis fuiſſe diſcretos; adhuc tamen veriſſime dici poſſet, eos in Monaſterio ſcientiam conſequutos fuiſſe ad id muneris neceſſariam, poſito quod a teneris annis ibi fuerint educati, prout de multis, iiſque inſignioribus conſtat. Ac proinde legitima eſſet conſecutio quam ducimus, ſtudia nimirum, ſaltem privata & particularia intra hæc Monaſteria in uſu fuiſſe.

Ad id dupliciter reſpondet. *Primo, quod in hoc caſu veriſimile eſt contigiſſe, ut viri iſti a Deo majori talentorum numero, perſpicaciori ingenio, ſingulari præ ceteris intelligentia, & ad ſcientias aptitudine donati, his omnibus impenſius ac felicius uterentur, ideoque ad majora præ ceteris fratribus proveherentur.* *pag.* 37.

Q 2 Ve-

Verum hæc reſponſio meæ ſententiæ patrocinatur. Nam ſi in acquiſitione ſcientiarum, impenſius fratribus ingenio uſi ſunt, ſequitur ut omnes ad earum ſtudium incumberent. Quis ignorat, non omnes pariter in ſcientiis proficere, nec ſingulos qui ſtudio vacabant, ad Epiſcopatum natos?

Secundo, quod *ſi Monaſteria totidem fuerunt ſeminaria, ad viros doctrina erudiendos, & dignos Epiſcopatu reddendos conſtituta; vere aſſeritur, neceſſe fuiſſe, ut ad conſecutionem ſcientiæ, cujus ope excelſi gradus munera digne exequi poſſent, dirigerentur. Sed cum id nulli umquam in mentem venerit, fruſtra hæc ratio adhibetur ad probandum, Monachos teneri in Eccleſiaſtica ſcientia eruditionem ſibi comparare.*

Numquid ego talia aliquando pronunciavi? Aliud eſt ſi quis dicat, quum plures Monachi de propriis Monaſteriis ad Epiſcopatum fuerint educti, inde colligi poſſe, excultas fuiſſe apud illos ſcientias: aliud, Monachos ſtuduiſſe ut ad has dignitates eveherentur. Ideo ſtudebant, quia ſtudium ſibi permiſſum, imo & neceſſarium erat, ut in ſolitudine ſuſtinerentur, ut pietatis fructu atque doctrinæ prodeſſent ſibi, & fratribus, quoties neceſſitatis aut charitatis lege obſtringebantur. Eorum merita & egregiæ dotes mundo innoteſcebant. A ſeptis clauſtrorum, plerumque inviti, educebantur, ad regendas Eccleſias. Hujus vero muneris partes feliciter adimplebant. Numquid propterea ſequitur, ut docti eſſe in Eccleſiaſtica ſcientia tenerentur, ad hoc ut Epiſcopi fierent.

Sed hoc non impediit, quominus Cœnobia Epiſcoporum ſeminaria evaderent. Hujus rei in Monaſteriis S. Martini, in Lerinenſi, aliiſque permultis, exempla proſtant. Sed ab hoc longiſſime aberant Sancti Cœnobitæ, ut ſibi Epiſcopalis dignitatis conſecutionem proponerent. Legitur quidem in S. Aureliani Regula articulus, qui eſt ordine 46. ad illos pertinens, quos ad hanc dignitatem de Monaſterio educi contigerit. *Si vero Deo propitio ita proficeretis, ut aliquis ex vobis ad Epiſcopatum expetatur, ipſe ſolus egrediatur.* Sed non innuunt hæc verba, quod Monachi ad Epiſcopalem dignitatem excitarentur aut compararentur: quod rariſſime & præter communem conſuetudinem factum memoratur. Exiſtimatione & fama virtutis, ſanctitatis, ac ſcientiæ, quibus intra Clauſtra exornabantur, hos ſibi conciliabant honores, quamquam nonniſi inviti promoventibus viderentur acquieſcere. Inepte igitur & contra meam ſententiam dixeris, mihi viſum fuiſſe, *demptis circiter centum Monachis, e. g., qui in aliquo gradu & dignitate collocati fuerunt, reliquos ad centum mille omni cura & ſtudio incubuiſſe, quo bis gradibus & honoribus digni redderentur, numquam ad eos ceteroquin perventuri.* Viri illi ſtudio dediti omnem operam & laborem adhibuerunt, ut pro ſui inſtituti dignitate vitam agerent, & ſuæ profeſſionis officiis perfungerentur. Quod reliquum fuit, ſupernæ diſpoſitioni referendum, quæ illos a proprii ſtatus cancellis omnino invitos extraxit. Et licet non omnes ad hos honores evocarentur, una tamen erat omnium & communis exercitatio, neque in diverſas claſſes ii qui ad Eccleſiaſticas dignita-

pag. 38.

gnitates aſſumendi erant, a reliquis diſtinguebantur. Omnes eadem ſtudia tractabant, aut tractare poterant; omnes iiſdem lectionibus operam dabant. Quod ſi nonnulli eorum ad Eccleſias Epiſcopali miniſterio moderandas apti comprobati ſunt, ordinario ſtudiorum curſu, & communibus exercitiis hanc aptitudinem acquiſiverant. Studia ergo & ſcientiæ, quæ adeo neceſſariæ ſunt, ut quis Eccleſiæ miniſterio digne fungatur, in Monachorum Sodalitiis impenſe colebantur.

Fruſtra vero dicas, quod *nihil ſunt ii, qui è clauſtris ad Eccleſiarum regimen educti fuere, ſi cum innumera pæne multitudine eorum, qui intra Cœnobia perſtiterunt, comparentur.* Fac ita eſſe; at id nihil impedit quominus eadem omnes præſidia habuerint, quibus in ſcientia proficerent. Ingeniorum varietas, & ſingularis quorumdam ad ſcientias aptitudo illos inter ſe mutuo diſtinxit. Quamquam nihil vetat ut dicamus, magnum eorum numerum, qui in proprio ſtatu permanſerunt, haud minus doctrina præſtantes fuiſſe, quam qui illis in animarum regimine præferebantur.

Quod attinet ad Epiſcoporum numerum, qui e Monaſteriis prodiere, valde major eſt procul dubio, quam aliqui putant. S. Pachomius, Cœnobiticæ vitæ primus inſtitutor, dum adhuc viveret complures ex ſuis diſcipulis ad Epiſcopatum vidit aſſumptos. Ex ſolo Abbatis Iſaaci Monaſterio, de quo in Vita S. Joannis Chryſoſtomi fit mentio, Theophilus Patriarcha Alexandrinus ſeptem aut octo Monachos ad Eccleſias Epiſcopales moderandas evocavit. Poſt medium quartum ſæculum, plures ex Epiſcopis Conſtantinopolitanis, Monachi fuerant, quemadmodum & plerique Orientalis Eccleſiæ docti viri, atque aliarum Sedium Antiſtites. *Fateor*, ait D. Abbas, *in Oriente, quamplurimos ex Solitariis ad Epiſcopatum evectos*. Idem in Oriente noſtra quoque memoria uſu maxime pervulgatum eſt. Haud vero ſecus contigit in Occidente. Non erat in Galliis Civitas, quæ non optaret maxime aliquem ex Monachis S. Martini Præſulem ſibi dari, ut Severus Sulpitius teſtatur. Lerinenſe Cœnobium ſanctiſſimos Epiſcopos, *per omnes Provincias*, ut ait Cæſarius illius loci ſplendidiſſimum lumen, diſtribuebat. Haud minori ſtudio diſcipuli S. Columbani expetebantur. *Quis locus vel civitas non gaudeat ex beati viri diſciplina rectorem habere Pontificem vel Abbatem?* Porro eadem de innumeris aliis Monaſteriis referre in promptu eſſet. Numerum ergo Epiſcoporum, qui inde educti fuerunt, quis poſſet accurate perſequi? *pag.* 284.

Optime, inquies: ſed numquid tam magna ſcientiæ vis ſuſtinendis Epiſcopi oneribus neceſſaria eſt: *De doctrina Epiſcoporum, qui priſcis Eccleſiæ ſæculis fuerunt, præclare nimis, ac præter rei veritatem aliqui ſentiunt ...... Omnino veritati conſentaneum eſt dicere, quidquid olim in optimo Præſule requirebatur, in Sacræ Scripturæ intelligentia, quæ quidem profunda eſſet atque exquiſita, tantummodo ſtetiſſe.* *pag.* 40.

Equum ſane ac prudens de Epiſcoporum ſcientia judicium profert Divus Gregorius Nazianzenus ſermone 21., ubi ait, ignorantiam rem eſſe non ferendam in Paſtore, qui errantes in viam reducere, & regen-

dorum

dorum a ſe populorum difficultatibus lumen afferre debet. Huc ſpectant S. Leonis verba: *Si in laicis vix tolerabilis inſcitia; in iis qui præſunt, nec excuſatione digna eſt, nec venia*. Fateor, ſi ſcientia Scripturarum, eaque *profunda*, præſtet Epiſcopus, nihil majus in illo deſiderari. Sed exilis admodum & jejuna erit in illo hæc ſcientia, niſi reliquas ad hoc ſtudium feliciter inſtituendum neceſſarias notitias ſibi comparaverit. Sine inferiorum ſcientiarum præſidio nemo ad illam intelligentiam pertinget. Pronum eſt in errores labi neſcientem Theologiæ principia. *Multi errores & lapſus ex eo contigerunt, quod viam multi non invenerint, qua eſſet in ſancta lectione inſiſtendum & progrediendum*; rectiſſime ait Origenes. Quomodo de fide & de Scriptura accurate diſputabit, qui principiorum notitia caret? De quibuſdam etiam veritatibus traditionis documenta deſideramus, ut Scripturam intelligamus. Itaque ſi ſtudio Sacræ Paginæ pro Epiſcoporum ſcientia contenti ſumus, cum illud accuratiſſimum & exquiſitiſſimum, ut aſſerit D. Abbas, eſſe debeat; alias cognitiones præire neceſſe eſt, ut hæc perfecta Scripturæ peritia acquiratur, quæ cognitiones tamquam principia & neceſſaria fundamenta ponuntur.

C. Si in laicis. Diſt. 37.

Philoc. cap. 1.

Non aberit a veritate qui dicat, S. Auguſtinum in aſcetica vita, antequam Presbyter fieret, omnes notitias ad librorum ſacrorum ſtudium prærequiſitas optime calluiſſe. At nihilominus Presbyter ordinatus, petit ſibi dari tempus & otium vacandi orationi, ac in meditatione & ſtudio Sacræ Scripturæ diutius verſandi, nempe ut ad eam fidelibus enunciandam idoneus evaderet. De hac re egregiam illam ac plane mirabilem ſcripſit Epiſtolam ad Valerium, qui ſe licet invitum ſacerdotem conſtituerat. Quid ergo agere deberent illi, quibus eadem doctrinæ emolumenta non ſuppetunt ad eloquii divini exquiſitam intelligentiam?

Aug. in Epiſt. 21.

Permultis aliis exemplis, quanta in Epiſcopis ſcientia olim requireretur, indicare poſſumus. Quod Ammonio Monacho Ordinis S. Pachomii accidiſſe novimus, huc apprime facit. Cum hic Tabennas veniſſet, quemadmodum ipſemet in Epiſtola ad Theophilum Patriarcham Alexandrinum narrat, a Sancto Abbate Theodoro, qui inſpiratione divina fore eum aliquando Epiſcopum præſcius erat, traditus confeſtim fuit Theodoro Alexandrino, & Auſonio Cœnobitæ, *ut in divinarum ſcripturarum intelligentia præclare ab illis erudiretur*. Fuerat hic Theodorus S. Athanaſii diſcipulus, & Alexandriæ in Eccleſia Peroeæ *Lector*, non modo in Græca lingua, ſed in Eccleſiaſtica præſertim doctrina apprime verſatus, quam a tanto præceptore tenebat, prout legimus in vita S. Pachomii. Huic ut morem gereret S. Pachomius græcam linguam addidicit, ac eum præceptorem ſtatuit illorum qui Alexandria venerant, atque aliorum qui Tabennas ſeſe contulerant. Quanta Auſonius eruditione polleret, ignoramus: ſed veriſimile admodum eſt maximam in eo fuiſſe, quandoquidem magnus Auſonius appellatur, ὁ μέγας, ut ab alio juniore ejuſdem nominis ſecernatur. Duobus hiſce Magiſtris Theodorus Abbas Ammonium contradidit, ut erudiretur ſcien-

Bolland. 12. Maii pag. 349.

ibid. pag. 319. n. 60.

Digitized by Google

ſcientiis, quarum uſus illi futurus erat in Epiſcopali dignitate, ad quam aſſumendum eſſe divinitus cognoverat.

Hic Ammonius in mentem redigit quæ narrantur a Palladio de Sancto Abbate Ammonio, qui adeo miris modis conatus eſt, ne renunciaretur Epiſcopus. Multis de cauſis ejus electio expetebatur, potiſſimum vero propter ejus eximiam eruditionem, quod erat nimirum καθ' ὑπερβολὴν φιλόλογος. Notat enim citatus auctor, illum non modo Vetus & Novum Teſtamentum memoria retinuiſſe, ſed in Origenis, Didymi, atque aliorum Patrum lectione adeo fuiſſe exercitatum, ut ad ſex mille & ſexcentos verſus illorum memoriter recitaret. Non omnes illos tamen, qui a Monaſteriis ad haſce dignitates evocabantur, hujus Ammonii ſcientiam, aut Baſilii, Chryſoſtomi, Epiphanii adæquaſſe contendo; ſed nullum mihi dubium eſt, quin ad obeundas Epiſcopi partes ſatis fuerint comparati, omniaque didicerint ut plurimum in Monaſteriis, in quibus multi eorum a teneris annis ſuerant enutriti. *Pallad. Hiſtor. Lauſ. c. 12.*

S. Epiphanius, qui Monaſticum inſtitutum profeſſus eſt jam inde a pueritia ἐκ νέου, ut refert Sozomenus, præter Sacræ Scripturæ ſtudium, animum ad alia quoque intenderat; ut elucet præſertim ex Opere de Hæreſibus, quod compoſuit perſuaſu quorumdam Monachorum; qui inepte admodum & intempeſtive tale opus exoptaſſent, ſi dogmaticas materias legere nefas illis fuiſſet. Et quidem ad hanc lucubrationem illum cohortati ſunt, quo tempore Monaſtica diſciplina nihildum a primitiva puritate deſciverat. Quæ de Epiphanio diximus, ad Theodoretum quoque, & alios innumeros egregios Antiſtites pertinere poſſunt, qui prima eruditionis, æque ac pietatis & virtutis elementa Monaſticæ profeſſioni referunt accepta. *Sozom. l.6. c.32.*

Fateor, *ad Epiſcopatum nonnumquam aſſumptos, qui modice eruditi erant*, tunc præſertim quum ſanctitas eximia eruditionem ſupplevit: ſed novimus etiam, utriuſque habitam fuiſſe rationem; & Eccleſiaſticas regulas infringi conſtat, quoties ineruditi ad has dignitates extolluntur. Itaque redargui non poſſet Metropolites, qui ſequutus has regulas, Eccleſiis ſuæ Provinciæ Paſtores ad exercenda hæc munera minime idoneos præfici nollet. *pag. 218.*

Ex narratione de Epiſcopo Wlſtano a D. Abbate allata, utut vera ſit, non ſequitur ut B. Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis nulla fuerit ratione fretus cum eum deponere vellet propter ejus inſcitiam, & rudem ſimplicitatem, propter quas contemptibilis, & ſuo gradu indignus reddebatur; quod ſi conſtet, Deum ejus depoſitioni per miraculum interceſſiſſe, vix tamen credo minus illi fuiſſe probatum Lanfranci conſilium, quod regulis Eccleſiaſticis congruebat. Utcumque vero ſit, exceptione hic loci jure merito uti poſſumus, quam Reſponſionis Auctor tot locis opponit; nimirum id eſſe factum ſingulare, & inuſitatum, a quo nihil conſequitur. Aliquantulum igitur anceps mihi eſſe videtur concluſio, quam ipſe ex hoc exemplo colligit; & haud ſcio, an omnes cum illo conſenſerint, *Epiſcoporum laudem & commendatio-* *pag. 219.* *pag. 220.*

ſtationem non in ſcientiæ profunditate & eruditione conſiſtere, ſed in ſimplicitate & ſanctitate vitæ. Utraque conditio neceſſaria eſt; verum excepto caſu altiſſimæ ſanctitatis, mihi perſuaſum eſt cum Sanctus Thoma, modicam virtutem cum ſcientia, virtuti, quæ ſit expers ſcientiæ, eſſe anteferendam.

pag.119. Preces, quas Lupus Ferrarienſis apud Hincmarum fieri impetravit pro Hilmerado electo Ambiani Epiſcopo, ea quæ hic a me dicuntur, plane confirmant. Non multa ille quidem doctrina pollebat: ſed ad ſuæ tamen & aliorum ſaluti conſulendum & collaborandum idoneus erat.

Appoſite vero fiet, quod hic ſermonem aliquantulum protrahamus de Lerinenſi Monaſterio, quod Sanctorum Epiſcoporum & doctorum Monachorum ſeminarium fuiſſe paulo ante notavi. Neque id abnuit *pag.201.* D. Abbas; ſed contra ſe facere non putat, ait enim: *Docti quidem Monachi in hac ſodalitate fuerunt. Sed illud potiſſimum hic agitur, ut ſciamus primo, quo in loco operam ſtudiis dederint; deinde in quo ſita eſſet eorum doctrina, ex qua adeo inclaruerunt.* Quod ad primum caput pertinet, aſſerit, *S. Eucherium, qui de diſciplina, quæ ibi obtinebat, accurate diſſeruit, nihil de ſcientia dixiſſe; & in S. Honorati Vita, quæ illuſtris hujus Sodalitii exercitia ſtudioſe commemorat, aperte innui, Sanctum hunc virum aliud nihil habuiſſe in quo acquieſceret præter orationem & pſalmodiam.* Qualis vero fuerit eorum ſcientia, palam facit, ubi ait in ſola Divinæ Scripturæ intelligentia ſitam fuiſſe. Age vero utrumque caput expendamus, & maxime primum.

Quandoquidem S. Eucherii Epiſcopi Lugdunenſis narrationi ſtare lubet, videndum num revera de horum Monachorum ſcientia nihil ille memoriæ prodiderit. Sanctus hic Præſul duos, ante Epiſcopatum filios ex juſto conjugio habuerat, Veranum & Salonium: quorum uterque Monaſticum inſtitutum profeſſi in Cœnobio Lerinenſi ſub S. Honorato fundatore & primo Abbate, poſteà Epiſcopi renunciati ſunt. Ex S. Eucherii Epiſtola, quam Salonio ſcripſit mittens ei librum de obſcuris Sanctarum Scripturarum capitulis, intelligimus hunc ejus filium *vix dum decem annos natum eremum ingreſſum*, atque ibi prima documenta a S. Honorato recepiſſe, *inter illas ſacras manus non ſolum imbutus es, verum etiam nutritus ſub Honorato patre illo:* deinceps vero a S. Hilario Epiſcopo Arelatenſi poſt S. Honoratum, altiorem hauſiſſe doctrinam: *cum te illic beatiſſimi Hilarii, tunc inſulani tironis, ſed jam nunc Summi Pontificis, doctrina formaret per omnes ſpiritualium rerum diſciplinas.* Denique poſtremam illius diſciplinæ manum impoſuiſſe Salvianum & Vincentium: *ad hoc etiam te conſummantibus ſanctis viris, Salviano atque Vincentio, eloquentia pariter ſcientiaque præeminentibus.* En igitur tres, ut ita dicam, doctorum ordines nactus eſt Salonius in Lerini inſula: S. Honoratum pro diſciplina pietatis & virtutis: S. Hilarium pro doctrina ſpiritualium rerum, ſive id de Sacra Scriptura, ſive de rebus moralibus intelligatur; ac denique Salvianum & Vincentium pro ſcientia & eloquentia. Nam quid adhuc reſtabat Salonio diſcendum, poſtquam a S. Hilario

lario

lario per omnes ſpiritualium rerum diſciplinas deductus fuerat? Quidve minus expectandum erat ab his duobus magnis viris, Salviano & Vincentio Lerinenſi, cujus Admonitorium maximum eſt doctrinæ & eloquentiæ ſpecimen, ac perenne contra omnes hæreſes, antiquas, novas, & futuras monumentum?

Sed præclarum S. Honorati elogium a S. Hilario ejus diſcipulo compoſitum, haudquaquam iſta ſingillatim perſequitur. Ibi enim S. Hilarius de ſe loquens ait tantummodo, „ ſe ab hoc benigniſſimo præce„ ptore, cui ſuam debebat converſionem, primum lacte nutritum, „ & poſtmodum cibo, ac profluo cæleſtis fonte ſapientiæ potatum. „ Atque utinam (ait) tantum anguſtia ſpiritus mei recepiſſet, quan„ tum ille ſtudebat infundere. Præparaſſet me profecto vobis & de„ ſiderio veſtro dignum dediſſet, & *ſucceſſorem ſibi idoneum neſciens erudiſſet*: in Epiſcopatu videlicet; nam S. Hilarius plebi Arelatenſi hoc elogium nuncupat, quod eloquentiæ eximii hujus diſcipuli luculentiſſimum eſt teſtimonium. Notatu vero digna ſunt verba illa, *neſciens erudiſſet*, cum oſtendant, non dedita opera, nec ullo ad Epiſcopatum reſpectu S. Honoratum S. Hilario doctrinæ præcepta tradidiſſe, ſed in hoc communes dumtaxat regulas in ſuo Monaſterio conſtitutas ſequutum fuiſſe. Ut breviter dicam, id nequaqnam factum ex ſupernaturali quadam vocatione & impulſu; neſciebat enim, S. Hilarium futurum Epiſcopum, *neſciens*; ſed ex communis educationis inſtituto, quod in reliquos juniores Monachos pariter ſervabat.

Verumenimvero quæ de Salonio narravimus, ſatis indicant, quæ tunc temporis vigeret ſcientia apud Lerinenſes Monachos; & quam diligens opera in eorum eruditione & diſciplina a S. Honorato impenderetur: quandoquidem parum habens quod Magiſtros illis ex numero ſuorum fratrum præberet, quos inter doctum Vincentium; adhibuit præterea Salvianum, non in ſuo quidem Cœnobio fratrem, ſed *carorum ſuorum unum*, prout teſtatur S. Hilarius in elogio ſupra citato.

Porro iis quæ hactenus animadvertimus, addi poteſt, admodum eſſe veriſimile, Vincentium in cœtu horum Monachorum eam ſibi comparaſſe doctrinam, quæ illum in tota paſſim Eccleſia celeberrimum reddidit; quippe qui antequam aſceticum inſtitutum amplecteretur, arma tractaverat: neque vero probabile ullo modo eſt, illum in bellica diſciplina ſtudiis perquam inimica, tam magnam vim acquiſiviſſe doctrinæ. Magnum itaque, ut opinor, momentum ineſt rationibus ex Epiſtola S. Eucherii deſumptis, ad ſtudiorum uſum in Lerinenſi Abbatia luculenter demonſtrandum; nec D. Abbatem in ſua aſſertione diutius perſtiturum arbitror; quod nempe S. Eucherius nullum de horum Monachorum ſcientia teſtimonium poſteris reliquerit.

Sic ſe habuit diſciplina celeberrimæ hujus Abbatiæ, ad quam ex omnibus mundi regionibus qui ad religioſam profeſſionem animum adiecerant, confluebant. *Certatim jam illuc omnis regio quærentes Deum dirigebat*. Quoddam quaſi lyceum virtutis & ſcientiæ eſſe videbatur, univerſis orbis nationibus apertum & patens. *Etenim quæ adbuc terra, quæ*

Digitized by Google

natio in Monaſterio illius, cives non habet? Sanctus Honoratus ſingulos qui ſeſe offerebant, velut ulnis effuſis patentibuſque brachiis excipiebat; ita ut omnes Chriſtum quærentes ad eum confugere viderentur, quemadmodum Sanctus Hilarius in ejus elogio teſtatur. Sed inſuper nulla tunc regio extitit, quin Epiſcopos de numero Alumnorum ejus concupierit ſibi præſidere, juxta S. Cæſarii teſtimonium. Tale igitur fuit Monaſterium Lerinenſe, quod omnium Galliæ Cœnobiorum exemplar fuit & prototypum. Cum autem ſtudia in ipſo vel a propriæ fundationis tempore, nempe circa annum 400. floruerint, atque ibi celeberrimi doctores inventi ſint erudiendis Monachis deſtinati, in dubium non eſt vertendum, quin & reliqua ejuſdem veſtigia tenuerint.

ARTICULUS XXII.

Afferuntur argumenta deſumpta ex magno illuſtrium Scriptorum numero, qui in Monaſteriis floruerunt.

NAturaliter inſitum eſt homini civi, ut ſuæ jura patriæ tueatur, a qua ortum duxit; ſubjecto, ut ſui principis commodis & utilitatibus ſtudeat; religioſo, ut ſui Ordinis prærogativas aſſerat. Nemo eſt qui ſic agentes damnet, atque adeo non probet, dummodo hanc agendi rationem veritas moderetur, & amor ſui ipſius, qui optima corrumpit, certos fines tranſilire non cogat. Ab hujuſmodi errore longiſſime abeſt D. Abbas: non ſolum enim generatim Ordini Monaſtico, & ſpeciatim Ordini S. Benedicti, cujus ipſe membrum eſt, indebitas prærogativas non tribuit; verum etiam eas ſubtrahit, quas nemo hactenus in controverſiam vocavit.

Sunt autem hæ prærogativæ; quod S. Benedicti Ordo inſignem atque utilem operam Eccleſiæ & Regnis ſepiſſime navavit: Quod literas & doctrinam multorum ſæculorum intervallo ſuſtinuit, ſive gymnaſiorum & Academiarum præſidio, ſive antiquorum Codicum tranſcriptione & cura: Quod denique innumeri magni viri, atque illuſtres Scriptores eum celeberrimum reddiderunt. Neminem reperias in antiquitate mediocriter verſatum, qui hunc ab illo honorem abjudicare conatus ſit, utut in Ordinem Monaſticum parum propenſus viſus fuerit; atque adeo ipſi hæretici in hoc conſenſere.

Nihilominus auctor Reſponſionis, neſcio qua ratione permotus, palam aperteque profitetur ſe omnibus hiſce prærogativis adverſari, quæ omnimoda æquitate niti videbantur; & perinde quaſi non eſſet Monaſtici Ordinis filius, eum ab hoc honore deiicere tentat, quem externi lubenter ei attribuunt. Fortaſſe putat, Monachorum ſtatum omnem gloriam, omne decus non a prærogativis hujus ſæculi, quarum penitus oblivíſci debet, ſed a cæleſtibus & ſpiritualibus mutuari. Sed ut rem

Digitized by Google

ſic ſe habere permittamus, nihil impedit quominus pariter injurioſe facere putemus eum, qui hujus ſæculi prærogativas in controverſiam vocat, aut illi ſubtrahit, quam qui cæleſtes & ſpirituales dubias & diſceptabiles reddit; & ne ipſe quidem D. Abbas, non minus ac alii, ſuæ Abbatiæ privilegia & bona dimittere voluerit. Porro nihil noſtro Ordini antiquius umquam fuit iis privilegiis, quæ in Reſponſione oppugnari cernimus, ita acriter vehementerque, ut aliud nihil in ea pari cum ardore & ſtudio urgeatur. Hæc agendi ratio in homine præſertim hujus profeſſionis & dignitatis aliquanto inſolens & nova videtur.

Singula igitur hæc capita alia ex aliis diſcutienda ſunt, & a poſtremo incipiendum, quod eſt de inclytis viris, & de Scriptoribus Ordinis, quos Reſponſionis auctor ad nihilum ferme redigit, aut ſubtrahendo celebriores, aut reliquos exhibendo modo tamquam ſupra communem conditionem evectos, modo ut regularum infractores, modo denique ut ineptos & ridiculos. Si in animum induxeris illuſtrium Monachorum numero aggregare S. Baſilium, S. Joannem Chryſoſtomum, S. Gregorium Nazianzenum, S. Hieronymum, S. Gregorium Magnum; Monachos fuiſſe liquido negabit. Si connumeres S. Epiphanium, S. Ephrem, S. Iſidorum Peluſiotam, S. Nilum, Caſſianum, S. Fulgentium, S. Theodorum Studitam, S. Bernardum &c. continuo audias, hos viros fuiſſe extraordinaria vocatione diſcretos, & a proprii ſtatus finibus nutu Providentiæ eductos. Fruſtra ex ſcientia Lupi Servati, Trithemii, atque aliorum hujuſmodi aliquod captabimus emolumentum; hi enim citra ſuæ profeſſionis dignitatem ſæcularibus ſtudiis operam dedere. Scripta Walfridi Strabonis, Notkeri, Salomonis, Ruthardi, Hubaldi, & conſimilium aliorum, aliud nihil ſunt quam inutiles nugæ; *& nemo neſcit noſtra quoque memoria Monachos inveniri, qui nec admodum graviora, nec religioſiora, nec ſanctiora pertractant.* Denique laudatiſſimorum Scriptorum Catalogus ad nihilum recidet. Id vero in hoc articulo expendemus, reliqua capita, quæ modo innuimus, in progreſſu diſputaturi. pag. 117. & 118.

I.

S. Joannes Chryſoſtomus, quem citat, ex albo Monachorum expungendus eſt, æque ac S. Gregorius Nazianzenus, & S. Baſilius; quibus velim addas S. Hieronymum. De S. Gregorio Magno utrum fuerit Monachus, ambigi poteſt. pag. 178. Ita ſane pars haud exigua uno eodemque tempore nobis eripitur; ſed age videamus, num id juſte & cum ratione fiat.

Ac primo quidem haud ſcio, an D. Abbas auctores habeat potiores D. Thoma, qui in ſua Apologia adverſus Gulielmum de Sancto Amore, rem ponit tamquam certam & exploratam, quod S. Gregorius Nazianzenus, S. Baſilius, S. Joannes Chryſoſtomus, S. Hieronymus, & S. Auguſtinus aſceticum inſtitutum profeſſi ſint. S. Petrus Damia- S. Thom. 20 Opuſc. c. 2.

R 2 ni,

Digitized by Google

ni, ante S. Thomam, extra omnem dubitationis aleam id eſſe aſſerue-
Petr. Damia. Opuſ. 28. c. 2. rat: *Baſilium, Athanaſium, Auguſtinum, nec non & Hieronymum nulli dubium eſt Monachos fuiſſe*. Si certiora & potiora duobus hiſce Scriptoribus monumenta ſuppetant D. Abbati, ex quibus judicium fere poſſimus, ea quæſo in medium proferat.

2. Magnum pondus accedit ad probandum, S. Joannem Chryſoſtomum profeſſioni Monaſticæ nomen dediſſe, quod quadriennio vixerit cum Solitariis Eremi Antiochiæ, poſteaque in quoddam ſpecus ſe abdiderit, ubi duos adhuc annos tranſegit, ad imitationem veterum Monachorum, qui poſtquam in vita communi & Cœnobitica ſeſe exercuerant, in ſolitudinem ſecedebant anachoretarum ritu victuri. Pro aliquo etiam præjudicio valet ejus egregia Apologia pro ſtatu Monaſtico adverſus illos conſcripta atque edita, qui inique ac importune de hoc ſtatu loquebantur; cui adiiciendus eſt liber, in quo eumdem ſtatum cum regia dignitate confert.

Sed Socrates & Sozomenus de ejus Monaſtica profeſſione adeo aperte meminerunt, ut a nullo in dubium verti poſſe credamus, modo
Socrat. l. 6. c. 3. ſcriptores iſti attenta cogitatione legantur. „ Socrates enim ait, eum „ relicta judiciaria profeſſione, cui ſe daturus erat, quieti potius ſe „ tradidiſſe, & vitæ tranquillioris inſtitutum imitatione Evagrii am„ plexum fuiſſe. Mutato habitu & inceſſu animum lectioni ſacrarum „ literarum intendiſſe, irremiſſam Eccleſiarum curam gerentem. Per„ ſuaſiſſe autem Theodoro & Maximo condiſcipulis olim ſuis, ut idem „ vitæ genus tenuis ac frugalis amplecterentur, e quibus Theodorus „ poſtea Mopſveſtiæ Civitatis Ciliciæ factus eſt Epiſcopus, Maximus „ vero Seleuciæ Iſauriæ. Tum itaque iſti (pergit Socrates) Monaſticam diſciplinam τὴν ἀσκητικὴν addidicerunt ſub Carterio & Diodo„ doro, qui tum Monaſteriis Antiochiæ præerant, (ἀσκητηρίοις.) Quandoquidem vero certum eſt ex eodem Auctore & ex aliis pluribus Eccleſiaſticis monumentis, Evagrium S. Gregorii Nazianzeni diſcipulum, Theodorum, & Maximum Monachos vere fuiſſe; ſine ulla ratione dixeris, S. Joannem Chryſoſtomum minime talem extitiſſe. Sozomenus eamdem rem cum Socrate, licet aliis verbis, enarrat ex-
Sozom. l. 8. c. 2. preſſe atque evidenter, dum ait: „ Quum autem cauſas in foro dicturus, idque vitæ genus amplexurus ſperaretur, ſacros verſare libros, „ & ſecundum Eccleſiaſticas ſanctiones philoſophari ſtatuit. Et Phi„ loſophiæ hujus doctores eos habuit, qui tunc temporis celebrium „ Monaſteriorum, περιφανῶν ἀσκητηρίων, rectores erant, Carte„ rium, & Diodorum; & in eadem ſancta diſciplina ſocios nactus eſt „ Theodorum & Maximum. Quid luculentius afferri poteſt ad probandum, hunc Sanctum Doctorem vitæ aſceticæ inſtitutum profeſſum fuiſſe?

Quod attinet ad S. Baſilium, ipſe met in Epiſtola ad Euſtathium Se-
Baſil. Epiſt. 79 „ baſtenum narrat, ſe cum totam ferme juventutem humanarum ſcien„ tiarum ſtudio impendiſſet, poſtea eaſdem faſtidiviſſe, & ad admi„ randam veritatis Evangelii lucem reſpexiſſe; quod cum legiſſet,

„ com-

„ commotum ſe fuiſſe verbis Jeſu Chriſti viam ad perfectionem mon-
„ ſtrantis in omnium rerum abdicatione: tunc optaſſe invenire aliquem
„ fratrem, qui hoc vitæ inſtitutnm elegerat, ut ſe illi ſociaret. Et
„ cum multos inveniſſet hujuſmodi in Alexandria, multos etiam per
„ reliquam Ægyptum, & alios in Palæſtina ac Meſopotamia, vidiſ-
„ ſe denique nonnullos etiam in patria. Ad illorum itaque imitatio-
„ nem humile indumentum, craſſam veſtem, cingulum, & de corio
„ impolito calceamenta ſe ſumpſiſſe. Et quamvis multi dogmata eo-
„ rum calumniarentur, affirmarentque ipſos non rectas de Deo habe-
„ re opiniones, ſe poſtea præſentem orthodoxe de fide illos ſentire
„ deprehendiſſe. Exinde vero Monaſterium virorum ædificavit in vicinia alterius puellarum, in quo ejus ſoror Macrina Præfectæ officio fungebatur. In eo porrò S. Baſilius circiter ſexenium magna cum auſteritate vixit. Ex prima ejus Epiſtola cognoſci poteſt vitæ ratio quæ in illo Monaſterio cuſtodiebatur: & in Epiſtola quoque decimanona illam eleganter deſcriptam habes. Socrates ait, illum, unaque S. Gregorium Nazianzenum vitam ſolitariam elegiſſe, τ͂ μονήρη βίον ἀσποίχεσναι. Ad Epiſcopatum aſſumptus aliud extruxit Monaſterium prope Cæſaream, Monachos vero ſemper in comitatu habebat. Quid quod ipſe fuit Monachorum in Ponto Pater: Socrates autem & Sozomenus teſtantur eum omnia in illa Provincia Monaſteria fundaſſe. Auctor ipſe fuit quoque Regularum quæ inibi ſervabantur; & ſua denique Monaſteria rexit ut Superior, teſte Sancto Gregorio Nazianzeno, τοῖς ἐκεῖσε φροντιστηρίοις ἐπιστατεῖ. Ecce igitur tibi Sanctus Baſilius, omnia relinquens, ac veſtem mutans ad Monachorum exemplum, qui plura erigit Monaſteria, quibus ipſe præeſt atque Regulam conſtituit; qui multos annos cum ſuis Monachis una vivit; & ad Epiſcopatum evectus prope ſuam Eccleſiam Monaſterium erigi jubet, ut Monachos ſecum jugiter habeat. Profectò validiora argumenta afferri non poſſunt, ut S. Baſilius Monachos fuiſſe probetur.

Socrat. l. 4. c. 26.

Gregor. Nazian. orat. 20.

S. Gregorius Nazianzenus, qui in eremum pariter ſeceſſerat, ubi vitam ſolitariam agebat, ab amico Baſilio permotus in Ponti ſolitudinem ſe contulit, ut ſe illi ſociaret. Uterque ibi plane angelicam vitam ducebat. „ Ibi cum amico gaudebat de concordia animorumque con-
„ junctione fratrum eorum, qui ab hoc ſapienti directore dii efficie-
„ bantur. Ibi una ad virtutis certamen contendebant, & ad eam in-
„ citationem, *quam ſcriptis legibus ac regulis obfirmarunt*. Ibi poſt vigi-
„ lias, poſt Pſalmodiam, ac ſtudium, diurnas operum vices & labo-
„ res agitabant, ligna comportantes, & lapidicinas exercentes, ar-
„ bores conſerentes, & irrigantes. Sed nihil aſperius genere vitæ illius Monaſterii, quod idem Sanctus Pater deſcribit Epiſtola octava, quæ tota legi meretur, ubi ait ſe cum Baſilio collaboraſſe in componendis Cœnobitarum & Solitariorum Conſtitutionibus, ἐν ὅροις γραπτοῖς καὶ κανόσιν ἐσφαλισάμεθα. Proinde qui ejus vitam conſcripſit jure mihi dixiſſe videtur, quod *Monachus eſſe potius elegerit quam mundanus*. Quo Socratis ſententia confirmatur, qui ait,

Gregor. Nazian. Epiſt. 9.

hunc

hunc & Sanctum Baſilium ſolitariam vitam amplexos fuiſſe.

pag. 40. *Sanctum Hieronymum Monachum extitiſſe negat* D. Abbas.

De Monachatu S. Hieronymi aperto ipſius-met Sancti Doctoris teſtimonio certi ſumus. Nam quod Paulos, Antonios, Hilariones in ſuorum Præceptorum loco agnoſcit; quod Eremum petit, ut ægritudine & lacrymis propria peccata luat; quod abdicatis omnibus vitæ commoditatibus in Monaſterio vitam agit cum fratribus; ſatis mihi hæc indicio eſſe videntur, eum verè Monachum fuiſſe. Novi equidem, Eraſmi quæ fuerit ſententia de Monachiſmo illius temporis, quem ab hodierno differre putavit; ſed id hoc loco non agitur. Saltem fatetur Eraſmus, S. Hieronymum eo ritu Monachum fuiſſe, quo cæteri illius ætatis Solitarii. Quod Bethleemi in Monaſterio vixerit, ipſe-met ſæpius affirmat: *Nobis in Monaſterio hoſpitalitas cordi eſt*, ait libr. 3. contra Rufinum. In prologo vero ſeptimi libri in Ezechielem: *Monaſterii ſolitudinem hoſpitum frequentia commutamus*. Denique Epiſtola 98. ad Sanctum Auguſtinum, *Sancti fratres qui nobiſcum in Monaſterio Domino ſervire feſtinant, oppido te ſalutant*. Sed quid multa? idem ipſe pluribus in locis Monachum ſe nuncupat, quemadmodum in Epiſtola 61. ad Paulinum Antiochiæ Epiſcopum, qui ſe invitum ordinaverat presbyterum; in qua leguntur hæc verba: *Si ſic presbyterum tribuis ut MONACHUM nobis non auferas, tu videris de judicio tuo; ſin autem ſub nomine presbyterii tollis mihi propter quod ſæculum dereliqui, ego habeo quod ſemper habui: nullum diſpendium in ordinatione paſſus es*. Denique in Epiſtola 62. ad Theophilum Patriarcham Alexandrinum ſcribit, ſe ab adoleſcentia in Monaſterii clauſum cellulis, *magis eſſe voluiſſe aliquid quam videri*. Ubi adeo clara & certa occurrunt teſtimonia, plane non intelligo qui dici poſſit, S. Hieronymum nunquam Monachum fuiſſe.

pag. 182. At *Deus adhibere eum voluit, ut ſuæ magnitudine doctrinæ Eccleſiam illuſtraret atque erudiret: & animadvertendum eſt, fuiſſe eum ſtudiis accuratiſſime exercitatum antequam ſæculo ſe abdicaret, legendæ vero Sacræ Scripturæ in Eremo dumtaxat incubuiſſe*.

Quid vero illi indicaverat, ſe a Deo ad Eccleſiam illuſtrandam dirigi, niſi ipſa vis ingenii quod ab eo acceperat ad id præſtandum idonei? Angelica revelatione id illi innotuiſſe compertum nobis non eſt. Vocationis ad ſtudium indicia nemo ab eo poſtulavit, ipſe nulla umquam exhibuit. Eccleſia, Pontifices, univerſi Chriſtifideles quod in eo eximium deprehenderant Doctorem, quem informare numquam ſibi propoſuerant, vehementer lætabantur. Eidem ipſi nulla alia ſtudiorum meta fuerat propoſita, quam ſcire aliquid, ſine ullo ſcientiam palam præferendi conſilio, quemadmodum in Epiſtola ad Theophilum paulo ante citata teſtatur: *Magis eſſe voluerim aliquid quam videri*. Fac eum ſtudiis accuratiſſime fuiſſe exercitatum antequam in eremum ſecederet. At hæc fuerant ſtudia humanarum literarum, & Philoſophiæ; Sacræ vero Scripturæ non item.

Cum aliqua ſaltem veri ſpecie dici nequit, legendis dumtaxat divinis Codicibus eum fuiſſe in ſolitudine occupatum; quippe novimus

ideo

Digitized by Google

ideo impetitum quod prophanos Auctores lectitaret, ſui defenſionem ſcripto ſuſcepiſſe, ut patet ex Epiſtola ad Magnum Romæ oratorem. Denique conſtat, nullum genus fuiſſe lectionum, cui operam non dederit, & omnes Scriptores qui ante ſe ſcripſerunt, teſte S. Auguſtino, ab eo fuiſſe perlectos.

De S. Gregorio *aliquam res patitur difficultatem*, ait D. Abbas, *& an Monachus fuerit, ambigitur.* pag. 40.

Id vero eſt nodum in ſcirpo quærere. Satis eſt legas ejus homiliam 12. & caput 38. quarti dialogorum libri, ubi ait ſe cum eſſet Monachus vidiſſe quemdam Maximum, Probi filium, de quo ibi pergit loqui: *quem ipſe jam MONACHUS Monachum vidi.* Poſt adeo clarum & apertum teſtimonium alia referre nihil attinet. Non poſſum tamen quin auctoritatem Bonifacii IV. ſubjungam, in quodam Romano Concilio ſex poſt S. Gregorii obitum annos habito, ajentis, *Apoſtolicæ ſedis compar Gregorius, Monaſtico habitu pollens:*

Numquid porro ſequitur, ſubdit D. Abbas, *ut S. Gregorius doctus evaſerit in Monachorum cœtu?* pag. 40.

Id vero maxime ſequitur, niſi quis in animum inducat, eum conſecutum fuiſſe ſcientiam Scripturarum, & Eccleſiaſticam doctrinam, qua ante Pontificatum abundabat, inter Urbanæ Præfecturæ negotia potius quam in Clauſtrorum ſilentio. Quod adeo parum veriſimile eſt, ut donec apertis & minime dubiis argumentis comprobetur, nulli umquam perſuaderi poſſit.

II.

Solitariis magnorum virorum exemplo utentibus ut ſuis ſtudiis patrocinentur, occurrit Reſponſionis Auctor alia ratione, quæ in hoc ſita eſt, quod illi viri ſupra communem hominum conditionem fuerint evecti, ſeu quod eorum ſtudium intra fines Sanctæ Scripturæ clauderetur; aut denique, ubi ab exemplorum gravitate & auctoritate minus ſe reprimi putat, fidenter ait, hos homines a Regulis deſciviſſe, & ad ſtudia a ſuo inſtituto aliena animum adjeciſſe.

Primo horum capitum fretus aſſerit, Sanctum Epiphanium *virum extitiſſe plane mirabilem, & ſupra communem conditionem evectum; ex cujus inductione nihil ſequitur.* Idem ait de S. Ephræm, de S. Iſidoro Damiatenſi, de S. Nilo Vetere, de Caſſiano, de S. Fulgentio, de S. Theodoro Studita, de S. Bernardo &c. *Exceptiones ſunt iſtæ, quæ non impediunt, quominus ſubſiſtant Regulæ.* pag. 178. pag. 43. & ſequ.

Ita ſane: exceptiones iſtæ atque aliæ innumeræ hujuſmodi oſtendunt, non omnes Solitarios doctrina pariter excelluiſſe, neque omnes pari cum iſtis ingenio præditos fuiſſe; at neutiquam probant, eos doctos evaſiſſe aliorum ſtudiorum præſidio præter ea quæ ceteris quoque erant permiſſa. Regulas jam expendimus alibi, quarum nulla ſtudiorum uſum Monachis interdicit, quædam etiam ſtudia præſcribunt aut permittunt.

Si hæc

Digitized by Google

Si hæc exempla cum Regulis pugnaſſent, ſancti illi viri, aut certe eorum aliqui hoc vitium pervidiſſent. De ſua-met ipſorum agendi ratione utpote Regulis contraria cæpiſſent ſibi diffidere, ideoque antevertiſſent proſpicere fratribus & lectoribus, ne ſic poſtmodum extra ordinem agerent. Prætendiſſent in ſui excuſationem Superiorum juſſa, aut Epiſcoporum & Eccleſiæ miſſionem, qua fuerant ad ſtudia contra inſtituti leges compulſi. Denique non defuiſſet aliquis ſtudiorum accuſator, & neceſſe illis fuiſſet ſcripto ſeſe defendere. Verum aliter eveniſſe multo intelligimus. Haud crediderunt id ſibi negotii dari, ſtudiorum ſuorum ut ratio conſtaret, neque id quiſquam ab illis poſtulavit. Econtra omnium laudes ſibi conciliarunt, quoties aliquid ab illis editum ingenii monumentum, unde commune pietatis lucrum manavit. Quid igitur eſt cur eorum veſtigiis nobis inſiſtendum non ſit?

Extraordinaria quadam, inquis, vocatione ad ſtudia miſſi ſunt. Verum hanc vocationem intellexerunt-ne illi eſſe extraordinariam? Quod ſi intellexerunt, indicandum erat fratribus, ne forte in illorum offenſionem incurrerent, aut anſam illis ſuo exemplo præberent ineundi viam a proprio inſtituto alienam. Proinde unuſquiſque illorum, aut certe aliquis ita loqui debuiſſet. Cavete, fratres, ne quis veſtrum meo agat exemplo. Ego quidem extraordinaria vocatione ad ſtudia miſſus ſum. Abſit ut Dogmaticos tractatus legatis, quos ego lego; multo magis, ut elucubretis. Hoc ad illos tantummodo pertinet, quos Deus ad hæc ſtudia ſupernaturali vocatione dirigit. Ne eos quidem libros legendum vobis eſt hujus argumenti, quos vobis nuncupo. Cum doceo, nequaquam a vobis audiendus ſum. Ut doceam vos, miſſionem habeo & vocationem: vos vero non item, ut quæ vobis inſcribo percurratis, aut quæ vos doceo intelligatis. Hac quantumlibet inepta oratione compellare debuiſſent fratres ſuos S. Epiphanius, Venerabilis Beda, Paſcaſius Radbertus, B. Lanfrancus, S. Anſelmus. Verum longe abfuit, ut ſic loquerentur: imo plane aliter; Legite, ajebant, Dogmaticos libros, quos ad vos mitto, quoſque hoc animo conſcripſi, ut vobis eruditioni eſſent. Expedit, ut hæc a vobis argumenta percipiantur; laude vero digni eſtis, quod harum rerum explanationem poſtulatis. Accipite, legite, ſtudete. Hæc aut his conſentanea dixere S. Epiphanius, S. Maximus Abbas, S. Fulgentius, Venerabilis Beda, S. Paſcaſius Radbertus, S. Anſelmus, Sanctus etiam Bernardus, cum ſuos dogmaticos libros ad Fratres aut alios Monachos mitterent. Si quæ igitur fuit ſupernaturalis atque extraordinaria vocatio, ipſis quidem non innotuit. Nempe vacabant ſtudiis, libros conſcribebant; quod via non ordinaria divinitus vocarentur, ignari. Ergo ex æquo & bono agebant: quemadmodum & nos optima fide agere nobis videmur, imo potiori, ac illi, ratione; quandoquidem Conciliorum auctoritas, decreta Pontificum, & noſtrarum juſſa Conſtitutionum cum nobis faciunt, quibus illi carnere. Hæ vero Conſtitutiones in alterius Regulæ loco nobis eſſe debent, utpote quibus nos ipſos ſubdidimus, cum vota in Religione nuncuparemus.

Hinc

Digitized by Google

Hinc patet, ſubtili huic & longe accerſitæ ſpeculationi circa ſupernaturales atque extraordinarias vocationes, multa ineſſe nova & ſingularia, quibus ſuſpecta redditur. Nam 1. valde mirum eſt, quod ea nulli præter Auctorem Reſponſionis, in mentem venerit, quodque Deus unicum fundamentum vocationis tot illuſtrium virorum in Orientis atque Occidentis Eccleſiis illi ſoli patefecerit.

2. Cum omnis extraordinaria ac ſupernaturalis vocatio a regula excurrat, adeoque parum tuta ſit, ac ſuſpecta; admirationi locus eſt, quod nemo ex his viris ſupra communem conditionem evectis, nemo ſanctitatis laude conſpicuus, nullus Abbas, nullus Scriptor Eccleſiaſticus id ſibi ſumpſerit, ut a Solitariis periculum amoliretur, quod ab hujuſmodi vocationum imitatione illis creari poterat; quod nemo denique fuerit, a quo admonerentur, omnes illos egregios viros quoddam eſſe offendiculum iis, quibus cupido inceſſeret eorum veſtigia ſequi: Verbi divini promulgationem, Theologiæ Dogmaticæ ſtudium, Eccleſiæ defenſionem, iſthæc ſingula ſanctis illis viris propter extraordinariam vocationem permiſſa, reliquis eſſe interdicta a propria cujuſque Regula. Æquos lectores appello, valde ne probabile ſit, Deum ad id temporis, uſque ad D. Abbatem, adeo gravem admonitionem diſtuliſſe, qua communiter & in univerſum omnibus Solitariis opus eſt. Sane nulla ſubeſt ratio, cur id nobis perſuadeatur; e contra magna veri ſpecies in hoc ſita eſt, quod omnibus ſemper viſum ſit, Monachos ad has ſcientias diſcendas, ad hæc onera ſuſtinenda idoneos, & Superiorum voluntate directos, licite poſſe & cum merito iis occupari. Age vero cetera perſequamur.

Palladii exemplum (inquit Reſponſionis Auctor) *minime dignum erat ut citaretur. Nempe fuit Palladius fluctuantis animi Monachus, qui locum & ſtationem crebro mutabat. Modi haud multum huic diſſimilis fuit Evagrius Ponti.* *pag. 179.*

Pronum eſt ita male habere eos, quorum vel exemplo vel auctoritate premimur. At quidni pariter actum eſt cum Caſſiano, cujus diſcurſationes & itinera eum Palladio æquare videbantur? Ambo ſuorum itinerum eaſdem habuere cauſas, nempe ut optimorum ſui temporis Monachorum exempla cognoſcerent, & memoriæ traderent. S. Baſilius & S. Hieronymus eamdem ob cauſam Ægyptum peragrarunt. Verum auctoritas, quæ S. Benedicti ac proborum omnium teſtimonio Caſſiano aſſeritur, in cauſa fuit cur Caſſianus cum Palladio minime cenſeretur. Illud quidem accedit, quod Palladio ſit ceteroquin anteponendus propter doctrinæ ſoliditatem, ſed ex eo quod iſte pietatis, ut ita dicam, itinera ſuſceperit, minime ſequitur ut reiiciendus ſit.

Quod ad Evagrium ſpectat, fuit quidem ille Origeniſta æque ac Palladius, tunc temporis, quando in hos errores condemnationis ſuffragium nondum latum fuerat; quæſtiones vero Theologicæ, quas in ſuo *Monaſtico*, ut refert Socrates, diſputavit, ſatis oſtendunt hoc ſtudii genus apud Monachos iis temporibus uſurpatum. „ In hoc libro, te- *Socrat. l. 3. c. 7.*
„ ſte eodem Socrate, ſcriptum ab illo egregie fuerat, de Deo non

„ niſi admodum caute & circumſpecte diſputandum eſſe; nec ſupre-
„ mum illud ens, cujus infinitè ſimplex eſt natura, a nullo accurate
„ definiri poſſe.

Id. l. 4. c. 23. Sozom. l. 6. c. 30. Ea vero fuit illius virtus ac pietas, ut cum ſe ad Epiſcopatum a Theophilo Patriarcha Alexandrino evectum iri perſenſiſſet, ſtatim fugæ ſe dederit; cujus facti occaſione Sanctus Abbas Ammonius, qui ſibi aurem præciderat ut hanc effugeret dignitatem, aliquem ei ſcrupulum injecit. Quæ res palam facit, in qua apud illum exiſtimatione virtutis Evagrius eſſet.

Idem Socrates laudat Evagrium, quod duos libros carminum compoſuerat, quorum alter ad Solitarios inſcribebatur, alter ad virginem quamdam, quoſque hic Auctor non poſſe ait niſi cum admiratione legi. Laudatur quoque Gregorius Patriarcha Antiochenus, qui in Monachorum numero fuerat, ut egregiorum carminum Scriptor.

pag. 114. Marcus etiam S. Benedicti diſcipulus ſuis carminibus notus & laude dignus extitit. *Quam parum decet hæc laus Monachum!* clamat D. Abbas. At S. Gregorius Nazianzenus, S. Paulinus, qui ſolitarii extiterant, & maximorum pontificum loco habebantur, carmina ſcripſere. Decet ne hæc laus Epiſcopos? Si eos excuſat carminis argumentum; S. Benedicti geſta, quæ ejus diſcipulus metricè deſcripſit, ſatis eum ab omni culpa liberant; & ſi quo caſu liceat Monacho verſus ſcribere, *pag. 339.* ut aliquando evenire poſſe annuit D. Abbas; tunc vero maxime cum ſcribenda eſt Patris & Præceptoris vita, quod contigit Marco.

pag. 30. De S. Bernardo expeditius fuiſſet, ut antea, dicere, *numquam illum ad ſtudia animum adjeciſſe*, quam extraordinarium agendi curſum comminiſci pro defenſione ſtudiorum illius, & ne quis ejus exemplo tueri poſſit ſtudia Monachorum. Sed Reſponſionis Auctor in priori hac ſen-*pag. 43.* tentia non diu perſtitit, ac paulo poſt fatetur, *quod ſi S. Bernardus ad Sacrarum literarum intelligentiam, S. Ambroſii, S. Auguſtini & S. Gregorii ſtudium addidit, id totum fuit circa res quæ ad ejus ſtatum & profeſſionem pertinebant.*

Ergo vere adhuc dicimus, nihil extraordinarium aut reliquis non permiſſum in ejus ſtudiis fuiſſe. Quid ergo ad extraordinarias vias confugimus? Sed in hoc veritatis eſt ſumma, quod legentibus ejus libros de Conſideratione & Gratia, atque ejus ſermones Dogmaticos in Cantica omnino perſuadetur, S. Auguſtini & aliorum Patrum dogmatica ſcripta ab eo accuratè perlecta fuiſſe, non minus ac regulas ſeu canones Eccleſiaſticos circa diſciplinam. Nam ubi magis Theologici Dogmatis quam in ejus libro de Gratia reperias? aut in iis quæ ſcripſit adverſus quaternitatem Gilberti Poretani, de unitate & ſimplicitate Dei in ſermonibus ſupra Cantica?

Nullus erit dicendi modus, ſi immorari velimus ſingulis exceptionibus viæ extraordinariæ, atque aliis hujuſmodi, quas Reſponſionis Auctor viris magni inter Solitarios nominis accommodat, qui doctrina & ſtudio præ ceteris excelluerunt. Sat mihi erit tria majoris momenti exempla diſcutere, nimirum S. Fulgentii, S. Joannis Damaſceni, & S. Nili Junioris.

S. Ful-

Digitized by Google

S. Fulgentii exemplum quod toties ob oculos ponitur propter ejus doctrinam atque eloquentiam, nihil probat. Vir etenim fuit divinitus electus, ut unus ex celeberrimis Eccleſiæ Paſtoribus eſſet. Pag. 48.

Jure merito ſæpius ob oculos ponitur adeo egregium exemplar, S. Fulgentius, qui ſuos Alumnos eo ritu inſtituebat, quo ipſe fuerat inſtitutus; apud quem inferioris longe exiſtimationis erant Monachi, qui operibus tantum manualibus vacabant, ac ii, qui corporearum virium ad illa exercenda expertes, ad ſtudia lectioneſque ſedulo incumbebant; qui ſimiliter Clericis Monachos educabat, atque exercebat iiſdem lectionibus & ſtudiis, *communis menſa, communis lectio;* qui denique tunc præſertim jucundabatur, cum in diſputationibus ſibi ab aliquo Monachorum ſuorum dubia difficilia ad Sacram Scripturam proponerentur. Hæc omnia refert illius vitæ ſcriptor.

Addit D. Abbas, *nullum dubium eſſe, quin ei Deus talenta impertierit illius vocationi conſentanea; quin hic vir ſanctitate longe maximus ea excoluerit & auxerit aſſidua S. Scripturæ lectione; & ipſi denique ejus Superiores ſatius eſſe duxerint illum ex quadam diſpenſatione, quæ ad alios non extenditur, ſtudiis Eccleſiaſticis admovere, & a communi lege eximere. Vos ipſi ſcitis* (pergit D. Abbas ſuos alloquens Monachos) *nos quoque ita egiſſe cum quibuſdam fratribus, neque vero ſic contra intimum animi ſenſum agere putavimus.*

Meam igitur ſententiam oppugnans operam abutitur; nam quid ego aliud unquam ſtatui, niſi quod liceat Superioribus, quoties ad rem eſſe putant, Monachos pro cujuſque talentis ad ſtudia dirigere, eoſque ab aliis muneribus *eximere?* Quod ſi id D. Abbas *intimo animi ſui ſenſu* profitetur, lis eſt dirempta, ſaltem quoad rei ſummam. Jam non erit quæſtio niſi de ſtudii materia in hoc caſu: qua de re poſtea diſputabimus agendo de ſtudiis extraordinariis. Ceterum quamvis S. Fulgentius præcipuam ſtudiorum ſuorum partem Sacræ Scripturæ dicaverit, facile ex ejus ſcriptis intelligitur, non fuiſſe ab eo pretermiſſas alius generis lectiones, quæ ad Scripturam rectius intelligendam adjumento eſſe poterant; & cum S. Auguſtini diſcipulus ſemper fuerit habitus atque appellatus, quam appellationem jure merito nactus eſt; id ſatis oſtendit, quod in hujus præſtantiſſimi magiſtri doctrina fuerit apprime verſatus.

S. Joannes Damaſcenus omnem ſcientiam, qua plenus fuiſſe dicitur, a Coſmo diſcere potuit, dum adhuc in ſæculo viveret: at Monaſterium ingreſſus, cujuſdam ſolitarii diſciplinæ traditus fuit, qui ei munivit viam ad amandum Deum ac timendum, indiditque omnium ſcientiarum, quas in ſæculo didicerat, contemptum, & oblivionem. Pag. 120.

Ferat æquo animo D. Abbas noſtram circa hæc facta animadverſionem; nos ea putamus hiſtoricæ veritati non uſquequaque congruere. Conſtat enim, omnia hujus Sancti opera, quorum nonnulla de rebus philoſophicis, pleraque de Theologicis agunt, ab eo fuiſſe in Monaſterio compoſita. Nec ſatis ei fuit illa compoſuiſſe; ſed recognoſcere libuit, atque ea accuratius limare atque expolire. *Libros etiam quos*

Vita S. Joann. Damaſc. prius elaborarat, contractos recognoſcebat, exornans, expoliens, caſtigans accuratiſſime dictionem, ſententiam, numerum, conſtructionem &c. Adeo multum abeſt, ut omnes ſciencias, quas in ſæculo acquiſiverat, in Monaſterio oblivisceretur.

pag. 178. *Quod S. Nilus Gregorii Nazianzeni operum lectioni intentus fuerit, mirum videri non debet*, ait D. Abbas; *quid enim magis Monachum decet quam ſcripta perlegere Eccleſiaſtici Doctoris, qui Monaſticæ profeſſionis amore flagravit, ac ubique de ea præclare & cum laude loquitur.*

Optime: at S. Nilus de S. Nazianzeni ſcriptis diſputationes habebat, atque ea memoriæ mandabat. Non ita multa in hoc Sancto Patre ad Aſcetarum inſtitutum pertinentia deprehendimus; vix enim alia tractat quam Theologica, aut de rebus Eccleſiaſticis, atque adeo ſublimi & grandi ſtylo omnia; de rebus Monaſticis obiter tantum. Illius opera magnam partem carmine ſcripta ſunt, quorum aliqua ad Monachos inſcribuntur: unde colligitur, Sanctiſſimos Solitarios, qualis profecto erat S. Nilus, indiſcriminatim legiſſe ſcripta Patrum, pro ſuo quemque placito & captu, minime ſecernentes moralia, & Scripturæ explanationes a ceteris illorum ſcriptis. Quod ſi licuit S. Nilo in S. Gregorii Nazianzeni lectione verſari, eo quod iſte Sanctus Pater *Monaſticæ profeſſionis amore flagravit, atque de ea præclare & cum laude locutus eſt*; quem Eccleſiæ Patrem poſthac reperias, in cujus lectione verſari non liceat; cum omnes in illius ſenſa convenerint, & plerique hujus profeſſionis extiterint?

Cohibere me non poſſum, quin unum hic verbum addam de S. Iſidoro Damiatenſi, quem par eſt credere, ait D. Abbas, *divini ſpiritus impulſu egiſſe, atque ejus affectionibus obſecundaſſe*, non minus ac S. Nilum, Caſſianum &c. tunc quum ſua ſcripta elucubrarunt.

pag. 43. Dicendum ergo pariter eſt, quod ille juxta *divini ſpiritus impulſum* prophanas hiſtorias tam ſæpe citaverit, ac illam præſertim Xenophontis; nec non juxta ejuſdem *affectiones* omnes illos auctores legerit, quorum ſententiæ in ejus Epiſtolis referuntur, & quorum Elenchus in fronte illius Operum extat. Sed rectius dixerimus, ſingulas hujuſmodi extraordinarias vias, quas comminiſcitur Dominus Abbas, perquam communes eſſe agendi rationes; cum nihil magis rationi conſentaneum ſit, quam rebus utilibus ſtudere juxta diſpoſitionum & aptitudinis cujuſque menſuram, juxta Superioris, cui quis ſubditur, præſcriptum, ac juxta materiæ, de qua agitur, exigentiam.

III. Ter-

Digitized by Google

I I I.

TErtio loco Reſponſionis Auctor ſibi videtur luculenter oſtendere, occaſione ſtudiorum & ſcientiarum, quæ ſæculis octavo, nono, & decimo viguerunt, extremas perturbationes & perverſiones in noſtra Monaſteria irrepſiſſe. Atque *ut hæc veritas certa eſſe videatur, & nulla relinquatur ambigendi ratio; exhibet magnorum virorum Elenchum*, qui illis ſæculis apud nos floruere; ſtatuitque eorum memoria *malum ad extrema proceſſiſſe*, & iniquitatis, *ut ita dicamus, conſummationem ac plenitudinem in Sanctuario viſam eſſe*. Et ut oſtendat, *quomodo in tantam perniciem Monachos ſtudia projecerint*; id ex eo factum ait, quod *qui inter illos magnum literarum nomen adepti fuerant, ac præ ceteris excellebant, unice earum ſtudio intenti, a ſuæ profeſſionis officiis ſeſe immunes reddiderunt, & facile a communi via deſciverunt. Ad hæc ſtudia Superiores ipſi animum adiicientes, ac tempus in illis inſumentes, inutiles facti ſunt iis quibus præerant*, ſubtracto *exempli, ſollicitudinis, orationis & inſtructionis* præſidio, quo ſubditos juvare & ſuſtinere debuerant. Pag. 125. pag. 128.

Inſolens procul dubio ac novum forte videbitur hoc ſyſtema, neque obiter, ſed accurate refellendum. Nos tamen hic contenti erimus præcipuas auctoris hallucinationes breviter perſequi atque indicare.

Ut ejus ratiocinatio conſtare poſſit; neceſſe eſt 1. ut docti illi Monachi, & magni viri, quorum ſcientia per tria illa ſæcula perniciem attulit Monaſteriis, majori numero tunc fuerint, quam umquam alias, & literæ tunc maxime viguerint; cum plane abſonum ſit, ceteris paribus, has perturbationes literatis viris hoc potius quam alio tempore aſcribere. 2. Ut in iiſdem Monaſteriis, in quibus præſtantes illi viri vixerunt, aut quæ illi moderati ſunt, hæc diſciplinæ remiſſio acciderit. Nam in aliis Monaſteriis, quæ cum illis ita parum conjuncta fuerint, ut eorum corruptela ad ſe pervadere non potuerit, ſi eaſdem diſciplinæ relaxationes fuiſſe dixeris, nihil ad rem. 3. Ut omnino certum & exploratum ſit, doctis illis viris, potius quam aliis domeſticis aut externis cauſis, puta belli aut egeſtatis, eorum Cœnobiorum labem eſſe tribuendam. 4. Ut argumenta que ad hoc probandum afferuntur, ſint omnino manifeſta, certa & determinata; non vero meræ conjecturæ parum firmis rationibus nixæ, vagæ & generales, aut teſtimonio fultæ quorumdam auctorum, quorum nulla eſt auctoritas, aut quorum ſententiæ perperam intelliguntur.

His poſitis, haud vereor dicere, nihil minus defendi poſſe, quam hoc ſyſtema. Nam primò magnus ille numerus doctorum virorum octavi ſæculi ad nihilum ferme recidit, hoc eſt ad ſeptem: ex quibus S. Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis, cum quo ita agitur honorifice, ut hujus corruptionis particeps ſtatuatur, non vivebat octavo ſæculo, ſed undecimo & duodecimo. Præterea S. Marcellinus auctor eſt

eſt ſuppoſititius, aut ſaltem ex S. Suidberti vita, quam ſcripſit, in crimen vocari non poteſt. De Antonio Meliſſa ignoratur quo tempore vixerit; duo vero ejus libri, qui extant in Bibliotheca Patrum, aliud nihil ſunt quam loci communes ex Patribus collecti. Verum quod hi libri ab hæreticis primum editi ſint, Bellarminus & alii cenſent caute legendos, ut ſuſpectos. Ita ut magnus ille numerus eruditorum octavi ſæculi ad quinque redeat; nimirum ad Venerabilem Bedam, ad Jonam, ad S. Joannem Damaſcenum, ad Coſmum ejus præceptorem, & ad Paulum Diaconum Montis Caſſini. Hi ſunt, qui ſuamet ipſorum ſcientia ſigna extulerunt remiſſioris diſciplinæ, Beda in duobus Monaſteriis a S. Benedicto Biſcopo fundatis & rectis, cujus ſucceſſores, ſicut & Beda, ſancti viri fuerunt: Jonas in Abbatia Fontanellæ ſub S. Wandregiſillo, & ſub S. Ansberto, quamquam illius crimen ſit, hujus poſtremi vitam ſcripſiſſe: S. Joannes Damaſcenus in Monaſterio
pag. 120. S. Sabbæ, in quo, ut ait D. Abbas, *tradita illi fuere amoris & timoris Dei præcepta, ac inditus ſcientiarum omnium contemptus.* Denique Paulus Diaconus in Monte Caſino ſtatim ab ejus reparatione, quò nihilominus Germaniæ Apoſtoli quæſitum ibant ſanctitatem, & unde Carolus Magnus conſilium & normam mutuatus eſt in reſtaurandis Galliarum Monaſteriis. Quid proponi poterat magis inveriſimile? Expendamus quæſo ſæculum nonum.

In hoc ſæculum congeruntur ab Auctore Reſponſionis quinque & quadraginta illuſtres viri; quorum tamen pars aliqua minuenda eſt, qui nunquam Monachi fuere, ut Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus, & Freculphus Lexovienſis; vel qui inepte geminantur, diſtinguendo v. g. Wandelbertum Prumienſem ab alio S. Galli, qui numquam extitit: vel qui tandem ad aliud ſæculum ſpectant, ut S. Odo, Richerius, Aimoinus Floriacenſis. Reliqui ſunt igitur ad ſummum triginta novem, quorum aliqui fuere Abbates, vel Monachi Cœnobii Fuldenſis, Hirsfeldienſis, Sangallenſis, Corbejenſis, Ferrarienſis, Prumienſis, Epternacenſis, Hirſaugienſis, &c.

Porro compertum eſt, Fuldenſem Abbatiam in magno tunc viguiſſe diſciplinæ fervore, ſi demas tempus, quo recta fuit ab Abbate Ratgario, qui præ nimia aſperitate & inflexibilitate in hoc Aſceterio turbas excitavit, ita ut Monachis ad Carolum Magnum eundum fuerit, compellendi cauſa hunc Abbatem ad remittendam immodicam duritiem, quæ eo uſque proceſſerat, ut ſævas illis & immanes pœnitentias indiceret, ut dies feſtos & miſſas privatas illis ſubtraheret, & aliis innumeris modis ac laboribus intolerabilibus Religioſos opprimeret. S. Galli quoque Abbatia rectiſſime ordinata tunc temporis erat, ut patet ex ejus Chronicis, ex Sanctis viris qui inibi vixerunt, nec non ex egregiis ordinationibus illic conſtitutis, quemadmodum etiam in Abbatia Richenawienſi, cui tunc præerat Walafridus Strabo cum aliis quamplurimis Monachis, non minus virtute & morum honeſtate quam doctrina conſpicuis. Abbatia Corbejenſis numquam alias tot Sanctos viros edidit, quos inter S. Adelhardum, S. Paſchaſium Radbertum

Abba-

Abbates, S. Anſcarium Regnorum Septemtrionalium Apoſtolum, S. Hildemanum, qui e Monacho Epiſcopus Bellovacenſis renunciatus eſt &c. Secundum Pariſienſe Concilium, jam a me citatum, per ſe ſatis eorum continet Apologiam. Ferrarienſe Cœnobium haud minus tunc inclareſcebat ſub S. Aldrico, & venerabili Lupo, ejus Abbatibus, quorum alter S. Adonem Eccleſiæ Viennenſi tradidit. Hirſaugium eo ſæculo in ſuis erat primordiis, atque in primitivo regularis diſciplinæ vigore, ſub regimine honeſtiſſimi, & doctiſſimi Abbatis Liutberti, atque illius ſucceſſoris. Quamquam ſtudia in hac Abbatia ſemper floruerint, id non obfuit, quominus nonagintaquinque Monaſteria diverſis temporibus fundaverit, & reformaverit, ut colligitur ex eadem hiſtoria, quæ nobis obiicitur, qua de re mox erit ſermo. Prumii fuere eo ſæculo Abbates, Vener. Marcovardus, Egilo, ſub quo Lotharius Imperator depoſitis regiis inſignibus, rudi Monaſtica veſte ſe induit; atque S. Ansbaldus. Sub Marcovardo floruit Wandelbertus cujuſdam Martyrologii Auctor.

Quodnam de tot piiſſimis Abbatibus & Monachis judicium feremus? Si Reſponſionis principia ſequamur, duorum alterum neceſſe eſt ſtatuere, vel quod ſancti & pii nequaquam fuerint, vel quod tales evaſerint *dum interea a ſuæ profeſſionis officiis ſeſe immunes redderent, & omne tempus comparandis ſcientiis inſumerent, ac inutiles denique fierent quibus præeſſent*. At quo fundamento iſta nituntur? Nempe quorumdam ſcriptorum ſententiis, quæ nihil certi exhibent, & ubi de ſtudiis ne verbum quidem. Trithemii teſtimonium ex ejus hiſtoria Hirſaugienſi recenter edita deprompcum, quidvis magis probat, quam quod intenditur. Nam quamvis ad annum 839. loqui auſpicetur de Noſtri Ordinis relaxatione, intelligendus tamen eſt de illius ævo, *noſtris temporibus*; & mirari ſubit, quod D. Abbas nono ſæculo tribuat quæ de ſuo ſcribit Trithemius, qui vergente ſæculo decimoquinto uſque ad initia decimiſexti vixit. pag. 128. pag. 124.

Sed quod adhuc mirabilius videri debet, in eo ipſo loco, quo utitur D Abbas ad probandum Trithemii auctoritate, noſtri Ordinis ruinas nono Eccleſiæ ſæculo ab amore & cultu ſcientiarum ortum habuiſſe; Trithemius econtra oſtendit, propter ſtudiorum præſidium virtutis & ſanctitatis exempla tunc temporis in hoc ordine enituiſſe. Memorata enim conſuetudine Fuldenſis Cœnobii, ubi duodecim præſtantiores Monachi adhibebantur ut eſſent in hac Academia divinarum & humanarum ſcientiarum Doctores; nominatiſque duodecim aliis Monaſteriis, in quibus eadem conſuetudo obtinebat, poſtremò de Hirſaugienſi loquens, *in eo*, ait, *per multos annos & magnæ ſanctitatis religio viguit, & ſtudium ſcripturarum Monachis in uſu continuo fuit*. Ad alia deinceps Monaſteria ſermone progreſſus, antiquis monumentis conſtare ait, quod ſtudium literarum ibi diu multumque floruerit, atque ipſius ævo, nimirum ſæculo 15. nullum ibi illius ſtudii remanſiſſe veſtigium. *In omnibus Monaſteriis prænominatis veterum lectione conſtat nobis manifeſte, per multos annos ſtudium maximum viguiſſe ſcripturarum, cujus hodie, quantum ad imitationem pertinet, in nullo penitus remanſit veſtigium*.

Quid

Quid inde evenit? Omnimoda pene ruina ſequuta eſt Ordinis S. Benedicti in tota Europa, ut colligit Trithemius his verbis. *Propterea Ordo Sancti Patris noſtri Benedicti, per totam Europam ubique quondam potens, glorioſus, & venerabilis, ad nihilum pæne redactus eſt; & quantum in numero Cœnobiorum, & merito perſonarum olim creviſſe legitur, tantum in utroque NOSTRIS TEMPORIBUS pæne quotidie invenitur deficere; & amiſſis turpiter Cœnobiis, jam cunctis Ordinibus eſſe miſerabilior.* En illud illuſtre Trithemii teſtimonium, quo utitur D. Abbas, ut probet Ordinis everſionem nono ſæculo ab uſu ſtudiorum derivaſſe; quamquam certiſſime conſtet, Trithemium hoc loco de temporibus ſuis verba facere, & ſoli Monachorum inſcitiæ eas labes referre, quas D. Abbas ſcientiæ tribuit. Æquos Lectores appello; judicent, ſit-ne penitus manifeſtum, hanc eſſe Trithemii ſententiam. Ac ne aliqua dubitandi cauſa remaneat, ſatis eſt verba ſubjungere, quæ proxime ſequuntur: *Duo ſiquidem Ordinem noſtrum quondam inſignem reddiderunt, vitæ ſcilicet meritum, & eruditio Scripturarum: quorum a Monachis dum alterum negligitur, ad alterum raro pervenitur.* Huc denique redit adeo generalis atrociſque cenſuræ fundamentum, qua ſanctiſſimi noni ſæculi in noſtro Ordine Monachi, ſolo ſcientiæ ac ſtudiorum nomine, impetuntur.

Neque ea mitior eſt erga duos ex maximis illius temporis in Oriente viris, Theodorum Studitam, & B. Theophanem. S. Theodorus ſanctitate pariter ac doctrina celeberrimus, extrema mala pro fide pertulit, exilium, vincula, famem, ſolo Euchariſtiæ cibo diu vitam ſuſtinens. Inter adverſos tamen fortunæ caſus incenſum ſtudium continendi in fide & regulari diſciplina ſibi ſubditos Monachos numquam remiſit, ut apparet ex Epiſtolis, quas in exilio ad illos ſcripſit, atque ex ejus plane mirabili Teſtamento, in quo illos enixe hortatur ad ſervandam in omnibus S. Baſilii Regulam, *plene & non dimidiata ex parte, ut ſolent quidam.* Huic ſane aptari non poteſt eorum Superiorum forma, *qui omne tempus in ſtudiis inſumentes, inutiles iis quibus præerant reddebantur.*

Reſp.

B. Theophanes ex mutuo conſenſu ab uxore divertit, ut Monaſticum inſtitutum amplecteretur; numquam vero Monachorum præfectum permiſit ſe renunciari, tranſcribendis Codicibus ſibi victum quærens. Hi ſunt, quibus Reſponſionis Auctor Monaſteriorum in Oriente perverſiones aſcribendas eſſe ſtatuit.

Idem erit de ſanctiſſimis decimi ſæculi viris pronunciandum. Sanctum Odonem, S. Majolum, S. Odilonem, licet laudibus a S. Bernardo cumulatos & in Sanctorum loco habitos cuncta labefactaſſe & ſubvertiſſe putandum erit, eo quod ſtudia literarum amaverint. Jam non ut Reformatores Cluniacenſis Monaſterii, ſed ut relaxationis auctores illos excipiemus, quippe qui unicum corruptelæ principium, hoc eſt ſtudia invexerunt. Huic numero accenſendus erit S. Joannes Abbas Gorzienſis, qui non minus ſtudia quam morum honeſtatem & regularem diſciplinam ferventi zelo proſecutus eſt; ita ut cum eſſet Monaſterii Cellerarius ſive Œconomus pleroſque Patrum Latinorum lege-

legerit, & ejus attracti regularitate ab omnibus Europæ provinciis alumni ad eum confluxerint. Haud ſecus agemus cum S. Udalrico Epiſcopo Auguſtano, cum S. Wolfango Ratiſponenſi, & cum aliis multis, qui non minus in literas & ſtudia propenſi, quam recti Monaſteriorum Ordinis aſſertores fuerunt. Denique ne ipſi quidem Ven. Durando Caſtrenſi Abbati parcendum erit, qui medio decimo ſæculo egregiam navavit operam ſtrenue adortus pernicioſam doctrinam, quam quidam Walfredus in Occitania ſparſerat adverſus animæ immortalitatem, cujus doctrinæ curſum eloquentiæ vi ſecuit, *gladio linguæ*. Vides jam, quam enormes conſequentiæ ex nimio zelo expellendi a Monaſteriis doctrinæ & ſcientiæ cultum ducantur.

I V.

Neque id ſatis eſt: traducendi præterea ſunt tamquam inepti & ridiculi plures ex Scriptoribus noſtri Ordinis, & nonnulla illorum ſcripta pro *inutilibus nugis* exhibenda. Fateor quidem, ſi eorum ſcripta, quæ de Muſica, de Arithmetica, de Geometria, de Aſtrolabio, atque aliis bujuſmodi tractant, ſeorſim & nullo reſpectu ad cauſas, quibus ad ea exaranda permoti ſunt, conſideremus; dignos fortaſſe videri eos poſſe, ut ideo parvi æſtimentur. Sed cum ea in gratiam externæ juventutis, quorum educatio & inſtitutio ipſis fuerat demandata, compoſuerint; non eſt cur in deridiculo omnino propter hoc habeantur; præſertim ſi alia eorum ſtudio compoſita noverimus, propter quæ commendari magnopere debeant. *pag. 115. & ſeq.*

Nunquid enim, ex gr., hominis otioſi & nihil agentis notam inuremus Walafrido Straboni, quòd de Arithmetica & de dimenſionibus libros conſcripſit; quamvis de rebus Eccleſiaſticis utiles & accuratos tractatus ceteroquin compoſuerit? Jure-ne Remigium Antiſiodorenſem contemnemus, quod ſcripſerit Commentaria in Donatum, & Priſcianum, quos juvenibus prælegebat, poſtquam adeo egregia in Epiſtolas S. Pauli & in Miſſæ Canonem elucubravit? Æquius ne fuerit deſpicatui habere S. Notkerum, quod librum de muſica & de ſymphonia edideṙit; reliqua autem ejus opera, pia atque utilia, præſertim ejus Martyrologium, nullo loco ducere? Quare deridebimus S. Abbonem Floriacenſem Abbatem, virum ſuæ ætatis doctiſſimum, quod librum ſcripſerit de calculo Victorii, tamquam Arithmeticæ ſpecioſæ opus; quam tunc temporis omnibus Eccleſiaſticis neceſſariam alioqui putabant pro notitia temporis Paſchæ; perinde ac ſi alia hic Auctor ſcripta eruditorum calculo commendata neutiquam evulgaverit, cujuſmodi ſunt ejus Apologeticum, Collectio Canonum, illius denique Epiſtolæ, quas Dominus Pelletier, publici ſtatus Adminiſter, dignas duxit, ut Pithœanorum Collectaneis infererentur.

Si hac judicii norma utaris, nullum propemodum vel laudatiſſimum Scriptorem invenies, quem deridere non poſſis. Fac, verbi gratia, ut

aliquis de liberalibus ſtudiis, aut aliis hujuſmodi argumentis adoleſcens ſcripſerit; nunquid propterea pia & religioſa ſcripta ab eo poſtea compoſita minimi faciemus? Quis non videt, hac ratione muniri viam ad illudendum Sancto Auguſtino, quod de muſica ſcripſerit; Syneſio, docto illi ac eloquentiſſimo Præſuli, quod longo ſermone de Aſtrolabio diſſeruerit, ut in fine illius Operum cernere eſt; S. Joanni Damaſceno propter ejus de Categoriis tractatum; S. Anſelmo propter ejus librum de Grammatico; S. Bernardo propter Antiphonarii recognitionem. *Quam inutiles nugæ!* dicet aliquis. Rectius dicamus: Quam ineptus ratiocinandi modus! Sed me reprimam, atque harum exclamationum modum & finem faciam. Satis eſt, manifeſto, ut opinor, demonſtraſſe, argumenta, quæ in Reſponſione afferuntur contra noſtram a Scriptorum numero deſumptam probationem in ſtudiorum patrocinium, infirma eſſe & reiicienda; adeo ut ratiocinatio noſtra ſuo adhuc pondere conſtet, & eorum exemplo noſtrorum ſtudiorum uſus ſine ulla dubitatione comprobetur.

ARTICULUS XXIII.

Alia argumenta, deſumpta a Cœnobiorum Academiis & Bibliothecis; ubi incidit ſermo de manuſcriptorum utilitate. Reſpondetur ad Objectum magni momenti, & accuratius demonſtratur, ſtudia cum opere manuali Monachorum non eſſe incompatibilia.

Nihilo mitius in Reſponſione actum eſt cum noſtris Academiis, gymnaſiis, & Bibliothecis, quam cum illuſtribus, magniſque viris, atque Scriptoribus; Manuſcripta vero tanta cum irriſione & contemptu inibi excipiuntur, ut jam quærendum ſit, quibus rationibus adeo infenſa judicia nitantur.

I.

Quid illa ſcholarum & Collegiorum enumeratio, (inquit Reſponſionis Auctor) *vel ſi longius adhuc produceretur, probat; niſi quod Monachi reipſa ſtuduerint? At quod illis ita fuerit agendum, non probat.*

Satis eſt, quod ita agere potuerint, atque adeo ita egerint cum Eccleſiæ approbatione, & cum populorum gratia. Licuit illis S. Baſilii veſtigia tenere, qui puerorum inſtitutionem in Regula permittit, quamvis eos permanere in Monaſterio non cogat, niſi ſi proprio nutu ſe Religioni addixerint, ubi ad ætatem hujus propoſiti capacem pertigerint. S. Joannes Chryſoſtomus in Apologia Vitæ Monaſticæ ait, traditos pueros uſque ad viginti ætatis annos intus educari & cuſtodiri poſſe.

Quod

Digitized by Google

Quod anſam dedit erectioni harum ſcholarum in Monaſteriis pro inſtructione pag. 264.
populorum, fuit Collegiorum & Academiarum magnus illa ætate defectus; ita ut erudiendæ juventutis cura Monachis S. Benedicti demandari cæperit, quamquam ea nihil haberet cum eorum profeſſione commune. Sola neceſſitas in cauſa fuit, ut hoc illis munus imponeretur.

Magnum eſt profecto, ad id agendum *neceſſitate* quadam fuiſſe compulſos, cui ſe propter publicam utilitatem ſubjecerint. Sans idonea hæc ratio eſt, ut illas Academias ab omni reprehenſione liberet. Sed & cum illis facit auctoritas Regulæ S. Baſilii; ad quam S Benedictus nos remittit in ſua. Hac ſuper re æquius erit in nos procul dubio vulgi judicium, quam D. Abbatis.

At Monaſticis Sodalitiis tantum abfuit (pergit Reſponſio) *ut ex hoc incæpto beneverteret, ut propterea in diſſolutionem, diſciplinæ remiſſionem, in magnam etiam inſcitiam prolapſa ſint, prout fidem facit omnimoda & generalis Ordinis Monaſtici defectio.*

Novum non eſt D. Abbati, quod omnes perturbationes Monaſtici inſtituti ſtudiis & doctrinæ tribuat, quamquam idoneis & certis argumentis deſtituatur. Sed & ſi conſtiterit, aliquam in Ordine relaxationem ab uſu ſcholarum fluxiſſe, nihil aliud inde colligas, niſi ita eſſe comparatum, ut optimis rebus abuti poſſimus. Hinc in puerorum receptione, qui in Monaſteriis Deo oblati, Religioni addicebantur, abuſus deprehenſi ſunt, quibus permoti Religioſi montis Caſini ſub Deſiderio Abbate, ſanxerunt, ne impoſterum apud ſe pueri reciperentur, prout teſtatur Petrus Damiani. Ut vero his Academiis Monaſteriorum diſſolutionem tribuendam conceſſerimus, qua ratione iiſdem tribuatur ſubſequuta Monachorum *inſcitia*, quæ eſt effectus ſtudiis plane contrarius, non intelligimus. Ceterum ex eo quod aliqua fortaſſe in quibuſdam Monaſteriis ſit diſciplinæ perturbatio, non opinor continuo dici poſſe, Ordinem in *omnimoda & generali defectione* jacere. Militant adhuc Deo fideles ſervi intra ſepta Clauſtrorum; neque
putandum eſt, ſolem juſtitiæ in uno dumtaxat loco ſplendeſcere. Guil. ep.
Nuſquam arbitreris lucere Solem communem diei niſi in cella tua; nuſquam ad Trat.
eſſe ſerenum niſi penes te; nuſquam operari gratiam Dei niſi in conſcientia de Monte
tua. Dei n. 6.

I I.

Si audias Auctorem Reſponſionis, *non eſt accurata illatio, quam duci-* pag. 49.
mus ex Bibliothecis Monaſteriorum, & ex opera, quam Monachi in exarandis
Codicibus ponebant. Id vero erit nobis mox enodandum. *Quilibet libro-*
rum cumulus, ſive grandis, ſive exiguus, indiſcriminatim Bibliotheca voca- pag. 51.
batur. Hoc vocabulum fucum facere poteſt; competit enim Bibliothecæ Scorialis, & Vaticanæ, æquè ac illi, quam S. Petrus Damiani ſuis fratribus reliquit, è triginta circiter voluminibus conflatam.

Ego vero adiiciam, hoc vocabulum in reſtrictiori adhuc ſignifica-

tione ſumi poſſe, quippe Veteres, Codicem in quo ſola Biblia continebatur, *Bibliothecam* nominabant.

pag. 50. *Si quis animadvertat*, inquit Auctor, *S. Benedictum præcipere, ut initio Quadrageſimæ ſumantur de Bibliotheca libri, qui in manus tradentur Monachorum; ſtatim affirmaverit eam omnino tenuem & puſillam fuiſſe.*

Ego quidem hujus illationis nexum non video. Quamvis enim hæc Bibliotheca viginti millia librorum comprehendiſſet, quid obſtat quominus S. Pater idem fieri juſſiſſet. *Erat, fateor, tunc in cunabulis illa ſodalitas:* Sed & Vivarienſe Monaſterium parum a ſuis aberat initiis, cujus nihilominus Bibliotheca omni librorum genere abundabat, quos Caſſiodorus in eam congeſſerat. Ex hac præcipue Bibliotheca, cujus notitia accurata & certa nobis ſuppetit, & ex aliis quibuſdam illius ſimilibus, meam ego confeci inductionem. Fortaſſe Caſinenſis ipſa æque dives initio fuit; fortaſſe etiam pauperior & exigua. Nihil certi hac de re proferre poſſumus; niſi quod cum ſingulis privatim Monachis Codex legendus diſtribueretur, plurimi adhuc ſupererant, ut abſoluta lectione primi alter ſuppleri poſſet. Quod procul dubio ſæpe fieri contingebat, attento horarum numero, quas S. Benedictus cuique Monacho ad legendum indulget.

pag. 52. *Certus ſum*, ait D. Abbas, *Bibliothecam, qualem conflavit Caſſiodorus omni librorum genere refertam, neque a D. Benedicto, neque a D. Bernardo componendam umquam fuiſſe.*

Non video quæ ratio ſuppetat ita prorſus aſſerendi. Nam ſi dixeris, hoc inde argui, quod S. Benedictus *ſe a ſtudio humanarum literarum vindicaverat, conſilio & voluntate, quam ſibi Deus injecerat, omnino indignum illud exiſtimans:* nimium ita probaveris; nam ſequeretur, ut ab inſtitutione & diſciplina puerorum, qui in ejus Monaſteriis offerebantur, plerumque antequam elementa ſcirent, abſtinendum illi fuiſſet. Aliud eſt humanas literas diſcere, ut illis immoremur, aliud earum notitiam ad alia dirigere, quæ cognitu neceſſaria ſunt. Quomodo ſine illarum adjumento Sacram Scripturam, atque Opera Sanctorum Patrum, ad quæ legenda Regulæ præſcripto adſtringimur, intelligemus?

Quod attinet ad S. Bernardum, eſto quod *oſtendat ex totius vitæ ratione, ſe nullam aliam noviſſe ſcientiam præter illam Jeſu Chriſti Crucifixi*, non obſtat quominus communibus & ordinariis mediis uſus ſit, ut ad hanc ſcientiam pertingeret, ſuoſque diſcipulos ad eam manuduceret. Inter alia ſtudium Divinæ Scripturæ & Patrum viſum eſt illi conſentaneum medium, quòdque illud adhibuerit, bene ipſi, bene ejus diſcipulis, bene toti Eccleſiæ fuit. Tot præclarorum illius operum fructu hodie careremus, niſi ille ſtudiis operam navaſſet. Sane oportuit, latiſſime diffuſis cognitionibus inſtructum atque comparatum fuiſſe, ut tot, tanta, tamque accurata conſcripſerit.

pag. 52. *Sed ut de Caſſiodoro loquar, fuit ille vir aulicus, ab aulæ & ſæcularis pompæ gremio digreſſus, ut in ſeceſſu vitam ageret.*

Caſſiodorus in ſæculo quidem vixerat, pravis tamen ſæculi opinionibus numquam abſtractus, toto vitæ ſuæ curſu in maximis muneri-

bus

bus integerrime & citra ullam reprehenſionem ſe geſſerat. Sed ut omnia uno verbo abſolvam, ſapientiſſimus fuit, cumque in animum induxiſſet ſeceſſus locum & rationem ſibi informare, quos ſua ætate in Monaſtica perfectione excellere noverat, prudenter conſuluit. In his erat Abbas Dionyſius exiguus, ejus intimus & perfamiliaris, cum quo dialecticæ una ſtuduerat, quemque ita cum laude commemorat, ut prorſus exiſtimandum ſit, eum egregium Aſceticæ vitæ exemplar extitiſſe. Præterea Caſſiodorus Aſceterium Montis Caſini fortaſſe viderat, utpote a ſuo Monaſterio non longe diſſitum; & præclara S. Benedicti, qui tunc adhuc in vivis erat, fama per totam Italiam late diffuſa, permovere eum potuit, ut a tanto Monaſticæ vitæ præceptore conſilii ſui perficiendi rationes & lumina peteret: Cum vel ille barbarus & Arianus Rex Totila Sanctiſſimum Patriarcham inviſere voluerit. Denique illa ætate Sanctiſſimi Abbates & Monachi in tota Italia florebant; ac mirum prorſus videtur, quod Reſponſionis Auctor ibi non ſecus ac alibi recti ordinis perverſiones & corruptelas deprehendat; ita ut Caſſiodorus *ad ſuos diſcipulos a diſſolutionibus Monachorum, quos ante oculos habebant, retrahendos opportunum duxerit omni illos lectionum genere diſtinere*. Non ſatis percipio, quomodo id cum teſtimonio S. Gregorii componi poſſit, qui iiſdem temporibus aſſerit ſe fere in omnibus Italiæ Monaſteriis tot pietatis & honeſtatis ſpecimina animadvertiſſe, quibus referti ſunt ejus Dialogi, & tantum Sanctorum proventum, ut fuerit ad hoc opus ſcribendum compulſus, ſcripti materiam Italiæ finibus concludens, velut ipſe teſtatur.

Caſſiod. Divin. lit. c. 32.

pag. 52.

Ceterum conſtat, Caſſiodoro penitus innotuiſſe S. Benedicti inſtitutum ac rationem, cum ad ejus exemplum tum Cœnobium Vivarienſe, tum multas Anachoretarum ſedes propter ſuorum Monachorum ſeceſſum in proximo monte fundaverit. *Habetis*, inquit, *montis Caſtelli ſecreta ſuavia, ut velut Anachoretæ, præſtante Domino, feliciter eſſe poſſitis*. Denique liquido apparet, ab eo fuiſſe perlecta Caſſiani Opera Monaſtica, quorum ſuis diſcipulis lectionem commendat; & haud ſcio an pulchrior vitæ Monaſticæ ſpecies exhiberi poſſit ea, quam ipſe in ſuo Pſalmorum Commentario tradit his verbis. *Cæleſtis in terra vita, & imitatio fidelium Angelorum: ſpiritaliter in carne vivere, & mundi vitia non amare: vitam præſentem contemnere, & futuræ beatitudinis gaudia ſemper exquirere: ad poſtremum ipſius templum fieri, cujus imaginem conditio humana ſuſcepit*. Talem hic Aulicus vitæ Monaſticæ formam animo deſignaverat; atque eo conſilio ad lectionem & meditationem Sacræ Scripturæ diſcipulos ſedulo hortabatur, ad cujus intelligentiam ut omnes ſuas orationes, omne ſtudium, & reliquas omnes lectiones dirigant expreſſe jubet. Ad hanc tantummodo rem adeo divitem Bibliothecam conſtruxerat omnimoda librorum ſuppellectile refertam; quibus recte uti poſſe Monachos perſuaſum habebat, ad divina volumina enucleatius percipienda. Quod vero tenuem librorum ſumptum S. Petrus Damiani reliquerit Monachis ſuis, hoc inde factum, quia illi deerant modi libros comparandi, quibus Caſſiodorus abundabat. Neque ſolus Caſſiodo-

Caſſiod. Divin. lit. c. 29.

ibid.

In Pſal. 103. v. 17.

ſiodorus in Aula vixit: Sanctus quoque Maximus Abbas Imperatori Heraclio ab Epiſtolis fuit, quemadmodum Caſſiodorus Regi Theodorico: neque id muneris obſuit, quominus vitæ aſceticæ ſectatores perfecti poſtea evaſerint; non ſecus ac Arſenius, qui in Aula pariter vixerat.

Pag. 53. Quidquid a nobis circa veteres Bibliothecas afferri poteſt, judicio D. Abbatis, *probat tantummodo, Monachos in ſcribendi arte fuiſſe peritiſſimos atque exercitatiſſimos. Sed falſo ita arguitur, in quodam Cœnobio ingens olim extitit Bibliotheca: ergo ibi ſtudia colebantur. Conſtat enim eſſe in Monaſteriis Bibliothecas, quibus Monachi nullatenus utuntur.*

Id nimium fortaſſe verum eſt: at eo conſilio hæ Bibliothecæ nequaquam conſtructæ fuerunt, ut nemo illis uteretur: Neque enim rationis compotes viri inani & ſtulta laude abripiuntur poſſidendi libros, neve hac mente tales ſumptus faciunt, ut quæ congerunt volumina legi nolint. Quod præſertim iis temporibus quadrat, quibus ſola manuſcripta in uſu erant, quæ majori labore atque impenſa parabantur, quam noſtra typis excuſa. Argumentum ex Bibliotheca Trappæ deſumptum adverſus ea quæ dicimus nullum pondus habet. Etenim pro certo habeo, D. Abbatem in erigenda Bibliotheca ſui Cœnobii tam magnos ſumptus minime facturum fuiſſe; niſi eam jam antea a ſe comparatam illuc tranſtuliſſet. *Ibid.* Non committam igitur ut dicam, *Trappenſes Cœnobitas viros eſſe apprimè ſcientes eruditos, eo quod in eorum Cœnobio dives adſit Bibliotheca.* Sat ſcio quam inepta foret hæc illatio: fidenter tamen pronuncio, Caſſiodorum, atque alios, quicumque magnis ſumptibus & ſummo cum labore Bibliothecas in ſuis Monaſteriis adornarunt, id ſibi tantummodo propoſuiſſe, ut in Monachorum uſum cederent, ita ut iis non uti Monachos dedeceat, quemadmodum expreſ- *Caſſiod. Divin. lit. c. 16.* ſis verbis ait Caſſiodorus: *Magnæ verecundiæ pondus & habere quod legas, & ignorare quod doceas.* Huc mea redit ratiocinatio, neu puto ſuper hac re poſſe quempiam ſecus ratiocinari.

III.

Pag. 51. *Ratio, quæ ab uſu deſcribendi & tranſcribendi libros deſumitur,* judice D. Abbate, *omnino reiicienda eſt. Nam Monachi ex opere manuum ſuarum victum ſibi quærebant, ſcribebantque libros, ut eos divenderent.* (Imo vero ut ſibi uſui eſſent; nam pauci admodum fuere qui librorum mercaturam exercuerint.) *Eorum multi in tranſcribendis libris certam & quotidianam operam ponebant. Nam cum illis ſæculis ope ſcripturæ fieret, quod poſtea editione typographica factum eſt, id in publicam utilitatem atque omnium commodum facile vertebat. Hinc vero colligere quidem poſſumus, quoſdam Monachos exarandorum Codicum artem optime calluiſſe, minime vero aut doctiores, aut ſanctiores propterea evaſiſſe.*

Non recte ergo S. Martinus tranſcribendis libris juniores Monachos unicè occupabat, orandi exercitium ætate provectis reſervans. Nempe ſci-

pe ſcite & prudenter nihil erit actum niſi quod noſtris congruerit notionibus. In Aſcetarum Sodalitiis non omnes Monachi Codicum exſcriptores fuerunt. Ex iis vero, qui huic rei dabant operam, quidam artis ſcribendi erant tantummodo periti, quidam etiam doctrina excellebant, ut S. Theodorus Studita, B. Theophanes, S. Nilus Junior græci: Vener. Beda, Rabanus Maurus, ipſemet S. Hieronymus, latini; qui ſua ſcripta, & aliquando etiam aliena tranſcribebant. Novimus, S. Hieronymum, cum Treveris ageret, exſcripſiſſe opus Hilarii de Synodis. Hinc patet, non ſolum omnes Antiquarios ſcribendi arte præſtantes fuiſſe, ſed & illorum quoſdam ſcientia inclaruiſſe.

Hos inter Monachos Excriptores aderant certe quamplurimi (pergit D. Abbas) *qui ſuorum Codicum vacua bonarum æque ac futilium rerum indigeſta congerie nonnumquam ad libitum implebant; quemadmodum a tot doctis viris animadverſum eſt, & præſertim ab illuſtri D. Baluzio in ejus egregiis notis ad Capitularia.*

Ad Manuſcriptorum cenſuram fovendam Capitularia & notas D. Baluzii, qui manuſcripta tanti facit, atque iiſdem appoſitè ſæpius utitur, in medium produci valde miror. Locum ipſum, quem citat D. Abbas in ſua Reſponſione, ſatis eſt animadvertere, ut manifeſto pateat, fruſtra Baluzii præſidium emendicari. Porrò illum hic integrum referrem, niſi inde ſumpta objectio contra manuſcripta a ſeipſa ſatis refelleretur. Quippe non de ipſis manuſcriptis agitur, ſed de vacuis intermediis, quæ a quibuſdam leviſſimi ingenii hominibus *bonarum pariter ac futilium rerum indigeſta congerie* implebantur.

Sed unde cupido iſthæc inceſſit male excipiendi Scripturæ laborem, ex quo uberrimi fructus paſſim dimanarunt; quidve intererat adeo inclementem animadverſionem in *quamplurimos Monachorum Exſcriptorum* coniicere; cum ſatius fuiſſet hoc nomine in crimen vocare neſcio quos nebulones, qui ubi inciderant in reſidua paginarum, quæ ab Antiquariis vacuæ fuerant relictæ, aliqua perſcripta tabula, aut quolibet alio quod ſeſe illis primum offerebat, ea implere ſoliti erant. Parum aberit jam, ut *Monachis Exſcriptoribus quamplurimis* ſtolidorum quorumdam audaciam tribuamus, qui cum in Exemplariis elegantes literarum typos miniato opere ductos invenirent, impune abſcindebant, nihil penſi habentes optimos libros corrumpere, & ſcripturam quæ a tergo erat deperdere. Ita ſane aſſiduus labor male rependitur horum Monachorum, qui otium & vitam inſumpſerunt, ut nobis ſarta tecta ſervarent Sacræ Scripturæ, Patrum, Conciliorum, atque aliorum Scriptorum Volumina, quibus hodie careremus, niſi illi hunc ſcribendi laborem adhibuiſſent. Viri ſæculares, & ipſi etiam heterodoxi (quod ſine cujuſquam offenſione dicimus) æquius agunt, dum aſſiduitatem & curam majorum noſtrorum impenſius laudant. Sublata eorum opera quomodo fuiſſet Traditioni conſultum?

Hujuſmodi laborem D. Abbas perinde ac quemdam ludum exiſtimat *in ſola digitorum agitatione poſitum.* At ſi hujus occupationis uſus hac tempeſtate obtineret, & major temporis pars nobis eſſet in hoc inſumen-

men-

Digitized by Google

menda, profecto intelligeremus ambo experti, aſperioris eam eſſe pœnitentiæ genus. Jam tum foret illi perſuaſum, *opus Monachorum manuale* haud quaquam a nobis *in nihilum redigi*, dum ſcribendi exercitium certi & quotidiani laboris loco exhibemus. Novi equidem, alia præter hoc manualia exercitia in Monaſteriis uſurpata, ſed hoc, non minus ac reliqua, utile atque commune fuiſſe pro certo habeo. Tot Solitarii ſanctitatis laude conſpicui in illud penitus incubuerunt, ut mirum videatur, ſcribendi exercitium tam male hodie apud quoſdam audire. Ita propemodum in crimen vocantur S. Martinus, atque ejus diſcipuli, S. Lucianus Martyr, atque alii innumeri; denique aperte obtrectatur Paulino, qui in Vita S. Martini eximie hunc laborem his carminibus extollit.

Exercere artem prohibet; conceditur unum
Scribendi ſtudium, quod mentem, oculoſque, manuſque
Occupet, atque uno teneat ſimul omnia puncto
Aſpectum viſu, cor ſenſibus, ordine dextram.

Quid in hujus laboris patrocinium honorificentius ac ſplendidius dici poteſt, quæve auctoritas tanti viri, Paulini inquam, auctoritatem adæquaverit? Denique ſi de hoc labore inique ſentis, neceſſe eſt damnes quoque priſcos Ciſtertii Monachos, quorum multi in eo ſeſe occupaverunt. Gulielmus S. Theodorici in Epiſtola ad Fratres de Monte Dei, quam in exitu vitæ ſcripſit cum eſſet ſimplex Monachus in Abbatia Siniacenſi Ordinis Ciſtercienſis, loquens de opere manuali, quod Solitariis convenire poteſt, reliquis anteponenda eſſe putat illa, quæ cum ſpiritualibus exercitiis proprius conjunguntur, cujuſmodi eſt libros deſcribere, *ſcribere quod legatur*. Non quod perſuadere velim, *Monachos Ciſtercienſes in ſuæ inſtitutionis exordiis certum & conſtans exercitium in ſcribendo collocaſſe*, nempe huic labori unicè operam dediſſe, ut mihi tribuit D. Abbas: ſed illud pro certo habeo, ſatis apud eos commune & in magno pretio habitum tunc temporis fuiſſe: quod magnus exemplariorum numerus, quæ in Bibliothecis Ciſtertii, Claræ Vallis, Longi Pontis, Vallislucentis atque alibi ſuperſunt, evidenter convincit, non minus ac cellulæ, *ſcriptoria*, quæ ad hunc uſum erant deſtinatæ.

Denique Reſponſionis Auctor contendit, nulla alia volumina tranſcribi conſueviſſe in Monaſteriis rectius ordinatis, *præter divinos libros & Sacram Scripturam*; idque probari ex orationis formula, *quæ ſcriptioni præmittebatur*, uti affertur a D. Luca d'Achery in notis ad Abbatis Guiberti opera. *Benedicere digneris Domine hoc Scriptorium .... ut quidquid divinarum Scripturarum ab eis lectum vel ſcriptum fuerit &c.*

At certo colligitur ex aliis hujuſmodi orationibus quæ recitabantur non ante manualem quidem laborem, ſed ſingulis Dominicis diebus, quando per clauſtra & officia Monaſterii ordinatim procedebatur; certo, inquam, colligitur, has voces, *divinarum ſcripturarum* latiori ſi-
Alcuin. gnificatione eſſe accipienda, prout a nobis alias adnotatum: quod
carm. probant quoque carmina ab Alcuino compoſita, locum indicantia,
126. in quo libri conſcribebantur.

Hic

Hic ſedeant ſacræ ſcribentes famina legis
Nec non Sanctorum dicta ſacrata Patrum.

Hic ſaltem divinis libris ſuperadduntur Patrum ſcripta; & palam eſt, ſub una aut duplici ſpecie reliquas omnes librorum, quos exſcribere mos erat, ſpecies comprehendere voluiſſe. Antiqua exemplaria omnis generis ſcientiarum, in noſtris Monaſteriis exarata id luculenter teſtantur. Neque vero diutius immmorabor in afferendis ad hanc rem monumentis. In Tractatu de Studiis, Nicolaum Claravallenſem meminiſſe dixi harum Cellularum, ubi ſcribebant Antiquarii, atque illius ſingillatim, in qua ſcribebat Herricus Regis Ludovici Junioris frater, qui in Claræ Vallis Monaſterio cucullum Monaſticum induerat. Rainaldus unus ex primis Ciſtertii Abbatibus, poſtremo ſtatutorum capite jubet, ut *in omnibus ſcriptoriis, ubicumque ex conſuetudine Monachi ſcribunt, ſilentium teneatur ſicut in clauſtro.* *Nicol. Clara. Ep. 35. & 39.*

Sed jam hic afferam gravem objectionem deſumptam ex tertio libro Rituum Cluniacenſium, capite 10. ubi agitur de *Præcentoris* officio, qui aliter vocabatur *Armarius*, hoc eſt Bibliothecarius, quod ille curam haberet Bibliothecæ, quam veteres *armarium* quandoque nuncuparunt. Porro *ibi non legimus* (ait D. Abbas) *Bibliothecam ſtudiis ſcientiarum inſervire, neque à Bibliothecario libros ad ſtudendum diſtribui. Id ſolum negotii dabatur illi, ut notaret præſcriberetque quod in Choro erat pſallendum, quive ritus ſervandi. Ea res exiſtimandi copiam præbet, in ea Bibliotheca Eccleſiaſticos libros tantummodo fuiſſe, quos nos appellamus Rituales, nempe Graduale, Antiphonarium, Sacramentarium, Lectionarium, Proceſſionale, & alia hujuſmodi. Hinc vero liquido demonſtratur, ingentes Monaſteriorum Bibliothecas non eſſe idoneum argumentum ad aſſerendam ſcientiarum in his Monaſteriis culturam. Nam Bibliotheca Cluniaci, Monaſterii illa ætate celeberrimi, non tenuis quidem & exigua, ſed magna & dives procul dubio fuiſſe credenda eſt.* *pag. 87.*

Hæc objectio, quam perpetuis Auctoris verbis libuit afferre, ne illius vis minueretur, omnino plauſibilis videtur: ſed ut ejus infirmitas detegatur, ſufficit rerum ſtatum aliquantulum noſſe. Si conſtet, in Bibliotheca Cluniacenſi nullos alios tunc temporis libros fuiſſe præter Rituales, cedo unde Monachi lectionum ſuarum argumenta ſumpſerunt? Si enim dixeris, nullas ab illis haberi conſueviſſe lectiones, id vero nullo modo ferendum eſt. Præterea ex quadam Epiſtola Petri Venerabilis Abbatis Cluniacenſis diſcimus, Guigonem, illuſtrem illum Magnæ Carthuſiæ Priorem ab eo petiiſſe, ut ſibi commodaret nonnulla Sanctorum Patrum ſcripta, & nominatim illud S. Ambroſii adverſus Symmachum Præfectum, S. Proſperi adverſus Caſſianum, & Epiſtolas S. Auguſtini & S. Hieronymi, quos libros profecto non putes in Choro legendos. Baſilius, qui Guigonem excepit, ab eodem Cluniacenſi Abbate aliqua petiit S. Ambroſii opera. Petrus vero hos libros ad illum mittens, commodati ſchedam exigit, juxta S. Hugonis præſcriptum, ne quis liber commodatò tribuatur ſine ſcheda. Inerant ergo in hac Bibliotheca libri doctrinales, S. Hugonis ætate. Præterea D. Lucas d'Achery ſecundo tomo Spicilegii edidit Epiſtolam Concilii *Pet. Ven. l. 1. Epiſt. 23.* *Spicile. tom. 2. pag. 577*

Conſtantienſis, in qua Patres hujus Concilii Monachos Cluniacenſes rogant, ut ad ſe confeſtim mittant complures Sanctorum Patrum atque aliorum libros, quos ſoluto Concilio ſe reſtituturos promittunt, ut ſibi interim uſui eſſent adverſus Hæreticos & Bohemianos, qui brevi ad Concilium acceſſuri erant. Hi libri ſunt, S. Ambroſii *de paradiſo animæ, de Sacramentis, ſuper Lucam, ſuper Pſalterio:* opera S. Fulgentii, præter duo S. Auguſtini volumina, quæ antea fuerant ad Concilium miſſa, quorum alterum ſcripta continebat adverſus Manichæos, Donatiſtas, & Fauſtum; alterum vero lucubrationem de Baptiſmo infantulorum. Ergo non ſolos Rituales libros in hujus Abbatiæ Bibliotheca, ſed & Doctrinales fuiſſe neceſſe eſt; & inſuper colligitur, magni tunc nominis hanc Bibliothecam extitiſſe, quandoquidem ex illa Patres Concilii Conſtantienſis librorum ſubſidium quærebant.

Sed tandem, ut brevi expediam, ſupereſt adhuc nobis vetus Bibliothecæ Cluniacenſis Catalogus, per columnarum ſeriem in magna tabula optime diſpoſitus, in quo animadvertere eſt prope ſexcenta volumina, non modo Sacræ Scripturæ, atque Explanationum ejuſdem, omniumque fere operum Veterum Patrum; ſed & Hiſtoriarum, Philoſophiæ, Humanarum literarum, uno verbo omnium ferme ſcientiarum. Ceterum in hoc Catalogo nullus ex Ritualibus libris a D. Abbate notatis occurrit.

Cur ergo, inquies, S. Udalricus de ſolis libris meminit, quorum erat uſus in Choro? Reſponſio in promptu eſt. Nempe ſibi unice propoſuerat de Ritibus agere, & de iis præſertim, qui ſpectant ad Divinum Officium. Inſuper in amplioribus Cœnobiis, puta in Cluniacenſi duplex erat Bibliotheca: altera Choro inſerviens, in qua libri Eccleſiaſtici tantummodo ſervabantur: altera pro lectione Monachorum volumina continens, hoc eſt libros ſcientificos & aſceticos. Prima harum Bibliothecarum Præcentori commendabatur, qui Eccleſiaſticas ceremonias ordinabat: Altera certo alicui ac peculiari Bibliothecario, qui ejus curam habebat. Ita explicata ſiunt omnia: verum etiamſi iſtud neſciremus, Exemplaria tamen manuſcripta, quæ ex Veteris Bibliothecæ ruinis Cluniaci ſuperſunt, item vetus librorum Catalogus, & alia ſupra memorata ſatis evincunt, Bibliothecam hujus illuſtris Abbatiæ valde magnam ac divitem prout illa ætate fuiſſe.

Idem, ceteris paribus, dici poſſet de reliquis Noſtri Ordinis Cœnobiis, quamquam pleraque exemplaria inde fuerint direpta, diſtracta, & quandoque etiam exuſta. Superſunt adhuc tamen præteriti temporis veſtigia, quæ certi judicii materiam præbent. Extant hodie volumina manuſcripta ſupra quingenta in Bibliotheca Montis Caſini, licet plura inde fuerint extracta, & in Vaticanam, aliaſque Bibliothecas tranſlata. De hoc numero rariſſimus ille & fortaſſe unicus Codex, ex quo P. Lupus ducentas viginti quinque Epiſtolas decerpſit, ſpectantes ad Synodos Epheſinam, & Calchedonenſem, quæ in nova Conciliorum Collectione a D. Baluzio denuo editæ fuerunt.

Ut in Italia conſiſtamus, celebris Bibliotheca Ambroſiana Mediolani nul-

Digitized by Google

ni nullis aliis fere Latinis Manuſcriptis abundat, quam quæ fuerant olim Bobienſis Abbatiæ, in qua reliqui adhuc nihilominus ſunt antiquiſſimi Codices, veluti Opera S. Cypriani, & alia hujuſmodi. In Ambroſiana pariter ſervatur Joſephi Hiſtoria de Judaicis Antiquitatibus in corticibus exarata ante annos circiter mille ducentos, quæ ex Bobienſi Abbatiâ fuit olim educta.

In Galliis veterem adhuc Catalogum Bibliothecæ Corbejenſis tenemus, quæ in hoc Regno ex ditioribus fuit habita, cujus utilitatem percepit Reſpublica Literaria, inventis ſexcentis circiter manuſcriptis Codicibus, qui ex ea reliqui fuerunt. Magnas quoque fuiſſe Bibliothecas Abbatiarum, Lerinenſis, Majoris Monaſterii prope Turonas, Floriacenſis, S. Benigni Divionenſis, S Germani Pratorum, S. Remigii Remenſis, S. Theoderici, S. Cornelii Compendienſis, Montis S. Michaelis, Beccenſis, Luxovienſis, S. Martialis Lemovicenſis, quæ fuit olim Abbatia, & S Mauri des Foſſez, aliarumque multarum, earum quæ adhuc ſuperſunt reliquiæ ſatis oſtendunt; ut mittam hic Bibliothecas S Dionyſii, & alias, quæ ab hæreticis expilatæ fuerunt.

In Germania adhuc videre eſt Bibliothecas S Galli, Einſidleenſem, S. Udalrici Auguſtæ, S. Emmerani Ratiſponæ, Richenavienſem &c. in quibus extant magni pretii exemplaria manuſcripta. Trithemius in Bibliothecam ſuæ Abbatiæ ultra ſex mille Codices congeſſerat. Fuldenſis vero & Corbejenſis in Saxonia, atque aliæ permultæ direptæ fuerunt. In omnibus his magni pretii Bibliothecarum ruderibus adhuc inveniuntur omnis generis ſcientiarum & artium libri; qui vel hodie aperte demonſtrant, jus mihi fuiſſe inferendi ex numero & qualitate librorum, quos noſtræ Bibliothecæ olim continebant, ſtudiorum genus & amplitudinem, quæ in noſtris Monaſteriis tractabantur.

I V.

Antequam ulterius progrediamur, ad rem fuerit magni momenti objectionem penitus excutere, quæ generatim contra ſtudia Monachorum torquetur. In hoc vero ſita eſt, quod non modo hæc ſtudia S Benedicti Regula nequaquam innuit, ſed etiam manualis labor in ea præſcriptus neceſſario excludit; quippe exercitia a Regula propoſita adeo inter ſeſe colligantur & invicem ſubſequuntur, ut nullum diei vacuum tempus relinquant, neque ſtudendi copiam ullam faciant. *Si huic viro Dei* (S. Benedicto) *propoſitum fuiſſet*, inquis, *ſtudia in Monaſteriis conſtituere, rationes ab eo fuiſſent indicatæ, quibus hoc exercitium peragi poſſit. Studendi ratio præcipua tempus eſt: quoniam vero in regularum exercitationum diſtributione nullum temporis ſpacium ſtudio tribuit; vel ex hoc patet, nullam illum ſtudii rationem habuiſſe, nec ſtudium in exercitationum Monaſticarum numero collocaſſe*. His poſitis, regularitatis labem in Monaſteriis a ſtudiis deducit D. Abbas, utpote quæ *manualis operis abrogationem*, ut ipſe ait, invexere. Porro opus manuale, ut ipſi quidem videtur, *proprium &* *pag.* 59. *pag.* 473.

Digitized by Google

eſſentiale Monachorum officium cenſeri debet, atque adeo citra ullam immunitatis ſpem ab omnibus perſolvendum. Quod ſi ſtudium cum labore manuum ſimul eſſe non poteſt, e clauſtris penitus eſt abigendum, cum ipſius cauſa deſtruatur & intereat aſcetici inſtituti eſſentiale quoddam caput, ut putat D. Abbas.

Hoc ratiocinium longius produci poſſet, præveniendo applicationem principii ſupra a me poſiti articulo 7. ubi demonſtrare contendi, ex eo quod ſtudium in Regula S. Benedicti nequaquam fuerit interdictum, cenſendum eſſe permiſſum. Etenim ſi urgeamus ratiocinationem juxta Reſponſionis principia propoſitam, illud ſolum ex ſilentio Regulæ permiſſum cenſeri debet, quod cum *eſſentiali* Regulæ ipſius exercitio ſimul eſſe poteſt, puta cum labore manuum juxta ſententiam D. Abbatis. Proinde ſi cum hoc labore ſtudium incompatibile eſt, nullatenus eſt permittendum, quamvis Regula illud expreſſe non vetet. Ut hanc difficultatem omnium, quæ contra ſtudia proponi poſſunt, fortaſſe graviſſimam enodemus, tria expendenda ſunt. Primum, an manualis labor revera ſit eſſentiale & omnino indiſpenſabile exercitium, ſive ſpectato generatim Monaſtico inſtituto, ſive ſpeciatim quoad Ordinem S. Benedicti. Alterum, utrum temporis ſpatium, ſive duratio, quæ a Regula labori aſſignatur pariter obliget. Tertium, an cum labore ſtudium conciliari poſſit.

Quoad primum, contendit D. Abbas, *facile demonſtrari poſſe ex om-*
pag. 145. *nibus Monachorum Regulis, & ex doctorum Eccleſiaſticorum ſententia, quod nullum in Ordine Monaſtico exercitium, nulla regularis functio, validius fuerit conſtituta, aut potiori auctoritate firmata, quam opus manuale*. Hoc *exerci-*
pag. 156. *tium fuiſſe quodammodo conſecratum adeo unanimi omnium conſenſu*. Uno verbo, in eo, ut ſuperius innui, ſitam eſſe *eſſentialem Monachorum occupa-*
pag. 473. *tionem*. Porro an ita ſeſe res habeat, quærendum eſt.

Et primo quidem citra omnem dubitationem ſtatuimus, hoc exercitium non eſſe adeo eſſentiale & indiſpenſabile, ut quiſpiam Monachus eſſe non poſſit ſine ejus executione.

Omnis obligatio, qua ad opus manuale præ ceteris hominibus ſolitarii tenentur, deſcendit a legibus particularibus, & Regulis, quarum major pars illud quidem tamquam magni momenti exercitium præſcribit, minime verò quaſi eſſentiale munus, adeo ut omnem diſpenſationem excludat, nec omitti a quopiam poſſit, quin Monachus eſſe deſierit.

Meta præcipua, quam ſibi Regularum Auctores propoſuerunt manualem laborem imperantes, hæc eſt, ut ſuppetat ratio vitandi otium, & ſubigendi corpus; utrumque vero obtineri abſolute poteſt ſine corporis labore. Abbas Paulus, qui in ſolitudine vitam agens quingentis & ultra Monachis præerat, ne minimum quidem laborabat, ut narrant Palladius & Sozomenus, innuentes, unicum illius exercitium
Sozom. l. 6 c. 29. in oratione ſtetiſſe. Idem refert Palladius de Abbate Apolline, cujus
Pallad. pariter regimini pluſquam quingenti fratres parebant. In Monaſteriis
c. 23. & S. Martini nullus alius obtinebat manuum labor, quam Codicum tran-
32. ſcriptio; quin & hoc munus junioribus tantum Monachis imponebatur, ſeni-

ſenibus ſola oratione occupatis. Demum, ut paucis conficiam, S. Thomas apertè tuetur, Monachos ratione ſui ſtatus non magis teneri ad opus manuale quam Laicos, & obligationis rationes utriſque eſſe communes: vitæ neceſſitates, otii fugam, & eleemoſynam, quæ proximo eſt elargienda. Porro his officiis integrum cuique eſt ſatisfacere per alia exercitia quæ Monachis æquè ac ſæcularibus loco eſſe poſſunt corporalis laboris.

S. Thom. 22. qu. 187. a. 3.

Ipſe-met D. Abbas ab hujus doctrinæ ſumma minimum diſcedere videtur in alio Opere, ubi ait, quod *ſi omnes in clauſtris degentes ad ſcientias adipiſcendas apti, longæque & aſſiduæ lectionis capaces forent, jure diceretur, intellectualibus operationibus exerceri eos poſſe, excluſo manuali labore; ſed ubi animadvertimus, paucos admodum ita eſſe comparatos, ut ſcientiis vel ſanctioribus animum adjungere queant, evidenter patet falli eos, qui ſtudiorum praxim invehere in Monaſteria præſumunt.*

Diſſ. 21.

Laboris ergo neceſſitas in Monachorum Clauſtris a Monaſtici inſtituti natura non pendet, juxta hujus loci ſententiam, ſed ab ingeniorum diſpoſitione, quorum plura cum nequeant perpetuæ & ordinatæ lectionis, quæ labori manuum ſubſtituatur, intentionem ſuſtinere, hoc ipſo labore indigent ut otium fugiant.

Supereſt itaque obligatio ex vi Regulæ, quæ Monachis quibuſcumque opus manuale injungit. Nos hic de Regula S. Benedicti dumtaxat agemus, ne a propoſito nimium excurramus; quærendum autem eſt, num in ea manualis labor præcipiatur, tamquam eſſentialis & citra quamcumque immunitatem obligatio.

Triplex vero quoad hoc diſtingui poteſt ſententia. Prima eorum eſt, qui hanc obligationem omnino eſſentialem eſſe putant, quæ eſt opinio D. Abbatis in locis quos notavimus. Alii cenſent, laborem a S. Benedicto præſcribi ut exercitium ad conſequendam ſui inſtituti perfectionem neceſſarium; neceſſarium, inquam, non quibuslibet ſingillatim Monachis, ſed eorum Communitatibus in univerſum; ita ut ex duabus Monaſticis Sodalitatibus, quarum altera uſum operis manualis cuſtodiat, altera prætermittat; prima quatenus ad hanc rem perfectior ſit, & ad S. Benedicti ſpiritum propius accedat. Id vero tueri mihi propoſitum fuit in Tractatu de Studiis Monaſticis, ubi manualis laboris neceſſitatem multis argumentis ſtabilire conatus ſum. Denique tertia opinio, quam permulti celebres ſcriptores tam ex noſtro Ordine quam extranei propugnant, huc redit, quod S. Benedictus laborem injunxerit, ad otii fugam, atque ut ſuorum Monaſteriorum, quæ fundationis exordio pauperrima erant, neceſſitatibus ſubveniret: Nunc vero cum Monaſteriis reditus & bona temporalia ſuppetant, deſierit laboris obligatio, dummodo ſtudii vel alterius laudabilis exercitationis ſubſidio otium vitetur. Hanc vero tuetur ſententiam Petrus Venerabilis in controverſia, quam habuit cum Monachis Ciſtercienſibus. *Quocumque bono exercitio, otioſitate fugata, Regula cuſtoditur.* Cui adſtipulantur, Hæften in ſuis Regulæ diſquiſitionibus, Thomaſſinus in ſua diſciplina, atque alii complures.

Pet Ven. l. 1 Epiſt. 28.

Sed

Sed ne prolixius de hac materia diſputemus, illud apprime certum & exploratum eſſe debet, obligationem ad laborem a Regula injunctum non eſſe indiſpenſabilem quoad aliquos ſingillatim, qui juſtis de cauſis eximi ab illo poſſunt. In hoc univerſi conſentiunt, atque ipſemet D. Abbas huic propoſitioni dat manus. De hac obligatione juxta loqui poſſumus, ut de illa quam Deus injecit hominibus in Adami perſona, cui præcepit ut terram coleret. Hæc obligatio ad omnes homines generatim pertinet, ſed non privatim ad ſingulos; ac veluti Epiſcopus, Paſtor, Judex hujus exercitii legitima immunitate gaudent, & opus Deo magis acceptum, ac Reipublicæ magis utile peragunt, ſuo quiſque munere fungentes, quam ſi agrum colendo laborarent: ita dici poteſt, Solitarios, qui divinæ nutu Providentiæ a manuali labore eximuntur, ut quibuſdam utilibus ſtudiis vacent, a perfectione ſui ſtatus minimum recedere, dummodo congruis diſpoſitionibus ad ſtudia ſe conferant.

Igitur hæc obligatio ad ſummum reſpicit Communitates in univerſum: & vere dicimus, laborem in iis nequaquam ſupprimi, licet cum aliquibus ſingillatim Monachis diſpenſetur propter legitimas cauſas, reliquis de Communitate laborem non omittentibus. Proinde hoc ſenſu plane cum ſtudio labor colligari poteſt, quæ erat tertia difficultas in hac materia, mox a nobis enodanda, ubi fuerit diſcuſſum quatenus obliget temporis ſpatium labori a Sancto Benedicto aſſignatum, de quo ſecundo loco oritur difficultas.

Porro ſi ad Regulæ verba quis paululum attendat, facile ſibi perſuaſerit, non eam eſſe Sancti Patriarchæ mentem, ut velit ſuos Monachos tantumdem temporis prorſus & neceſſario in labore manuum inſumere, quantum ipſe innuit. Loquens etenim de hoc labore prout
S. Bened. c. 48. penes ſe conſideratur, utitur verbo *debent*, quod quamdam implicat obligationem, *certis horis occupari debent in labore manuum*. Ubi vero de hujus laboris duratione pronunciat, adhibet verbum, *credimus: Ideoque hac diſpoſitione credimus utraque tempora ordinari*, laboris manuum, & le-
id. c. 64. ctionis divinæ. Et ubi loquitur de Abbatis quoad hoc diſcretione, ait: *Abbas ſic omnia temperet ut fortes ſint qui cupiant, & infirmi non refugiant*.
id c. 41. Denique alibi edicit circa opus manuale, & prandii horam tempore æſtivo, ut Abbas res ita ordinet, *qualiter & animæ ſalventur, & quod faciunt fratres, abſque murmuratione faciant*. Itaque conſtat, S. Benedictum commiſiſſe prudentiæ Abbatum, ut quamdiu laborandum Monachis ſit definiant; ſicuti eorum voluntati permittit officii diſpoſitionem, ſi forte quam ipſe diligentiſſime conſtituit, eadem illis parum ordinata videretur.

Quod attinet ad tertiam difficultatem, conciliari poſſe aio laborem cum ſtudio, in primis ſi ad illud applicentur qui a Superiore idonei judicati ſunt, opere manuali in Communitate propterea nunquam intermiſſo. Ipſemet D. Abbas non abhorret ab hac ſententia; poſtquam
pag. 158. & 159. enim recenſuit quæ de hac re a me dicta ſunt in Tractatu de Studiis, ait, quod *ſi revera in hac opinione verſamur*, ut putemus ſtudio ſubſtitui

poſſe

poſſe laborem reſpectu tantummodo quorumdam ſingillatim Monachorum, *ſublata eſt difficultas. Quippe cum vix decem ex millibus Monachi* (ita loquitur) *hujus ſtudii, de quo agitur, capaces inveniantur; integræ Congregationes in manualis operis exercitio, prout Regulæ jubent, adhuc permanerent; & exemptionibus raro introductis, nulla legis infractio ſequeretur, nec quidquam obeſſet quominus hæc lex in ſuo vigore conſiſteret.* En igitur plana ratio conciliandi cum ſtudio laborem; verum an aliter quoque conciliari poſſit videamus.

Tria genera ſtudiorum ſupra diſcrevimus, quorum alia communia, alia particularia, alia denique extraordinaria ſunt. Studia quidem communia, quæ ad juventutis inſtructionem ſunt comparata, ſine regularis laboris detrimento tractari poſſunt, ſi totum aut aliqua pars temporis, quod dandum eſt lectioni, in tradendis juventuti neceſſariis ſcientiis impendatur. Patet, hanc fuiſſe S. Benedicti mentem, cum non ſit credibile, eum voluiſſe, ut juniores alumni tantum temporis lectioni darent, quantum in ſua Regula generatim præſcribit. Et quidem hoc ſenſu Richardus de S. Angelo Monachus Caſinates ſæculo decimoquarto hunc Regulæ articulum explicat, in quo de lectione Monachorum agitur: putat enim ita eſſe intelligendum, ut in Monaſteriis, ubi pueri inſtitui ſolent, adſint duo Magiſtri, unus Grammaticæ, alter Theologiæ, quas docebunt juniores Monachos per illud temporis intervallum, quod lectioni dicatum eſt.

Id initio factitarunt Ciſtercienſes Patres, ut patet ex Statutis Abbatis Rainaldi. Nam articulo, qui inſcribitur, *de pueris literas diſcentibus*, legimus, quod tempus eruditioni juniorum atque tyronum deſtinatum, ſit tempus lectionis, *quibus tempore lectionis diſcere liceat.* Idem ſtatutum ſubjungit, non eſſe recipiendum Religionis Tyronem *niſi poſt quindecim ætatis ſuæ annos.* Unde argui poteſt, ſub hoc ſtudio non primam puerorum inſtitutionem, & linguæ latinæ elementarem diſciplinam fuiſſe comprehenſam, ſed ſuperiores ſcientias; pueri enim hac ætate plerumque grammaticæ præcepta addidicerunt, præſertim ſi apud ſe ſtatuerint Religioni nomen dare. *Rainal. Stat. 76. al. 70.*

In noſtri Ordinis Monaſteriis, ubi educabantur pueri a parentibus oblati jam inde ab ætate quinque aut ſex annorum, credibile eſt, tempus etiam laboris in illis erudiendis impendi conſueviſſe, cum pueri hac ætate nondum laborem pati poſſint. Quod legimus in S. Benedicti Vita de quodam puero, quem ruina parietis, qui tunc conſtruebatur, eliſerat, *de puerulo ruina confracto*, intelligendum omnino eſt de aliquo jam firmæ ætatis adoleſcente; quandoquidem S. Benedictus poſtquam illum ſanitati reſtituit, ad manuarias operas confeſtim remiſit cum aliis operariis. Jam vides præter lectionis tempus, illud etiam regularis laboris erudiendæ juventuti dari potuiſſe ſine ipſius laboris detrimento; cum reliqua Communitatis pars in hoc exercitio jugiter permaneret juxta Regulæ præſcriptum, dum interea Præceptor & juniores Alumni communibus hiſce ſtudiis occupabantur. *Gregor. l. 2. Dial. c. 11.*

Studiis vero privatis & particularibus tempus lectioni deſtinatum impen-

pendebatur, nempe quaternæ circiter in diem horæ, præter illud intervallum, quod quiſque ſibi ſumere poterat nocturno tempore. Binas horas matutinas Regula per totum annum lectioni aſſignat, excepta quadrageſima, qua trium horarum ſit lectio. Præterea a menſe Octobris uſque ad Quadrageſimam, tempus quod a prandio uſque ad veſperas reliquum erat, legendo inſumebatur, id vero facere licebat etiam per horam meridianam tempore æſtivo.

Si quæras de nocturnis horis, quas numerus duodenus explebat, quæque ſpatio inæquali juxta anni tempeſtates currebant; cum S. Benedictus certam cubitus horam non ſignet; poſt Matutinum & Laudes, quæ ad ſummum ternis horis abſolvebantur, par ſaltem horarum ſumi poterat de reliqua nocte, ſeptem quietis horis cuique remanentibus. Adeo ut hoc pacto quinque aut ſex horæ lectioni ſeponi quotidie potuerint, extra tempus divini Officii, atque operis manualis. Id vero ſatis ſuperque erat ad acquirendas ſcientias, quibus quiſque opus habebat.

Supereſt jam ut de ſtudiis extraordinariis dicamus. Aſſentit D. Ab-
pag. 159. bas, quod *ſi qui eximiis ingenii dotibus præditi fuerint, a communibus exer-*
& 160. *citiis immunes reddi poterunt*, nempe, *a manuali labore; & licebit illis ma-*
pag. 228. *jorem librorum copiam atque alia ſubſidia ſuppeditare, ut queant in poſterum alios*
erudire aut verbo aut ſcriptis. Alibi quoque ait, *ambigi non poſſe, loquendo*
pag. 157. *de ſtudiis prolixis & ordinatis, quæ quis aggreditur ex Superioris juſſu, quin*
Superioribus liceat nonnumquam aliquos ſuorum fratrum ad hæc ſtudia dirigere,
atque illos a communi labore eximere. Nam Eccleſiæ, aut ipſi Monaſterio tam
magnam utilitatem fortaſſe allatura ſunt eorum ſtudia, & literarum profectus, ut
æquiſſima ratio ſuadeat cum illis diſpenſari, ne Eccleſia, aut Monaſterium utili
opera fraudentur, quam horum Fratrum doctrina præſtare olim poterit. Porro
S. Bened. hæc diſpenſatio Regula ipſa firmatur, quæ a Culinæ miniſterio Celle-
c. 35. rarium, alioſque Monachos eximit, *qui majoribus utilitatibus occupantur*.
S. Thom. Propter eamdem cauſam S. Thomas *ab opere manuali excuſari* ſtatuit,
2. 2. qu. *qui operibus ſpiritualibus* (puta Lucubrationibus & Concionibus) *vacant*:
187. art. Cujus aſſertionis duas rationes affert; primo quod hæc munera totum
3. ad 3. requirant hominem: deinde quod eadem capeſſentes digni ſint, ut ſuus
ſibi victus non deſit. At non idem erit dicendum de illis, qui ſtudiis privatis & particularibus occupantur, *qui prædictis operibus non quaſi publicis, ſed quaſi privatis vacant*: neque eos propter hujuſcemodi ſtudium excuſari putat D. Thomas ab opere manuali; quæ opinio cum ea, quam in Tractatu de Studiis exhibui, apprimè conſentit.

Haud equidem puto, aliter quoad hoc viſum fuiſſe priſcis Orientis Solitariis. Nam quod attinet ad ſtudia communia, compertum eſt ex Regula S. Baſilii, aliiſque veteribus monumentis, præceptorem adhiberi ſolitum, qui pueros literas doceret. Novimus pariter, Tabennis fuiſſe Magiſtros, quos inter ſub Abbate Theodoro S. Pachomii diſcipulo Theodorus Alexandrinus & Auſonius Pereæ hoc munere defuncti ſunt. Tabennates admonet S. Iſidorus Peluſiota, ne horum Doctorum numerum nimis augeant.

Ex

Digitized by Google

Ex quodam libro recens vulgato circa hodiernum Eccleſiæ Græcæ ſtatum colligimus, noſtra adhuc memoria in monte Atho, & per ejus ambitum viginti circiter Monaſteria reperiri, quorum Monachi regularitate diſciplinæ & auſteritatis fervore antiquis Solitariis nequaquam ſunt inferiores; ubi ii, qui in Clerum non ſunt adſcripti, omnigenis laboribus & opificiis extra Divini Officii tempus occupantur; at Diaconi & Presbyteri horum laborum immunes, poſt Officium & Orationem tranſcribendis & conferendis libris veteribus cum novis tantummodo vacant.

Inter Latina Cœnobia Lerinenſem Abbatiam Doctoribus abundaſſe, qui literis juniores alumnos erudiebant, vidimus ſupra. Hoc munere ibi functus eſt Vincentius Lerinenſis vir celeberrimus. Sed quæ de hoc argumento alibi * dixi, hic non repetam. ** art. 21.*

Typus Regularis Diſciplinæ, quam S. Benedictus in ſuis Monaſteriis conſtituit, ab his exemplaribus ortum habet, adeoque ſtudiorum praxim involvit. Priſcæ hujus diſciplinæ inditium ſumi poteſt ex ſtudendi ritu, qui ſecundo Ordinis ſæculo obtinuit in duobus S. Benedicti Biſcopi Monaſteriis; nam hic Sanctus Abbas eo modo conſtituerat hujuſce rei obſervationem, quo viderat factitari in ſeptemdecim Cœnobiis, quæ in Galliis, Italia & Anglia dedita opera luſtraverat. Sub illo Venerabilis Beda didicit ab aliis Monachis omnes ſcientias, quas poſtea confratribus ſuis tradidit, dum Abbas interea cum reliqua Communitate labore manuum occuparetur, ut narrat ipſe Beda loquens de Abbate Eſterwino: *Fratrumque ſimillimus aliorum, ut ventilare cum eis, & triturare, oves vitulaſque mulgere, in piſtrino, in horto, in coquina, in cunctis Monaſterii operibus, jocundus & obediens gauderet exerceri.* Inter Monaſteria, quæ adierat S. Benedictus, numeratur Luxovienſe, in quo nemo ignorat, a S. Columbano opus manuale fuiſſe inſtitutum: nec minus compertum eſt, ſtudia ſcientiarum tractari ibidem conſueviſſe. S. Bertinus, duoque ejus ſocii, Mommolinus, & Ebertranus, qui inde exierant, ut S. Audomarum apud Belgas inviſerent, fuerunt viri *in fide perfecti catholica, & in Eccleſiaſticis diſciplinis, atque in divina ſcriptura eruditi.* S. Bonifacius quamvis Fuldæ illuſtrem Eccleſiaſticarum ſcientiarum Academiam fundaſſet, non ideo tamen ſuos Monachos ab opere manuali immunes eſſe voluit, nam ex eo ſibi victum quærebant, *proprio manuum ſuarum labore contenti*, congruenter iis, quæ factitari viderat, atque ipſemet uſu didicerat in Anglia; unde evocavit præceptores ad docendum in Academiis, quas apud Germanos erexerat, *ſcientiaque varia imbutos venire fecit.*

Vita S. Bened. Biſcopi n. 8.

Vita S. Audom. n. 7.

Othlon. l. 1. n. 25.

Nono ſæculo S. Benedictus Anianenſis redintegrato Regulæ uſu in quamplurimis Galliarum Cœnobiis, inibi Lectores præfecit, ut refloreſcerent ſtudia, nulla ceteroquin facta laboris imminutione, quemadmodum perſpicue oſtendi articulo 13., ad quem Lectorem mittimus ne eadem iteremus. Eadem praxis undecimo ſæculo denuo viguit per diverſas Monaſteriorum Reformationes. Videſis quæ ſcribit Willelmus Gemetenſis de operibus priſcorum Monachorum Beccenſis Monaſterii, *Willel. Gemmet. pag. 261.*

Willel. Mal. lib. de Pont. Ang.

quod ceteroquin doctrinæ & ſcientiæ fama adeo inclaruerat. Willelmus Malmesburienſis refert, Abbatem Herluinum, piſtorio opificio, fimi tranſportatione, & hujuſmodi aliis abjectis operis exerceri ſolitum; dum interea Lanfrancus, qui erat ad hos labores ineptus, publicas ſcholas profiteretur, in quibus Dialecticam atque alias ſcientias docebat. S. Godefridus, qui poſtea ad Ambianenſem Epiſcopatum evectus fuit, cum quinquennis Deo fuiſſet oblatus in Abbatia S. Quintini prope Peronam, juſſu Abbatis *diſciplinas tum liberales, tum Monaſticas* diligenter addidicit.

Vita S. Godefridi apud Surium.

Denique in Concilio Viennenſi anni 1311. ſub Clemente V. ſancitum fuit ſub gravioribus pœnis, ut Abbates juniores alumnos inſtruere faciant *ſcientiis primitivis*, hoc eſt Rhetorica & Philoſophia, ut proficiendi in ſcientia via illis opportuna non deſit. Poſt illud tempus nulla umquam inſtituta fuit in noſtro Ordine Reformatio, quæ itidem ſtudia non redintegraverit, opere manuali numquam propterea ſuppreſſo. Hæ Reformationes Conſtitutionibus a ſancta ſede approbatis fuerunt corroboratæ. Concilia vero Generalia Superiores ad ſtudiorum ſubſidia Monachis ſuppeditanda compulerunt. Ea res præcipue fecit, ut Patres Concilii Colonienſis juberent, Abbates immunitatem *a ſordidioribus officiis* Religioſis ſuis elargiri, *quos compererint divinis literis intentos*. Quæ verba non modo quidquid pertinet ad Sacram Scripturam, ſed & Theologiæ ac Sanctorum Patrum ſtudium comprehendunt, ut probavi articulo 15. Hoc ſenſu intelligenda ſunt quæ in Vita S. Joannis Gorzienſis legimus, hunc nimirum fuiſſe adeo *divinarum literarum libris* intentum, *ut eminentiſſimorum Doctorum fere nullus eum præterierit*.

Vita S. Joann. Gorzen. nu. 83.

Hactenus per hunc triplicem ac diverſum Ordinis S. Benedicti ſtatum euntes, quatenus pertinet ad ſtudiorum rationem, demonſtravimus ex ipſo uſu & diſciplina, ſtudium non eſſe cum opere manuali incompatibile: & ſi quando cum aliquibus Monachis propter peculiares cauſas fuit diſpenſatum, hoc nihilominus exercitium in Communitatibus jugiter ſubſtitiſſe. Ultimis hiſce temporibus prolixitas laboris imminui tandem debuit, eo quod divina Officia multum excreverint poſt S. Benedictum, cujus ætate majores miſſæ ſolis Dominicis & diebus feſtis celebrabantur. Noſtra vero memoria, quum hic ritus quotidie ſervetur; ſi id fiat hora quam notant Rubricæ, tempus a Regula labori aſſignatum retineri non poteſt. In quibuſdam Cœnobiis Ciſtercienſibus Reformatis cantantur hæ miſſæ ſex ante meridiem horis; ideoque plus temporis ſupereſt labori; at id fieri non poteſt apud nos, quorum Cœnobia intra aut prope Civitates ſita ſunt; quamvis forte hic ritus ab ordinaria Eccleſiæ conſuetudine minime diſſideret.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS XXIV.

De ſtudiis privatis, ſive particularibus apud Monachos Ciſtercienſes, & Carthuſianos. Idea horum ſtudiorum a S. Hieronymo deſcripta.

CUm in Ordinem Ciſtercienſium & Carthuſianorum ut plurimum viri ætate jam confirmata reciperentur, minus propterea neceſſarium fuit, ibi ſtudia conſtitui ad puerorum eruditionem, velut in Ordine S. Baſilii, & in noſtro, ubi admittebantur pueruli, quibus inſtructione opus erat. Qui in duobus illis Ordinibus modo memoratis Monaſticum inſtitutum amplectebantur, utpote viri puerilem diſciplinam emenſi, ſatis ſcientiæ ad legendum, & privatim ſtudendum plerumque poſſidebant, ſi literis in ſæculo operam dederant: Si vero literarum expertes erant, externis officiis ut plurimum exercebantur.

At nihilominus vel ab ipſis Ciſtercienſis Ordinis primordiis, ſcholarum uſus apud illos obtinuit, ut in literis confirmarentur ii, qui ante quindecim ætatis annos Ordini nomen dederant. Harum Scholarum meminere prima Ordinis Statuta cap. 79. aut 80. juxta aliqua Exemplaria, ubi leguntur hæc verba. *Nullus puerorum doceatur literas intra Monaſterium, vel in locis Monaſterii, niſi ſit Monachus, vel receptus in probatione novitius: quibus tempore lectionis diſcere liceat.* Inde contigit, ut cum puellam Hildegundam, quæ in hujus Ordinis Cœnobium virili veſte induta ſub Joſephi nomine ſe receperat, minus emendate legentem Abbas audiſſet, magiſtrum increpaverit, eo quod junioris hujus alumni inſtructionem negligeret.

Conſtat tamen, pleroſque illorum, qui in Monaſterium Claræ Vallis concedebant, puta ſub S. Bernardo, viros fuiſſe jam abſolutos, & ſcholarum ſubſidio minime egentes, ad hoc ut lectionum fructum caperent, quæ illis privati ſtudii loco eſſe poterant. Hinc fit, ut Jacobus de Vitriaco loquens de hujus Ordinis Monachis in ſua Occidentali hiſtoria, dicat, nonnullos illorum *Scripturarum intelligentia, alios gratia prædicationis, & gratia ædificationis præpotentes* fuiſſe.

Quod ad eorum lectiones ſpectat, Petrus Bleſenſis in elogio hujus *Petr. Bleſ.* Ordinis teſtatur, quod Monachis quoſcumque libros non contemnen- *Epiſt. 86.* dos fuerit *legendi libertas*. Idem Auctor, qui ſub hujus Ordinis initia in vivis erat, in alia Epiſtola ad quemdam Ciſtercii Priorem, eum ſtatim *Id. Ep. 4.* laudat, quod in virtutis exercitio quotidie magis progrederetur; & in extrema Epiſtola reſpondet ad quaſdam quæſtiones literarias a Priore ſibi propoſitas circa ſuum *de Præſtigiis fortunæ* librum, cujus argumentum nihil ſane minus eſt quam aſceticum, ut ex fragmentis, quæ ſuperſunt, conjicere licet. Quæ res ſatis oſtendit, quam vere in illa alia Epiſtola Petrus Bleſenſis affirmaverit, Ciſtercienſibus Monachis libros quoſcumque *legendi libertatem* fuiſſe.

Sed ut de ſtudiis particularibus, & privatis horum Monachorum judicium feramus, legenda eſt Epiſtola, quam Philippus Eleemoſynæ Abbas, olim Prior Claræ Vallis ſub S. Bernardo, ſcripſit ad Abbatem Lætienſem, quod eſt noſtri Ordinis in Annonia Monaſterium. In hac Epiſtola, quæ eſt ordine 24., gaudium præſefert, quod hic Abbas Sacræ Scripturæ & Patrum ſtudio ſeſe addixerat. *Non parum mihi gaudium præſtat, quod audio & ſcio vos ſacris literis aſſuetum, & Sanctorum Patrum ingenia revolvere, quos in auctoritatis arce mater Eccleſia repoſuit & evexit.* S. Auguſtinum reliquis Patribus præfert, cujus quædam Opera in Bibliotheca ſuæ Abbatiæ reperiri admonet, atque ea tranſcribendi Abbati copiam facit, ſi lubeat ad ſe mittere *ſcriptorem, & membranas*. Hæc opera ſunt Commentaria in Job, libri contra Felicem Manichæum, contra Pelagium, & Cæleſtium, contra duas Epiſtolas Pelagii, ſingula prorſus dogmatica, & Controverſiarum plena, quorum lectionem D. Abbas Monachis ſuis nequaquam ſane permitteret. Attamen hæc Opera cum aliis in Bibliotheca Abbatiæ Eleemoſynæ reperiebantur. Philippus vero, qui fuerat S. Bernardi diſcipulus exhibet horum operum communicationem Abbati Lætiarum: *Si alicubi reperire non poteſtis, & omnino vultis habere*. Et vel ex hoc patet, quod eorum lectionem non improbaverit; imo & ſibi & Monachis ſuis ceteroquin idoneis permiſerit, juxta Petri Bleſenſis verba ſupra relata, *agendi libertas*.

Heribert. de mirac. l. 2. c. 38. Satis eſt manifeſtum, quod Religioſi hujus Ordinis lectioni S. Auguſtini ſedulo præ aliis incumberent, exemplo B. Hugonis Fontenlacenſis, viri ſapientis, & literarum ſcientia clari, qui licet omnia bonæ frugis & ſpiritualia ſcripta libenter perlegeret, *præcipue tamen librorum S. Auguſtini erat ardentiſſimus amator*; & hunc Sanctum Doctorem tanta proſequebatur veneratione, ut die illi ſacra mori optaret; quod & cælitus impetravit. Heribertus, qui è Ciſtercienſi Monacho conſecra- id. l. 2. c. 9. tus fuerat in Sardinia Archiepiſcopus hanc hiſtoriam narrat, & item aliam huic conſimilem de quodam Monacho Claræ Vallenſi, quem haudquaquam nominat.

Ubi vero Jacobus de Vitriaco Ciſtercienſes Monachos laudat ut prædicationis gratia præpotentes, innuere procul dubio mihi videtur eos, quos Romanus Pontifex adhibuit, ut hæreticos Albigenſes publice confutarent. Arnaldus Abbas Ciſtercii cum aliis duodecim Abbatibus, ac pluribus ſui Ordinis Monachis, hujus legationis caput erat. Eorum Monachorum præcipui fuerunt Petrus de Novocaſtro, & Radulphus, quos Petrus de Vaux-Sernai appellat in ſua hiſtoria *viros perfectæ & ſanctæ ſcientiæ*. Hic Auctor de Petro ſingillatim loquens, qui poſtea martyrium ſubiit, eum fuiſſe refert *in lege peritum, in ſermone facundum, & plene in ſchola Chriſti* (hoc eſt intra Monaſterii ſepta) *didiciſſe quod doceret*.

pag. 87. Non ſine *fundamento* igitur, ut contendit Reſponſionis Auctor, affirmavi *Monachos Ciſtercienſes ab exordio ſuæ inſtitutionis ſtudiis ſcientiarum* pag. 88. *ſeſe addixiſſe*: ac miror quod ait D. Abbas, *ne verbum quidem in eorum primis ſtatutis occurrere, unde inferri poſſit, quod ſtudio operam dederint*. Ut

tibi

tibi ſuadeas, rem aliter ſe habere, legendum tibi eſt tantummodo caput, quod ſuperius innui *de pueris literas diſcentibus*.

Compluribus hiſtoricis monumentis ad hujus rei fidem faciendam uſus fueram, nec non & rationibus inde petitis, quod S. Stephanus tertius Ciſtercienſium Abbas plures Hebræos oppido peritos adhibuerat ad emendationem Codicum Sacræ Scripturæ; tum ex eo quod permiſſum fuerit juveni Principi Othoni, qui profeſſionem Morimundi emiſerat, ad Univerſitatem Pariſienſem pergere, ſtudiis operam navandi cauſa; præterea ex auctoritate S. Bernardi, qui in quodam ex ſuis ſermonibus in Cantica teſtatur, ſibi non eſſe propoſitum literarum ſtudia vituperare; & ex illa Abbatis Gilleberti, qui de quibuſdam ſui Ordinis Superioribus conqueritur, quod non modo negligerent ſe ita comparare, ut ſuos poſſent Monachos doctrinæ præceptis imbuere, ſed & eos qui ſtudio ſe dederant, redarguerent.

Quod ad primum argumentum attinet, contendit D. Abbas, factum S. Stephani Ciſtercienſis *ſuæ ſententiæ patrocinari, cum inde pateat præcipuum ejus ſtudium atque exercitium in Divinis Scripturis ſtetiſſe*. Optime quidem; ſed ad hoc ſtudium normam criticam adhiberi cernimus, quam improbat D. Abbas. Inſuper materiæ enucleatè diſcutiuntur, & Doctor aſſumitur, doctor, inquam, Hebræus, cui non niſi caute & prudenter fidendum erat in mutationibus & emendationibus Sacri Textus. Tantumdemne pateretur D. Abbas in ſuo Monaſterio peragi? *Pag.* 104.

Othonis exemplum, (ait) *nullius eſt ponderis; quippe juvenis Principis conditioni, auctoritati & gratiæ Leopoldi ejus patris, & domus Auſtriacæ indultum eſt quod ei denegari non potuit*. Ceterum id factum fuit *CONTRA morem* (ait Manriquez Scriptor Hiſpanus; qui quomodo illa ætate domum Auſtriacam!) Sed fieri-ne potuit, ut viri tam magna pietate conſpicui, cujuſmodi fuerunt primi hujus Ordinis Patres, humanis rationibus ducti, eam rem permiſerint, quæ in hoc juvene omnem religionis ac pietatis ſenſum abolitura erat, juxta D. Abbatis principia, neque veriti fuerint adeo grave vulnus Ordini infligere? Sancti, inquam, illi ac pii viri qui vel ubi minimum de rebus ſuis agebatur, Principes intrepide ac libere alloquebantur, prout in gratiam Stephani Epiſcopi Pariſienſis olim ſe geſſerunt apud Ludovicum Craſſum, & ſæpe alias. *Pag.* 95.

Sanctum vero Bernardum, putat D. Abbas, *non alloqui Monachos*, dum humanarum ſcientiarum ſtudia ſe nullatenus improbare præſefert; *nam licet ſuos ſermones coram Religioſis ſibi ſubditis recitaret, noverat tamen illos in quorumlibet aliorum manus perventuros, & nolebat alicui offenſionis cauſam præbere*. 105.

Sed ne ipſis quidem Monachis offenſionis cauſa præbenda erat, qui ex illius verbis conicere poterant, humanarum ſcientiarum ſtudium in ipſis etiam laudari; nam generatim & ſine ulla reſtrictione dixerat, ſe illud ſtudium nullatenus improbare. Præterea quorſum in his ſermonibus libuit de Gilberti Poretani erroribus, de Colonienſium hæreticorum atque aliorum complurium ſectis diſſerere? Quid referebat

hos

hos errores longa confutatione perſequi, ſi mens fuiſſet Dogmaticam & Polemicam Theologiam Monachis interdicere? Nonne hæc agendi ratio illis offenſioni eſſe poterat?

Quæ de Gilleberto Abbate retuli, *ne minimum quidem*, ais, *difficulta-*
pag.105. *tem attingunt*.

At mihi ſecus multo videtur. Illud enim denique conſtat, Gillebertum de quibuſdam Superioribus conqueri, quod ad differendum de rebus ſpiritualibus ſe comparare negligant. Numquid hujuſcemodi facultas ſine ſtudio acquiritur? Propoſitum ergo illi erat ſaltem, ut Superiores ſtuderent. At quo tandem modo ſtudio ſe addicerent, qui antequam Superiores eſſent, ab illo abhorruerunt? Præcipue vero quoſdam Abbates redarguit, qui *propria non contenti inſcitia contemnunt aliorum ſcientiam; & invidi æſtimatores ſapientiæ ſtud a ſtoliditatem interpretantur, ſobriam ſubtilitatem inſaniæ vel jactantiæ denigrant nota*. Plane ſimiliter etiam nunc agitur aliquando cum quibuſdam Superioribus, qui amant ſtudia ſcientiarum: *Malumus*, dicebant olim quidam Religioſi Abbati Trithemio, *Malumus Abbatem aratorem, quam oratorem*. Idem fere dictitantes inducit Gillebertus quoſdam ſui Ordinis Monachos.

Innueram in Tractatu de ſtudiis, mihi conſilium eſſe ſilentio præte-
„ rire fundationes Collegiorum Luteriæ, Tholoſæ, & aliorum, quæ
„ dehinc data opera condita fuere, ut Ciſtercienſis Ordinis Monachis
„ interviri nt, ad univerſitates illas ſtudiorum cauſa advenrantibus;
„ eo quod non niſi ſæculo ſecundo ab Ordinis exordio hujuſmodi Col-
„ legia erecta fuere, ac proinde tali ævo, quo a primæva Regularis
„ diſciplinæ inſtitutione Ciſtercienſes aliquatenus deſciverant; & ſa-
„ ne non ſine acri Patrum oppoſitione Pariſienſe Collegium incæperat. Præterire iſta libuit, nec ullum inde in ſtudiorum commendationem apud Patres Ciſtercienſes argumentum conficere præſumpſimus;
pag. 69 & ſeq. ideoque prolixa narratio, quam ex Matthæo Pariſienſi atque aliis refert D. Abbas contra horum Collegiorum Fundationem, inepte mihi obtruditur; potiſſimum enim confirmat quæ pluribus locis profeſſus ſum, ac præſertim capite 12. Primæ Partis, ubi aſſero, ſane multo majora abſurda in publicis univerſitatum ſtudiis, quam in ſcholis privatis Cœnobiorum contingere poſſe. Quamvis enim Monachi in dictis Collegiis habitent a Laicorum conſortio ſemoti, nihilominus quia multoties ſimul converſari coguntur, ſive ſtudiorum cauſa, ſive cum ad gradus ſunt promovendi; idcirco eo quandoque redigunrur, ut vix poſſit fieri, quin infectum mundi aerem identidem attrahant, Monaſticam pietatem ſenſim ſine ſenſu corrumpentes, quæ omnino a ſæculari contagione debet eſſe remota. Majori adhuc cum intentione verborum hac ſuper re memini in progreſſu me diſputare, ut patet ex capite 10 Secundæ Partis. Et hæc ſint dicta ad confutandum, ſeu potius declarandum quod hoc loco in Reſponſione aſſertur, perinde ac ſi ea mihi Collegia probata fuerint, & ad noſtrorum ſtudiorum patrocinium inde argumenta detorſerim.

Multum nihilominus abeſt ut hæc Collegia auſim damnare, poſt-

quam

Digitized by Google

quam Conciliorum & Summorum Pontificum auctoritate & ſuffragio fuerunt corroborata. Vide hac de re Conſtitutiones Benedicti XII., & Alexandri VI. pro Ciſtercienſium Ordine. Concilium Colonienſe anni 1536. profitetur, non fore ſibi injucundum, quod quidam Religioſi ingenii præſtantia, & morum probitate ornati ad hæc Collegia non procul ab univerſitatibus fundata mittantur. Eadem res legitur *Concil.* permiſſa in Concilio Remenſi anni 1581. Remenſe vero anni 1585. ait *Rem. tit.* ſibi videri id magni momenti eſſe: *Operæ pretium eſſe putamus, ut ali-* *de Reg.* *quot ex junioribus qui ſint bonæ indolis, in Academias bene Chriſtianas proficiſci* *n. 5.* *permittantur, literis humanioribus, Theologicisque operam daturi, modo in Collegiis regularibus &c.* Haud ſecus ſtatutum fuerat biennio ante in Conciliis Turonenſi & Burdegalenſi. Quæ ſtatuta omnino conſentanea *Concil.* ſunt Concilii Tridentini Decretis, quibus injungitur Ordinariis, ut *Trid. ſeſſ.* procedant adverſus eos, qui ſtudiorum cauſa ad univerſitates miſſi, *25. c. 4.* extra hæc regularia Collegia habitare præſumpſerint. Si Matthæus Pa- *de Refor.* riſienſis omnia hæc Pontificum & Conciliorum ſtatuta vidiſſet, & niſi animo nimis infeſto fuiſſet in Regulares mendicantes, qui his Collegiis utebantur, non ita fortaſſe ea inſectando exarſiſſet.

Pro iiſdem Collegiis Apologiam ſcripſerunt S. Thomas & S. Bonaventura adverſus Gulielmum de Sancto Amore; & licet metuendum ſit ne animorum diſtractio, & diſciplinæ labes in hæc Collegia obrepant, prout revera quam ſæpiſſime accidit propter immunitates & privilegia, quorum nimius uſus invaluit; arbitrari tamen fas eſt, Eccleſiam, cui hæc abſurda innoteſcunt, nolle has fundationes penitus improbare, ex quibus poteſt magna utilitas conſurgere, dummodo Eccleſiaſticæ regulæ, & Monaſteriorum Conſtitutiones inibi accurate ſerventur. Ignoſcent mihi æqui lectores in hac a propoſito brevi digreſſione, cui anſam præbuit ſtudiorum Ciſtercienſium commemoratio, ac Monachorum noſtri Ordinis patrocinium; hi enim univerſitatum haud raro ſunt membra, aut ibi Doctorum partes implent, puta Duaci & Salamanticæ; aut demum ipſimet ſunt earum moderatores, & magiſtri, ut Salisburgi.

Sed ut ad Carthuſienſes veniamus, ipſi quoque ſtudiis plurimum ſe dederunt, ut oſtendi exemplo Vener. Guigonis, quinti Magnæ Carthuſiæ Prioris, qui ceu quoddam exemplum, quod reliqui in hoc Ordine imitarentur, fuit. Addi huic poſſunt quamplurimi magni viri ejuſdem Ordinis, qui cum pietate magnam conjunxerunt applicationem ad lectiones particulares, quas ego a ſtudiis non ſeparo quoties aſſiduæ ſunt & graves. Hujuſmodi fuerunt illæ, quas ipſemet peragens ſuis quoque Monachis injungebat S. Hugo, qui ex Priore Victamni in Anglia Lincolnienſis Epiſcopus fuit renunciatus. Dum in Refectorio una cum fratribus veſceretur, intentis auribus ad lectionem, & erecto ad Deum corde jugiter permanebat. In ſua vero cella ſumenti cibum perpetuo erat ante oculos apertus liber. *Non ſegnem operam ſacris impendebat Codicibus, quos Religioſis quibuſcumque neceſſarios, & maxime vitam ducentibus ſolitariam dicebat. His enim pro deliciis & divitiis tempore tran-*

quillo;

quillo; bis bellico in procinctu pro telis & armis, bis in fame pro alimonia, bis in languore pro medela Monachis utendum eſſe memorabat. En quale apud ſe Sancti illi Monachi judicium tulerint de libris, de lectionibus, de peculiaribus ſtudiis, quibus operam navare poterant. Eodem modo mihi videntur comparati eſſe debere quicumque Monaſticum inſtitutum profeſſi ſunt.

Neque pii illi Solitarii aſceticos tantummodo libros legere contenti erant: evolvebant quoque Opera Patrum, quæ de Dogmatibus & fidei argumentis tractant. Ex libris, quorum ſe participem fieri petiit Guigo a Petro Venerabili Abbate Cluniacenſi, erat Codex Divi Ambroſii adverſus Præfectum Symmachum, & S. Proſperi contra Caſſianum, in quibus profecto non agitur de rebus ad vitam aſceticam pertinentibus, quibus D. Abbas Monachorum ſtudia concludi ſtatuit.

pag. 109. *Sed quænam eſt hæc illatio,* inquit Reſponſionis Auctor. *Sermo eſt de Generali Ordinis, viro doctiſſimo & ſanctiſſimo, qui magnam vim ſcientiæ adeptus fuerat, antequam in ſolitudinem ſecederet abdicata Decani dignitate, quam in Eccleſia Gratianopolitana obtinebat. Lucernam hanc de ſub modio eductam poſuit Deus ſupra candelabrum. Quid mirum, ſi quarumdam veritatum notitiam ſibi comparare voluerit?*

Prorſus id mirum non eſt; ſed ne grave quidem ulli eſſe debet, quod Superiores peculiaribus veritatibus, quæ ad Eccleſiæ Dogmata ſpectant, erudiantur. In Monachis etiam privatis, quibus ad hæc cognoſcenda ſatis perſpicax ingenium eſt, hujuſmodi ſtudium improbari non debet, quoties Superioris judicio & nutu ad illud dirigantur propter ſuum aut Eccleſiæ bonum.

Venerabilis Guigo ſtudia quibus occupabatur (ſubdit D. Abbas) *ad ſeipſum referebat, non vero ad ſuos Fratres.*

Quid igitur ſtatuit, ut nota Critica, qua Epiſtolas D. Hieronymi ipſe diſcreverat, in fronte Exemplarium, in quibus Sancti Doctoris Epiſtolæ tranſcribebantur, locaretur? Nonne eo, ut Fratres univerſi cum hac diſcretione & criſi has Epiſtolas legerent? Opus-ne erat hac cenſura quibus lectio ſimplex proponebatur? Quid refert, dixiſſet aliquis, hæc vel illa Epiſtola vere ſit S. Hieronymi, nec ne, modo utiliter legatur.

Quid magis conſentaneum, & probabile, pergit D. Abbas, *quam quod docto Superiori cupido inceſſat cognoſcendi, quæ fuerit cauſa cur S. Proſper Caſſiani fidem & in rebus Religionis opinionem ſuſpectas haberet, cum ceteroquin opera Caſſiani jugiter præ manibus ſuorum fratrum eſſe debeant? An inde poteſt generatim inferri (ut fit) hujuſmodi ſanctos viros in Ordine Carthuſienſi ad libros animum intendiſſe, quos in Orthodoxæ fidei & Eccleſiaſticæ doctrinæ defenſionem conſcripſerant, veteres Patres?*

Ut hanc concluſionem ducamus, præter Opus S. Proſperi adverſus Caſſianum, quod ceteroqui prorſus eſt dogmaticum, illud etiam facit S. Ambroſii contra Symmachum, cujus nulla eſt cum materiis aſceticis analogia. Nonne igitur perſpicuum eſt, Guigonem dum petit ut ſibi tranſcribendi hæc Opera copia fiat, ea non ſibi ſoli obiter legenda deſti-

deſtinare, ſed & in Carthuſiæ Bibliotheca ſervanda pro ſuorum Fratrum eruditione diſponere? Baſilius quoque Guigonis ſucceſſor rogavit Petrum Venerabilem, ut ſibi *quoſdam Ambroſianos libros* commodaret, quos Petrus ad eum mittere ſe non poſſe ſine mutui ſcheda reſpondet, juxta conſtitutionem, quam hac de re juſſerat S. Hugo. Non ſolum igitur Bibliis, aut Patrum in Biblia explanationibus, librisve aſceticis, divites illæ Carthuſianorum Bibliothecæ, quas eximie laudat Guibertus, abundabant; ſed & omnibus Patrum ſcriptis tum ad eminentiorem dogmatum doctrinam, tum ad ſpirituales materias pertinentibus. Quod ſi inde, Solitarios ad Dogmaticam Theologiam æque ac ad aſceticos tractatus animum omni tempore adjunxiſſe colligimus, non propterea *in barena ædificamus*, ſed ſtabilibus fundamentis ſuperſtruimus, quibus non niſi levia & caduca reſponſa obtrudi poſſunt. *Pet. Ven. lib. 4. Ep. 38.*

Denique ut ſtudiorum particularium materiam gemmea fibula, ut dicitur, concludamus, ſtudendi methodum hoc loco referemus, quam Sanctus Hieronymus exponit ſcribens ad Lætam, Romanam illam ſapientem matronam, pro inſtructione Paulæ Junioris ejus filiæ. Vult „ quippe Sanctus Doctor, ut illa pro gemmis & ſerico divinos codi- „ ces amet, in quibus non auri & pellis Babylonicæ vermiculata pi- „ ctura, ſed ad fidem placeat emendata & erudita diſtinctio. Diſcat „ primo Pſalterium, his ſe canticis avocet, & in Proverbiis Salomo- „ nis erudiatur ad vitam. In Eccleſiaſte conſueſcat quæ mundi ſunt „ calcare. Job virtutis & patientiæ exempla ſectetur. Ad Evangelia „ transeat, numquam ea poſitura de manibus. Apoſtolorum acta & „ Epiſtolas tota cordis imbibat voluntate. Cumque pectoris ſui cella- „ rium his opibus locupletaverit, mandet memoriæ Prophetas, Pen- „ tateuchum, & Regum, & Paralipomenon libros, Eſdræ quoque „ & Eſther volumina. Ad ultimum ſine periculo diſcat Canticum „ Canticorum: ne ſi in exordio legerit, ſub carnalibus verbis ſpiritua- „ lium nuptiarum Epithalamium non intelligens vulneretur. Caveat „ omnia apocrypha. Et ſi quando ea non ad dogmatum veritatem, „ ſed ad ſignorum reverentiam legere voluerit, ſciat multa his admix- „ ta vitioſa. Cypriani opuſcula ſemper in manu teneat. Athanaſii „ Epiſtolas, & Hilarii libros inoffenſo decurrat pede. Illorum tracta- „ tibus, illorum delectetur ingeniis, in quorum libris pietas non va- „ cillet. Ceteros ſic legat, ut magis judicet quam ſequatur. Sed quoniam difficile foret hæc omnia exequi inter numeroſæ familiæ curas ac ſtrepitus, cujuſmodi erat domus hujus Romanæ mulieris; monet illam S. Hieronymus, ut natam erudiendam mittat ad Monaſterium Bethleemiticum, in quo *Monaſterio nutrietur* ſub diſciplina Euſtochii, ibique neſciet ſæculum, & Angelicè vivet. Ibi inveniendus illi erat Magiſter, qualis in Epiſtola deſcribitur, a quo hæc puella, quemadmodum ipſe cupit, educetur atque inſtituatur. Hac vero educatione non tam erat animus mulierem doctam efficere, quam ſanctitate imbuere; *ſic erudienda eſt anima quæ futura eſt templum Dei*. Patet hinc quam manifeſtiſſime, juxta S. Hieronymi ſententiam, has lectiones, hæc *Hieron. lib. 2. Ep. 15. ad Lætam.*

ſtudia egregie conferre ad charitatem in Deum, atque ea peragi poſſe in Monaſteriis virorum, quandoquidem in puellarum Sodalitiis exerceri potuerunt.

ARTICULUS XXV.

De Studiis Extraordinariis penes Solitarios: de eorum Compoſitionibus, Concionibus, & Miſſionibus.

DE ſtudiis communibus ac particularibus Monachorum hactenus diſputatum eſt; ad poſtremum ſtudiorum Monaſticorum gradum jam venimus, quæ in eo genere exercitationum ſita ſunt, quibus Cœnobitæ a ſuis Superioribus occupari poſſunt. In hoc numero privatas elucubrationes quæ univerſis poſtea communicantur, tum publicas Conciones & Catecheſes, denique miſſiones extraordinarias, locamus. Nullum ex his officiis probare videtur D. Abbas; quas vero rationes opponit æquum eſt ut diſcutiamus.

I.

Monachi qui aliquid parant in lucem edere, vel Tractatus ſcribunt, vel Patrum Opera ad manuſcriptos Codices recognoſcunt, aut verſiones concinnant.

Pag. 335. Circa Tractatuum compoſitionem hæc habet D. Abbas. *Si contigerit Monachos ad ſcribendum compelli S. Leonis hortatu, ut Caſſianum; multiplici Sanctorum Præſulum ac illuſtrium Virorum ſuaſione, ut S. Bernardum; nemo crimini dabit, quod calamum arripiant. Si vero ex ſuo-met ingenio, cui omnes diffidere debent, ad ſcribendum ferantur, nihil eſt quod timere non poſſint; ſummopere autem periculoſum eſt cupiditatem aucupandi famam in Monachis excitare.*

Poſtremam hujus alternationis partem ego quoque libenter probo; atque hac ſuper re perſpicue quid ſenſerim, intelligi poteſt ex pluribus Tractatus mei locis, præſertim vero ex fine tertiæ Partis, ubi Divi Hieronymi verba protuli, quæ D. Abbati adeo viſa ſunt diſerta & venuſta, ut ſibi adeo præclare vertenda duxerit. Ceterum inibi profitetur, *ſe prorſus non capere, quomodo vir aſcetici inſtituti tenax animum ad*
Pag. 457. *ſcribendum adiiciat, aut in publico orationem habeat; niſi forte evidens Dei juſſum illum compulerit*. Denique eos *commiſerat, quos vel animi levitas, vel naturalis cupido ad ſcribendum trahit; his* autem *infeliciores eos exiſtimat, qui, quos regere ex officio debent, ad id genus munia temere occupant*. Ex his atque aliis modo relatis verbis D. Abbas ſentire videtur, Monachum quempiam alicui operi inſudare tuto non poſſe; licet a ſuo Superiore ad illud admoveatur, & hanc provinciam ex obedientia ſuſcipiat;

opus

Digitized by Google

opus autem illi eſſe peculiari Dei ordinatione, quæ per alicujus Pontificis auctoritatem, aut plurium Epiſcoporum nutum innoteſcat. Quod ſi ita ſeſe res habeat, fatendum eſt, multos priſcorum temporum Aſcetas, quos Sanctitate illuſtres cognoſcimus, temporis jacturam feciſſe, dum ſuas vigilias reipublicæ conſecrarent, uti factitarunt; atque ex iis paucos admodum extitiſſe, qui legitime fuerint ad ſcribendum vocati.

Nam ut de S. Bernardo tantummodo dicamus, quem D. Abbas exhibet tamquam exemplar; conſtat eum ſuapte ſponte de Conſideratione libros ſcripſiſſe, & ad Eugenium III. Pontificem miſiſſe. Opus vero de Gratia, & ejus Apologiam efflagitante Gulielmi de Sancto Theoderico; item aliud opus de Præcepto & diſpenſatione, Monachorum Sancti Petri Carnutenſium impulſu compoſuit: ut plura alia mittam ejus ſcripta, quæ ſola ductus edificationis & publicæ utilitatis cauſa, nemine cogente, elucubravit. Propterea neceſſarium haud eſſe videtur, ut Monachi non niſi *Sancti Leonis hortatu, aut multiplici Præſulum, atque illuſtrium virorum ſuaſione* ad ſcribendum compellantur. Raro fit, ut privati Cœnobitæ, utut cæteroquin docti & perſpicaces, valde ſint noti magnis hujuſmodi Viris, niſi antea ſapientiæ ſuæ ſpecimina ediderint. Solis Superioribus noſcere integrum eſt eorum ingenii facultates, & ad hæc ſtudia aptitudinem: & ab ipſis ſolis ut plurimum expectandum eſt vocationis indicium.

Ciſtercienſis Ordo hac ſuper re admodum circumſpectus & cautus ita ſtatuere ſatis habuit: *Nulli liceat Abbati, nec Monacho, nec novitio libros ſcribere, niſi forte cuiquam in generali Abbatum Capitulo conceſſum fuerit.* Quam conſtitutionem Gilbertus Abbas attente conſiderans, providentiſſimam eſſe ait; *neque enim paſſim omnibus hæc permittenda licentia;* atque hos ingenii promicantis impetus, quos aſſimilat agitationi fontis Siloe, non eſſe admittendos niſi deſcendente Angelo, eo, inquam, Angelo, a quo Monachi juſſa expectare debent, ut recte agant, hoc eſt a Superiore. Demum magnum nonnumquam fructum ab his operibus ſperandum, *magna texendi verbi utilitas;* ſed hunc fauſtum exitum tunc obtineri, *cum alicui hoc opus permittitur, vel magis cum exigitur ab eo.* Hæc agendi ratio fere cuſtoditur in omnibus recte ordinatis Cœnobiis, ac ſingillatim in Congregatione S. Mauri, ubi nihil edere licet ſine Capituli Generalis aut Superiorum majorum aſſenſu. Hanc, ni fallor, ſequi debent vocationem Cœnobitæ in his operibus elucubrandis, nempe ut Superiorum juſſa aut ſaltem conſenſum expectent: conſtat vero, neque S. Bernardum, neque primos Ciſtercienſes Patres ulterius aliquid poſtulaſſe.

Gilbert. in Cant. ſerm. 47. n. 2.

Non inficior, Superiores aliquando falli poſſe eligendo perſonas, quas ad hæc munia dirigant: at Religioſus illis ſubditus, quem nulla alia præter obedientiæ officium, ratio movet, tutus eſſe mihi videtur, dummodo publicæ lucis periculum ſatis perſpiciens, modum jugiter ſervet, neque e modeſtiæ finibus, & ſui inſtituti officiis, quibus nihil ipſi eſſe debet antiquius, umquam recedat.

pag. 303. *Quis audivit umquam* (ait D. Abbas) *requiri ad hoc ut quis Monachus ſit, ut inſcriptionum antiquarum, Codicum Manuſcriptorum, & numiſmatum notitia polleat?*

Fateor equidem, id novum omnino eſſe & inauditum; neque putaverim aliquid a me uſpiam excidiſſe, quod ad hanc ſententiam accedat. Quam vellem indicari mihi locum, in quo iſta pronunciavi! Ac ut ſingillatim quod mihi obiicitur perſequar, ubinam reperies me dixiſſe, *requiri ad hoc ut quis Monachus ſit, ut inſcriptionum antiquarum notitia polleat?* Nonne expreſſis verbis contra affirmavi, ſtudium inſcri-„ ptionum peculiariter ampleсti neminem noſtrum cogi, ſed ipſas, „ cum res poſtulaverit, licitum eſſe inviſere? Annon & Dom. Abbas quandoque utitur auctoritate & præſidio Græcorum ac Latinorum Poetarum, atque ex hiſtoria Romana, cujus elegans compendium affert, argumenta petit, quibus Tractatum de ſtudiis Monaſticis oppugnet, quamquam hæc genera lectionum prorſus abdicaverit?

Haud perſpicue minus quid de ſcientia numiſmatum ſentiam expli-„ cavi; dixi enim, Monachos ab hoc ſtudio immunes probabiliter fu-„ turos, quod nimium curioſitatis ſæpiſſime excitat, unde facile poſ-„ ſent ab utilioribus diſtrahi proprio inſtituto apprime conſentaneis. „ Hujuſmodi quidem ſtudium utile eſſe, ſed ſæculares magis quam „ Cœnobitas decere. Dum ita loquimur, multum profecto abeſt ut affirmemus, *requiri ad hoc ut quis ſit Monachus, ut numiſmatum ſcientia polleat.*

„ Haud equidem pernego, me ſubjunxiſſe, Monachos, qui ali-„ quid in publicum ſunt edituri, poſſe, cum res poſtulaverit, nu-„ miſmatum Collectionibus, quas docti viri concinnarunt, juvari. Ita factitatum eſt a Cardinali Baronio in Annalibus; itemque a D. Tillemontio, quem Monachus quiſpiam imitari tuto poruerit, in ejus egregiis ad Eccleſiaſticam hiſtoriam Commentariis. Sed plane aliud eſt dicere, his Collectionibus, cum res poſtulat, utendum eſſe, aliud, *ad hoc ut quis ſit Monachus, requiri ut numiſmatum ſcientia polleat.*

Quærendum poſtremo, utrum affirmaverim, *Monacho opus eſſe, ut manuſcriptorum notionem habeat.* Sed tamen intelligo, his verbis, juxta ſtylum Reſponſionis, ſignificari quod Monachus eſſe non deſinat qui manuſcriptorum ſcientia pollet, & hoc ſtudii genus noſtro haudquaquam adverſetur inſtituto. Quod ſi hæc ſit propoſitionis ſententia, fateor, haud ſecus mihi videri. Age rationes expendamus, quas Reſponſionis Auctor contra hoc ſtudium allegat.

ibid. *Utile quandoque eſt, fateor, nova detegere, nonnumquam etiam indifferens; dicendum tamen, quod ſi propterea mutetur vis ac ſumma conditionum, quæ ad gloriam Jeſu Chriſti, ad Eccleſiæ ædificationem, & ad hominum ſanctificationem inſtitutæ fuerunt, jam tunc detegendi labor periculo vel ſuſpicione non vacat.*

Ego vero hoc amplius addam, quod ſi *nova detegendi labor vim & ſummam immutare valet harum conditionum;* non modo periculi plenus eſt ac ſuſpectus, ſed omnino etiam malus & pernicioſus. At ſi contendas, ſtudium

ſtudium manuſcriptorum, cui operam damus e. g. in recognitione Operum Sanctorum Patrum, ſtatus noſtri ſummam immutare, publicum judicium appello, judicium quoque (ſi licet) ſummorum Pontificum, itemque Cardinalium ac Epiſcoporum, qui plerumque teſtati ſunt, nihil melius a nobis peragi potuiſſe, nihil Eccleſiæ utilius, nihil noſtræ profeſſioni convenientius. In promptu eſſet eorum hac de re teſtificationes in medium adducere, ſi neceſſarium videretur. Infeliciter nobiſcum agitur, quod hujuſmodi labor D. Abbati diſpliceat, cujus nomen & approbationem unice amamus & colimus.

Numquid parum exiſtimas (inquit D. Abbas) *tempus, quod inſumendum eſt in accurata manuſcriptorum collatione, in variarum editionum comparatione, atque aliis hujuſmodi neceſſariis diſcuſſionibus?* *pag.* 330.

Neutiquam profecto id parum exiſtimamus: nam magno conſtat labore, atque adeo injucundo, ſi ex ſolo hominum judicio retributionem expectaremus; homines enim jactum eſſe putant illud tempus, ex quo nihil ſplendidum, nihil grande reſultat.

Nonne hiſce immorans Monachus jacturam temporis facit, cum longe ſibi convenientiora & utiliora agendo occupari poſſit? *ibid.*

Quid in recognitione Patrum, & in manuſcriptorum collatione deprehendis, quod noſtro inſtituto minime conveniat? An eorum lectionem? At hæc lectio nobis a Regula permittitur, imo & injungitur. An manuſcriptorum uſum? Verum nihil aliud ſunt manuſcripta quam majorum noſtrorum labor, & hæreditas noſtra atque depoſitum, quod illi nobis tradiderunt & commendarunt, ut uſui eſſet. Quis vetat quominus iis utamur ad Reipublicæ utilitatem? Diſplicet-ne collatio librorum editorum cum manuſcriptis? Sed quid nos magis decet, quam labor, qui ad Sæcularium uſum ſuſcipitur? Dicamus hic cum S. Hieronymo: Si caniſtros, corbesve ex junco faceremus; ſi folia palmarum necteremus, utique non redargueremur, & hic labor plauſibus exciperetur. Sed ubi ingenii labores ſuſcipimus, Reipublicæ atque Eccleſiæ emolumento futuros: ubi Patres atque alios Eccleſiaſticos Scriptores emendatiores edere curamus; id vero floccipenditur, videmurque tempus inaniter contriviſſe, nihilque egiſſe, quod noſtro inſtituto conveniat; atque utinam in nos deterius aliquid propterea non torqueatur. *Si aut fiſcellam junco texerem, ut palmarum folia complicarem, ut in ſudore vultus mei comederem panem, & ventris opus ſollicita mente pertractarem; nullus morderet, nemo reprehenderet. Nunc autem quia, juxta ſententiam Salvatoris, volo operari cibum qui non perit, & antiquam divinorum voluminum viam ſentibus virgultiſque purgare, error mihi geminus infligitur: corrector vitiorum falſarius dicor, & errores non auferre, ſed ſerere.* At nihilominus, hujus Magni Doctoris exemplo, laboribus hiſce noſtris inſudare pergemus, quidquid alii dixerint, dum Eccleſia atque res publica ſuo illos ſuffragio comprobarint. *Hieron. Præf. 3. in Job.*

Adde quod in emendandis Veterum ſcriptis majores noſtros ſanctiſſimos viros imitamur, qui ante inventam typographiam huic labori operam impenſe navarunt. Sat mihi erit B. Lanfranci & S. Anſelmi

exem-

exempla referre, quorum ille, ut ex ipſius vita cognoſcimus, Sacræ Scripturæ & Patrum libros variorum Codicum collatione emendavit, *& hoc non tantum per ſe, ſed etiam per diſcipulos ſuos fecit*. Hujus rei monumenta adhuc extant in quibuſdam Exemplariis ejus manu caſtigatis, ut in illo Caſſiani, quod ſervat Bibliotheca Abbatiæ S. Martini Sagienſis, in quo ſub decimæ Collationis finem iſta leguntur: *Hucuſque ego Lanfrancus correxi*. In Exaemeron quoque S. Ambroſii, in David Apologiam, & librum Sacramentorum qui & hodie cernitur in Abbatia S. Vincentii Cenomanenſi, ſuas curas & vigilias impendit; atque idem peregit in Anglia.

Vita Lanfra. c. 15.

Hujus exemplo S. Anſelmus, ut legimus in ejus Vita, *libros, qui ante id temporis nimis corrupti ubique terrarum erant, nocte corrigebat, & ſanctis meditationibus inſiſtebat*. Nos quidem ſemper præclariſſimum pulcherrimumque ducemus tantorum virorum veſtigia ſequi, itemque Paſchaſii Radberti & Caſſiodori, qui Biblia recognovit *ſub collatione priſcorum Codicum*, ut ipſe refert. Non poſſum quin rurſus hic repetam quod a S. Stephano Ciſtercienſi Abbate olim fuit factitatum, cum doctos Hebræos adhibuit ad Collationem Codicum Sacræ Scripturæ cum linguis originalibus, haudquaquam veritus, ne hic conferendi manuſcripta labor parum ſuæ profeſſioni conveniret.

Vita S. Anſelmi l. 1. c. 10.

Caſſiod. Præfat. divin. lit.

De Verſionibus nihil hic dicam; eo magis quod huic capiti nihil objiciat Reſponſio. Exempla Dionyſii exigui, qui Vetera Concilia, Ambroſii Camaldulenſis, qui Græcos Patres vertit, itemque Titelmani Carthuſienſis, Auctoris novæ verſionis S. Dorothei; atque aliorum multorum, qui omnium calculis comprobantur, ſatis hunc vertendi uſum ab omni reprehenſione liberant.

I I.

Nunc ad Conciones redeat ſermo, quæraturque, utrum concionandi munus profeſſioni Monaſticæ ita adverſetur, ut cenſet D. Abbas; qui ait, *Eccleſiam poſſe extraordinaria agendi ratione Monachos ex ipſorum naturali ſtatu educere, quoties illi hæc ordinis perturbatio ad conſolationem populis afferendam, & ad fidei ædificationem patrocinatura videatur: ſed quod velit quiſpiam unius Monachi obtentu, qui è ſolitudine ad hoc munus ſubeundum evocabitur, plura Monachorum millia, qui jugiter in Monaſterio deliteſcent, ad hanc procinciam capeſſendam ſe comparare, & ſcientiis ſemetipſos imbuere, quarum nullus ipſis uſus erit, id ab omni denique rationis & veritatis ſpecie abhorrere putat*.

pag. 358.

Quis non credat hæc legens, nobis propoſitum fuiſſe ex omnibus Monachis totidem Concionatores efficere? At nihil magis ab opinione noſtra diſſitum eſt. Quippe id unum propugnamus, prædicationis munus neutiquam Monachis inhiberi, nec eorum profeſſioni ullatenus adverſari: cum S. Benedictus in ſua illud Regula non interdixerit, & ipſemet uſu præſtiterit, ſuoſque diſcipulos ad prædicandum miſerit.

D. Ab-

Digitized by Google

D. Abbas contra cenſet, *falſum æque ac periculoſum axioma eſſe, ſi quis dixerit Monachis S. Benedicti permitti ut ea faciant quæ ipſe fecit, quæque in ſua ipſe Regula non interdixit.* pag. 59.

Attamen hoc axioma ſuo confirmavit ſuffragio Bonifacius IV. in Concilio Romano, ac deinde Urbanus II. in Concilio Nemauſenſi; eorum vero auctoritate uſus eſt D. Thomas, ut probaret, concionandi munus adeo Monachis non inhiberi, ut potius ad ipſum rite perſolvendum reliquis *magis idonei ſint ex exercitio ſanctitatis quod aſſumpſerunt.* Quæ vero inibi ſequuntur Divi Thomæ verba vix auſim referre, niſi eſſet operæ pretium illius hac de re ſententiam noſſe. Ait porro: *Stultum eſt autem dicere, ut per hoc quod aliquis in ſanctitate promovetur, efficiatur minus idoneus ad ſpiritalia officia* (concionem, inſtructionem.) *exercenda. Et ideo ſtulta eſt quorumdam opinio dicentium, quod ipſe ſtatus Religionis impedimentum affert talia exequendi.* Et ne aliquis putet eum ita loqui tantummodo quoad Regulares mendicantes, ſuam confirmat ſententiam auctoritate Bonifacii IV., qui idem decrevit anno 610. relate ad Monachos illius temporis: Ex hoc vero decreto, quod in Jure Canonico ab his verbis incipit, *Sunt nonnulli nullo dogmate fulti &c.* D. Thomas locutiones ad ſuam exprimendam ſententiam deſumpſit. S. Thom. 2. 2. qu. 187. art. 3. ad 10.

Porro Bonifacius IV. ſuum communit decretum hoc axiomate, nempe cum S. Benedictus ſuis Monachis id genus officia non interdixerit, ne nunc quidem eſſe illis interdicenda. *Neque enim Beatus Benedictus, Monachorum præceptor almificus, hujuſce rei aliquo modo fuit interdictor.* Minime ergo fuit iſtud axioma a nobis excogitatum; ſed eo uſi ſumus poſt duos Pontifices, ac duo Concilia, Romanum anni 610. cujus meminit Vener. Beda, ac Nemauſenſe anni 1096. cui præfuit Urbanus Papa II. Refertur etiam in Collectionibus Ivonis Carnotenſis, Gratiani &c. Petrus Damiani eodem uſus eſt in fine Opuſculi 28. & poſt hunc D. Thomas in argumento conſimili. Judicet nunc Lector, an hujuſmodi *axioma falſum* dici poſſit ac *periculoſum*; & num verius fatendum ſit, *Monachis S. Benedicti permitti ut ea faciant, quæ ipſe Sanctus Pater fecit, quæque in ſua Regula non interdixit;* ad Regulæ ſilentium ejus exemplo accedente, quo hujus axiomatis pondus ac vis nequaquam ſane minuitur, ſed contra magis augeſcit.

Hæc duo igitur ſejungenda non ſunt, quæ ſejungit tamen D. Abbas, de S. Benedicti exemplo tantummodo loquens, ac dicens, *quædam chariſmata & ſpiritualia officia Ordinum Inſtitutoribus & perſonæ quam ſuſtinent ita adhæſiſſe, ut ea diſcipulorum conditioni minime conveniant. Quæ illi egerunt congruenter Regulis a ſe inſtitutis, imitari ac ſequi debemus; at ſi quis velit quidquid ab illis geſtum eſt exequi, pervertit regulas, atque omnia perturbat: fratres a dependentia retrahit, ac eorum Patribus & Magiſtris pares reddit. Denique Superiores ſermocinari, colloqui, & ſui copiam petentibus facere & poſſunt & debent; officia vero hujuſmodi privatis Monachis interdicta ſunto.* pag. 59.

Non inficior quædam eſſe quæ cum Superioribus & multo magis Ordinum Inſtitutoribus conveniant, eorum ſubditis atque eorum diſcipu-

Digitized by Google

ſcipulis minime convenire poſſunt: propria utrorumque officia inter ſe facile dignoſcuntur. Contendo tamen, ſi quid ab aliquo Ordinis Inſtitutore geſtum eſt, cujus non meminit Regula, utque ab ejus diſcipulis gereretur ſæpius imperatum, licere illud imitari ejuſdem Inſtituti ſectatoribus, accedente Superiorum juſſu. S. Benedictus concionandi munus obiit, erga Idololatras, qui prope Montem Caſinum incolebant; horum vero ingentem multitudinem, teſte Gregorio, *prædicatione continua* ad fidem vocabat, & crebro *pro exhortandis animabus* diſcipulos mittebat ad hos Neophytos, & ad Monaſteria fœminarum in vicino poſita. Ergo illi, qui hujus Sancti Patriarchæ Regulam ſectantur, citra ullam ſuæ profeſſionis labem geminum hoc exemplum imitari poſſunt; maxime quum ipſemet S. Benedictus præcipiat, ut in omnibus ejus Regulæ aut majorum exemplis noſmetipſos accommodemus: *ſi nihil agat Monachus, niſi quod communis Monaſterii Regula, vel majorum exhortantur exempla*. Quod ſi S. Benedicti atque ejus diſcipulorum prædicationis munus obeuntium exemplum in conſequentiam & imitationem deduci non poterat, cur nos Sanctus Pater hac de re nullibi admonuit, ut par erat; & quomodo S. Gregorius purioris diſciplinæ Eccleſiaſticæ ac regularis amator ferventiſſimus, dum hoc retulit exemplum, nihil addidit ad præcavendum ejuſdem uſum atque imitationem apud Monachos?

Pag. 352. At *prædicationis* vocabulo, inquis, *æquivocatio ſubeſt; neque enim eo ſenſu olim uſurpabatur, quem hodie recipit. Omne genus exhortationum, inſtructionum, aut actionum publicarum hac voce denominari ſolebat: quæ nunc propria quodammodo eſt eorum ſermonum, qui publicè ad populum habentur*, & *homiliæ* olim dicebantur.

Sanctus tamen Gregorius *prædicationis* nomine deſignat quod a S. Benedicto agebatur; & diſcipulorum ejus ad Neophytos ac Religioſas fœminas miſſionem *exhortationum* vocabulo innuit. Sed quid iſtuc refert? Quo libet nomine vocentur, exhortationes, inſtitutiones, ſermones; conſtat tamen a S. Benedicto & ejus diſcipulis ad populum habitos fuiſſe. Sequitur ergo ut nobis quoque liceat hodie idipſum facere cum requiſitis permiſſionibus, quemadmodum & noſtri anteceſſores factitarunt. Ceterum ex Epiſtola Iſidori Peluſiotæ ad Monachum Theopompum, liquet, hunc Solitarium publicos & ſolemnes ſermones recitaſſe; cum eum hortetur S. Iſidorus, ne nimis tumida utatur oratione in publicis ad populum ſermonibus.

Iſid. Pel. l. 1. ep. 60.

Pag. 362. *Illud denique certum eſt*, ait D. Abbas, *Monachum S. Benedicti poſſe ad populum de Deo ſermocinari, ſi legitima ad hoc vocatione ducatur: at ſi prædicationem commune exercitium quis faciat, & hujus muneris praxim addiſcere velit, Sancti Patriarchæ conſilio & diſpoſitioni ipſius Regulæ adverſatur.*

Nihil hic contra Regulam fieret, nam de hac re in Regula ne verbum quidem. Sed tamen fateor, ejus ſcopo & menti contrarium fore, ſi quis prædicationem *commune exercitium fecerit*, ita ut omnes S. Benedicti Monachi concionatorum munus ſibi arrogare præſumant. Nihil tale apud nos, in conſuetudine poſitum eſt, neque umquam mihi in mentem

tem

tem venit iſtud affirmare. Hoc unum dumtaxat propugno, a quibuſdam ſingillatim Monachis concionandi munus exerceri poſſe, ſi ad ipſum rite perſolvendum fuerint apti, ſervatis regulis ab Eccleſia præſcriptis.

Quod ſi ita eſt, quis neget, par eſſe, ut ad iſtam provinciam capeſſendam delecti, de Deo & de ejus verbo digne loqui diſcant. Vitione dabitur S. Joanni Chryſoſtomo, quod verbi miniſterium ſategerit digne adimplere in homiliis, quas ad populum Antiochenum è ſolitudine rediens habuit. In dicendo quidem cura juſto laborioſior non decet: ſed nimia quoque negligentia ferenda non eſt. In primis Verbi divini dignitas poſtulat, ut luculento ſermone tradatur; & audientium cætus pariter meretur, ut res divinas explicaturi incomptam & inornatam dicendi methodum abdicemus. Alioqui vis ipſa veritatis valde imminuitur, & periculum eſt, ne auditores veritati obſiſtant propter concionatorum ineptitudinem. Denique teſtem appello S. Auguſtinum, qui divini verbi præcones vult eloquentia eaque chriſtiana & minime fucata pollere; ipſum quoque D. Abbatem appello, qui quaslibet notitias inutiles Superioribus futuras exiſtimat, *ſi elocutionis dono* careant. *pag.* 22.

III.

Nemo inficias iverit (inquit) *Monachos vel ab ipſo Monaſticæ inſtitutionis exordio in partem Apoſtolicæ ſollicitudinis fuiſſe vocatos, & ad populorum converſionem miſſos; ita ut nationes incredulæ eorum Miniſterio lumina fidei receperint.* *pag.*357.

Et revera ſi quis id de pluribus Monachis affirmaret, neutiquam a veritate abhorreret. In hoc numero recenſentur illi, quos D. Joannes Chryſoſtomus in Phœniciam atque Arabiam miſit: S. Auguſtinus cum triginta ſociis a D. Gregorio in Angliam miſſus: S. Amandus in Belgium: S. Wilibrordus & S. Wlfranus in Friſiam & Bataviam: S. Bonifacius in Germaniam: S. Anſcarius in regiones ſeptentrionales: S. Adalbertus in Ruſſiam; itemque hujus nominis alter in Poloniam, aliique innumeri.

Hujuſmodi tamen Miniſterii (pergit D. Abbas) *quod ut magnum quiddam atque præclarum nobis exhibetur, ſumma redit ad nonnullas inſtructiones ſeu catechiſmos, complectentes fidei rudimenta; & ad id quod præſtitit S. Benedictus erga quoſdam Idololatras, quos erudire curavit.*

Abſonum profecto & inauditum hoc eſt, quidquid eximium a Monachis geſtum umquam fuit, adeo elevare, ſpecie oppugnandi eorum ſtudia. Magnum quiddam eſſe viſa eſt S. Joanni Chryſoſtomo populorum Phœniciæ ad fidem converſio. S. Gregorius Magnus audita Anglorum converſione, maxima perfunditur lætitia, ut liquet ex pluribus ejus Epiſtolis: Et S. Auguſtinum in illa regione Apoſtolum monet, ne forte ſuperbia efferatur occaſione miraculorum, quæ Deus per ejus miniſterium operabatur. Eadem mente atque eodem lætitiæ ſenſu af-

ſu afficiuntur Gregorius II. & Gregorius III. propter Fidei in Germania progreſſus, quos S. Bonifacii laboribus acceptos referunt. Gregorius IV. atque ejus ſucceſſores haud minora grati animi ſigna teſtati ſunt erga S. Anſcarium Septentrionis Apoſtolum. Tot populi propriam converſionem illis ſe debere fatentur. At ſi D. Abbati credimus, egregia hæc facinora, & alia quamplurima ad nihil aliud *rediguntur quam ad nonnullas inſtructiones, ſeu catechiſmos*. Si iſta vel ab extraneo dicerentur, vix eſſent æquo animo ferenda.

Putas-ne, ſanctiſſimis illis viris leves quaſdam inſtructiones ſive catecheſes ſat fuiſſe ad convertendas inhumanas gentes, ut plurimum indociles, & omnigenis erroribus, ac vitiis obrutas. Non eſt opus eruditione & doctrina (fatebor enim), ad hoc ut quis catecheſes jam ab aliis concinnatas ſimpliciter enunciet, aut legendas tradat pueris, viris, & ſi lubet, etiam mulieribus. At ſi erudiendi ſint populi, de quibus modo dicebam, ſi ab eorum erroribus, vanis cogitationibus, libidinibus retrahendi: ſi efficaci perſuaſione ad myſteriorum noſtrorum fidem perducendi fuerint: ſi Gentium ſuperſtitiones evellere, mentes & corda horrore criminum, quæ falſorum Deorum exemplo fuerant quodammodo conſecrata, percellere: ſi denique odium ejus quod credebatur & amabatur, fidem, metum & amorem ejus quod antea ignotum erat, inſerere oportuerit; nemo id conficiet, aut confecit umquam doctrina & ſcientia deſtitutus infuſa aut acquiſita; nec populorum millia, integras Provincias & Regna ad fidem videris converti nuda & jejuna horum dogmatum enunciatione: Eſt unus Deus in tribus perſonis; Verbum homo factum eſt pro nobis; Vitium abiiciendum eſt, colenda, & exercenda eſt virtus: utut verba apprime diſerta ab optimæ notæ catechiſmis deprompta adhibeas. Neceſſe eſt, efficaciter inſtruas, urgeas, vehementer horteris, acriter objurges, valide refellas: *ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere*. Denique jacienda ſunt Eccleſiarum fundamenta, erudiendi & ordinandi ſunt Sacerdotes: hæc autem omnia ſine ſcientia & magna vi doctrinæ peragi nequeunt.

Excipiet procul dubio Dom. Abbas, & denuo obtrudet, lectiones, quas ipſe Monachis indulget, ſat ſuperque eſſe ut evadant miſſionarii, miniſtri, imo & Epiſcopi omnibus numeris abſoluti. Sed ut plura mittam, quæ ſuper hac re forent dicenda, atque ut præteream in multis rerum eventis has lectiones non ſuffecturas; parum eſt has lectiones permittere, niſi utiliter legendi ratio ſuppetat, ac niſi ſtudium permittatur, ſine quo, ut oſtendi, minimum legendo proficimus. Denique ſtudium dogmatum, ſi qui ſunt ad illud idonei, iis inhiberi non debet, cum eorum notitia ad hæc munera rite perſolvenda omnino ſit neceſſaria.

Hic memorare poſſem Apoſtolicas excurſiones, quas quidam ex noſtris cum fructu, & approbatione Præſulum ac populorum nuper abſolverunt in Pictavorum regione, in Occitania, atque alibi, pro heterodoxis ad rectæ fidei normam reducendis, erudiendisque Neophy-

tis;

Digitized by Google

tis; cui labori inſudarunt quoque Patres de Congregatione S. Vitoni. Et vel hinc patet, quanti interſit viros Dogmaticæ Theologiæ, & concionatoriæ artis peritos in Cœnobiis reperiri; & quam ſit abſurdum hujuſmodi peritiam tunc ſibi comparare velle, cum res urget, atque inſtat neceſſitas. Neque cæteroquin raro ad has rerum anguſtias devenitur, ſed crebro ſeſe offert occaſio utilem Eccleſiæ operam navandi, ſi doctrinæ talenta & vocatio non deſint.

Plura adhuc eſſent de hoc argumento dicenda, ſi ad univerſa, quæ objicit D. Abbas, reſpondere vellemus. Sed cuilibet pronum erit hæc objecta revincere, ſi principia totius ratiocinationis a me poſita opportunè ad ſingula transferat, ac jugiter meminerit, non eſſe mihi propoſitum hæc miniſteria tamquam communia omnium Monachorum exercitia proferre; ſed ut iis tantummodo permiſſa, quos Superiores voluerint ad ea dirigere ſpectatis eorum talentis ac diſpoſitionibus. Id vero D. Abbas quantumlibet appellet extraordinariam vocationem, per me licet quidem; haud enim quæro de nomine, modo de re nobis conveniat.

ARTICULUS XXVI.

De Opere Manuali Monachorum: & utrum quædam ſtudia legitima ſint cauſa diſpenſationum, atque exemptionum.

EGo quidem mihi videbar non contemnendam navaſſe operam in manualis laboris patrocinium,cum illius obligationem aſſerui contra plurimos graves Auctores, qui arbitrati ſunt, ſtudia legitimam eſſe cauſam, propter quam ab hoc onere eximantur ipſi quoque Monachi S. Benedicti. Sed longe aberrare me intelligo; ſi enim credas Auctori Reſponſionis, quidvis aliud perfeci magis, quam quod propoſueram; atque *illud eludere conor, dum quæro utrum loco operis manualis aliquod exercitium, quod æquipolleat, puta ſcientiarum ſtudium ſubſtitui queat.* pag. 148.

Siquidem hæc quæſtio in fronte capitis poſita, apta eſt manualis laboris aſſertionem eludere; quidni dicamus pariter, Sanctum Thomam ſæpiſſime eluiſſe certiſſima Religionis principia, dum ea in quæſtionem vocat non modo in titulis articulorum ſuæ Summæ, ſed etiam initio Reſolutionum, dicens: *Videtur quod ſic, Videtur quod non*, ipſa repugnante rerum veritate. Nunc vero de D. Abbatis cenſura quid judicas?

Sed ulterius progreditur, atque illud addit, me poſtquam validiſſimis & urgentiſſimis rationibus laboris obligationem demonſtravi, *de hujuſmodi rationibus minimum laborare, eaſque declinare, licet ſint manifeſtiſſimæ. Mihi eſſe pro nihilo traditionem, & Sanctorum, Doctorumque Eccleſiæ ſententiam; denique me nihil aliud quærere, quam ſpecioſos obtentus ad hujus* pag. 136.

exercitii praxin extenuandam , quod omnium auctoritate & conſenſu nititur.

Hæc accuſatio adeo mihi rationis modum tranſire videtur, & genuinæ meæ ſententiæ adeo oppoſita, ut vix percipiam, quomodo id non animadverterit D. Abbas. Fateor quidem, me, poſtquam manualis laboris obligationem liquido demonſtraveram, expendiſſe rationes, quæ Superioribus occurrere poſſunt cum aliquibus diſpenſandi. In hoc vero malui S. Auguſtini notiones exhibere, quam meas. Porro Sanctus Doctor has rationes ad tria capita redigit, nimirum ad nimiam corporis imbecillitatem vel ægritudinem; ad exilem quorumdam complexionem, qui nobili loco nati ſunt; denique ad publica aut Eccleſiaſtica munera, ex. gr. alicujus Regularis, qui concionandi provinciam legitime ſuſceperit, aut qui alios doceat, & rei publicæ laboret, ex peculiari Eccleſiæ aut Superiorum ſuorum juſſione.

Jam vides, me in hoc numero minime collocaſſe eos, qui ſtudia ſpontanea ad propriam eruditionem, atque ædificationem amplectuntur. D. Abbas *ſpontaneorum* ſtudiorum nomine me in crimen vocat, perinde pag. 156. ac ſi putarem, regulares perſonas ex propria deliberatione ſtudiis operam dare poſſe. Non ita ego cenſeo; quandoquidem ſæpe affirmavi, totum hoc negotium a Superioris nutu & voluntate pendere. Attamen hæc ſtudia ideo appellavi ſpontanea, quòd ab ipſis Religioſis quodammodo eligi videantur; plerumque enim contingit, ut cum ſe ad ſtudii ſeu lectionis certum quoddam genus magis propendere ſentiant, hujuſmodi propenſionem Superiori manifeſtent, a quo ſibi illud ſtudium facile permittitur, ſiquidem eorum peculiari eruditione atque ædificatione terminetur. Haud vero crediderim, hanc agendi ratio- pag. 157. nem a D. Abbate improbari poſſe. *Ambigi non poteſt (ait) loquendo de ſtudiis prolixis & ordinatis, quæ quis aggreditur ex Superioris juſſu, quin Superioribus liceat nonnumquam aliquos ſuorum fratrum ad hæc ſtudia dirigere, atque illos a communi labore eximere. Nam Eccleſiæ, aut ipſi Monaſterio tam magnam utilitatem fortaſſe allatura ſunt eorum ſtudia & literarum profectus, ut æquiſſima ratio ſuadeat cum illis diſpenſari; ne ſcilicet Eccleſia aut Monaſterium utili opera fraudentur, quam horum Fratrum doctrina præſtare olim poterit.*

Egomet quidem planius aut luculentius meam ſententiam explicare nequiviſſem. Ceterum gaudeo D. Abbatem tandem aliquando aperuiſſe quid ſentiat de vocatione ad ſtudia extraordinaria, pro qua nihil aliud poſtulare videtur, quam Superiorum directionem, quatenus ipſis integrum eſt quoſdam ex ſibi ſubditis Regularibus ad id genus ſtudia adplicare, ad quæ præ cæteris natura comparatiores ſunt. Hoc autem animadvertere per magni intereſt, nempe ut uno verbo eliminentur omnes difficultates, in quas pluries incidimus neſcientes, quid ipſe extraordinariæ vocationis, quam ad hæc ſtudia poſtulat, nomine intelligeret. Deinceps vero quæramus, quid de ſtudiis communibus & ordinatis tyronum ipſe cenſeat. Huc ſpectant ejus verba, quæ ſequuntur.

Quod

Digitized by Google

Quod ſi hæc ſtudia conſiderantur ut juſtæ cauſæ eximendi a labore manuum ſive eos qui erudiunt, ſive tyrones quorum eruditioni ſervitur; id nihil aliud eſt, quam ipſum laborem prorſus velle ſublatum. ibid.

Paulo acrius iſta dicuntur; hinc vero illa quæ ſupra retuli, fortaſſe deſcendunt; *mihi eſſe pro nihilo traditionem Sanctorum, atque Eccleſiaſticorum Doctorum;* & me *nihil aliud quærere quam ſpecioſos obtentus ad hujus exercitii praxim extenuandam.* Mox intelligemus, quas afferat aculeatæ reprehenſionis rationes.

Quandoquidem inſidet animo hæc ſententia, ut Religioſi Alumni Philoſophicum & Theologicum curſum emetiantur in ea latitudine quam antea oſtendimus, & ut ad hæc accedat Eccleſiaſtica ſcientia, nimirum Eccleſiæ hiſtoria, Concilia, Canones, denique Patrum & Scriptorum Eccleſiaſticorum accurata lectio; non modo futurum eſt, ut Religioſi Alumni ſuorum ſtudiorum tempore a manuali labore reddantur immunes; ſed inſuper nullum dubium eſt, quin exacto quoque ſtudiorum curriculo eamdem immunitatem ſint habituri. ibid.

Nempe his verbis innuitur, fore ut cum hæc ſtudia tam late pateant, ut humanum ævum minime ſufficiat ad accuratam intelligentiam comparandam; ii, qui ad has ſcientias incumbunt, laboris exemptione fruantur toto vitæ tempore. Præterea cum ego abſolutè velim, ut putat D. Abbas, omnes indiſcriminatim religioſos viros hiſce ſtudiis in tota ſua latitudine operam dare, ſequitur ut ego horum ſtudiorum obtentu opus manuale prorſus tollam.

Ad hujus abſurdi conſecutionem nihil habeo dicere niſi duo aut tria verba. 1. Non eſt mihi ea ſententia, ut omnibus Monachis Philoſophiæ & Theologiæ, quoad late patent, ſtudendum velim. Utriuſque diſciplinæ breve compendium, aut aliquis Concilii Tridentini catechiſmus dilucide explicatus, ſatis eſſe poſſe mihi videntur eorum pluribus, qui apto ad ſcientias ingenio minime ſunt comparati, quemadmodum in ſecunda Tractatus Parte expreſſe notavi. 2. Reliquæ diſciplinæ, non omnes cuilibet illorum conveniunt, licet ad ſtudia capeſſenda a natura ſint facti; ſed ut plurimum ſufficit ut una dumtaxat a ſingulis excolatur. 3. Cum hæc ſtudia privatim fieri conſueverint, neceſſe non eſt omnibus ad ea intentis exemptiones & immunitates propterea elargiri.

Hinc ſequitur, hujuſmodi exemptiones ad ſummum lectoribus & auditoribus, qui Philoſophiæ & Theologiæ ordinata methodo operam navant, reſervari. Ambarum diſciplinarum curſus intra quinquennium fere abſolvuntur: & inde univerſis tyronibus exigendus eſt annus Recollectionis, qui quaſi alter Novitiatus haberi poteſt, ut communem exercitiorum conſuetudinem reſumant, in reliquum vitæ tempus, ſepoſita qualibet diſpenſatione, licet aliquod particulare ſtudium deinceps aggrediantur. Hæc praxis obtinet in Congregatione S. Mauri, ubi de 180. Monaſteriis ex quibus ea conſtat, viginti circiter tantum ſtudiis communibus mancipantur, unum vero, aut duo ſtudiis extraordinariis. Et in his ipſis Monaſteriis vigent quædam manualia opera, quibus regulariter omnes ſatisfaciunt, nulla adhibi-

ta di-

Digitized by Google

ta diſpenſatione: legimus; menſæ miniſtramus; lavamus; ædes ſcopis mundamus (nam vel hoc neceſſe jam eſt ut vitæ quæ apud nos agitur ratio reddatur) ne quid dicam de minutis officiis, quibus privatim quilibet occupatur, & a quibus non abeſt moleſtia & labor. Cæterum alia quotidie unam horam laboris retinent. In Congregatione Sancti Vitoni ne ipſi quidem ſtudiorum tyrones ab opere manuali eximuntur.

Quod attinet ad reliqua exercitia, ſtudiorum tyrones alternatim diſpenſantur, una & altera die ſinguli, a Matutino, a Prima & Completorio, exceptis feſtis & Dominicis diebus, quibus non eſt immunitati locus. Ceterum omnibus aliis exercitiis ſatisfaciunt, quamvis Reſpon-
pag. 393. ſionis Auctor rem aliter ſe habere ſignificet his verbis: *Ubi vero ſtudiorum curſum abſolverunt, & communia exercitia reſumere debent, nova quadam neceſſitate ſibi videntur ad ea compelli:* perinde ac ſi ſtudiorum tempore eadem omnino neglexerint.

Hinc patet, D. Abbatem perperam de rebus noſtris admonitum, gravia hujuſmodi facta recenſuiſſe, quæ a veritate diſcordant; atque illud denique univerſis conſtabit, caſus diſpenſationis, de quibus actum eſt, ad ſummum pertinere ad quoſdam privatos, minime vero ad totum Sodalitatis Corpus, in qua illi vivunt, atque ubi ritu ſolito opus manuale ſubſiſtere debet.

pag. 171. D. Abbas præterea ſubjungit, quod *cum in deſuetudinem abierint ruſtica opera, quorum cauſa olim agros petebant Monachi, laboris ratio collocata eſt in quibuſdam exercitiis & occupationibus regularibus, quæ laboris nomen nequaquam merentur, quæve, ſi accurate loqui velimus, nihil aliud ſunt quam otioſa oblectamenta.*

Ergo terram fodere, ligna ferre, lavare, menſæ miniſtrare, in hortis denique ac alibi laborare, nam in his manuale opus noſtrum conſiſtit, otioſa erunt oblectamenta. Ego quidem pro certo habeo, nihil in hac agendi ratione eſſe quod non congruat principiis D. Abbatis, qui levioribus rebus aliquos ex ſuis Monachis occupare nonnumquam ſolet, ut eorum viribus laborem accommodet. Ipſemet diſpenſationes
pag. 48. permittit, & in quibuſdam circumſtantiis eas impertitur. *Scitis*, ait ad Fratres, *nos ita egiſſe aliquando cum quibuſdam ex vobis, quin noſtræ ſententiæ putaremus vel minimum adverſari.*

Grave itaque illi eſſe non debet, quod a nobis diſpenſatione donentur aliquando illi, qui ex Superiorum juſſu diuturna & prolixa opera aggreſſi ſunt. Haud ſcio vero, an aliquid minus benignum in nos torqueri poſſit, quam quod in ſua Reſponſione jactat, nimirum hos Mo-
pag. 341. nachos *ſeſe a communibus regularitatibus ſine ulla hæſitatione eximere: Superiores* autem, *qui has exemptiones nihil penſi habent, eas facillime impertiri: accuratam & regularem agendi rationem, & ſubjectionis obſequium ab illis neſciri; atque illud vere dici poſſe, ex iis Sodalitatibus, in quibus literarum ſtudia vigent, regularum cognitionem & uſum abeſſe; ac denique ſilentii loco mutuas collocutiones perpetuo agitari.*

Qui iſta generatim & indiſtincte de Monaſteriis profert, injurius eſſe vi-

ſe videtur iis Sodalitatibus, in quibus hæc ſtudia cum ædificatione fiunt. Ut enim de noſtra dumtaxat Congregatione loquamur; admodum pauca ſunt Monaſteria, in quibus in publicam literarum utilitatem laboratur, ex quibus illud S. Germani Pratorum præcipuum eſt. In hac porro communitate, quæ ex quadraginta Cœnobitis conſlatur, non niſi duodecim fere hujuſmodi literariis laboribus operam impendunt. Ex his duodecim Cœnobitis nonnulli a regularibus exercitiis diurnis aut nocturnis quibuſcumque ſeſe numquam eximunt, quamvis ipſorum labor ſit apprimè gravis: reliqui nullis aliis exemptionibus gaudent, quam quibus ſtudiorum tyrones, hoc eſt a Matutino, Prima, & Completorio, idque alternatim: ſed a communibus regularitatibus nullo pacto diſpenſantur; & affirmare poſſum ſine ulla aliorum offenſione, teſtes appellans quicumque illos notos habent, eos rigore diſciplinæ, obedientiæ integritate, & odore pietatis reliquis omnibus nullatenus eſſe inferiores. Nunc tandem iſta profeſſi, quid de D. Abbatis ſuppoſitione pronunciandum ſit, æqui lectoris judicio relinquimus.

Fortaſſe quiſpiam dixerit, Reſponſionis verba falſo a nobis intelligi quaſi ſint in nos dicta, cum ea poſſint generatim accipi, quin noſtra Congregatio ſpeciatim attendatur.

Sed fruſtra id dixerit; nam fit eo loco mentio de illis, *qui a Superioribus ad magna opera aggredienda in reipublicæ literariæ bonum diriguntur*. Palam eſt autem, præterquam in noſtra Congregatione, nullibi hactenus ex certa ac peculiari Superiorum directione hujuſmodi literarios labores ſuſceptos fuiſſe.

Sed ut minimum dubitari poſſit de opinione, quam ſuper hac re fovet Reſponſionis Auctor, legenda ſunt præ aliis quæ ipſe ait pagina 465. *Res numquam ad id perturbationis & corruptelæ deveniſſet, ſi modeſtiæ ac moderationis ratio ſubſtitiſſet, in qua Patres Congregationis S. Mauri ſeſe triginta abhinc annis continebant, tunc cum certum librorum numerum in lucem emiſerunt, quibus Bibliothecæ Aſceticæ nomen ab illis impoſitum, & quibus nihil aliud comprehendebatur quam nonnulla Patrum ſcripta, quorum lectione Monachi facilius cognoſcerent proprii inſtituti rationes & officia; ac unde haurirent veritates ſibi ut Chriſtianis & ut Monachis neceſſarias. Sed nequaquam mirum eſt, eumdem agendi ſcopum atque eadem conſilia quoad hoc non fuiſſe ſervata, cum eveniat raro, ut in eodem loco res conſtanter permaneant, & diutius abſint mutationes, quæ omnino vitari non poſſunt*. Nemo eſt qui non aperte videat, hanc eſſe D. Abbatis mentem, ut putaverit, triginta abhinc annis Congregationem S. Mauri ad id perturbationis & corruptelæ deveniſſe, atque has mutationes & diſciplinæ remiſſiones ſubiiſſe: eas autem eſſe aſcribendas extraordinariis ſtudiis, quæ in publicum bonum a quibuſdam in ea Fratribus ſuſcepta fuerunt. Porro hæc opinio parum benigna, addam vero ſi licet, & nulli fundamento innixa mihi videtur.

Et in primis ajo, eam parum eſſe benignam, nè quid gravius dicam. Nam ut ſibi jus aſſereret talia enunciandi adverſus Congregatio-

tionem, cujus aliquod nomen eſt in Eccleſia, neceſſe habuerat plura ex Monaſteriis hujus Congregationis inviſere, eorum mores & diſciplinam attente inſpicere; atque hanc perquiſitionem recens inſtaurare, nempe ut de præſenti ſtatu regularis diſciplinæ, quæ in noſtris Monaſteriis viget, & de mutatione, quæ relate ad ſuperiora tempora contigit, quam accuratiſſime certior fieret. At longe abfuit ut id faceret. Quomodo ergo licuit illi publicum & in ſcripto ferre judicium, atque adeo injurioſum & ita comparatum, ut Congregationis famam, quam in Eccleſia hæc Congregatio acquiſivit, minuere poſſit? Quomodo licuit illi Eccleſiam ipſam ædificationis argumento fraudare, quod ipſa in hac Congregatione ſe nactam eſſe putabat? Qua tandem ratione mundo perſuaſum eſſe voluit, eum ſibi illuſiſſe, benigne hactenus de ea Congregatione ſentientem? Hæc agendi ratio numquid in alio veniam mereretur?

Deinde vero hanc opinionem nullo fundamento niti aſſero. Ea quippe nonniſi ex ſtudio particulari quorumdam Monachorum publicis operibus deſudantium comprobatur. At quærendum erat, num ante triginta hos annos hujuſmodi operum labores ferverent. Nonne dudum editæ fuerant Notæ P. Menardi in Sacramentarium Sancti Gregorii, in Concordiam Regularum, in Epiſtolam Sancti Barnabæ, ejuſdem diatriba de unico Dionyſio? Nonne multa jam elucubraverant Patres Millet, & Quatremaire? Nonne Robertum Pullum ediderat jam D. Hugo Mathoud: Lanfrancum vero, & Guibertum D. Lucas d'Acherj, qui ante illud tempus ſuum ſpicilegium inceperat, quod poſtea perfecit? Denique D. Gregorius Tariſſe, Superior Generalis noſtræ Congregationis nonnullos Monachos in omnia Ordinis Gallicana Monaſteria, & in ea præſertim noſtræ Congregationis ante illud tempus miſerat, ſcrutaturos ac perquiſituros Bibliothecas, & Archivia, ut quidquid in illis ad Ordinis hiſtoriam & Eccleſiæ ac Reip. utilitatem conferre poterat, inde depromerent. Hinc ortum habuere deinceps novæ Patrum editiones, noſtrorum Sanctorum Acta, Spicilegii continuatio, uno verbo reliqua univerſa opera, quæ in publicam lucem poſtea vulgata fuerunt.

Verum ut ſciamus, quæ fuerit noſtrorum Patrum mens circa ſtudia ſcientiarum ante illud tempus, quod notat Reſponſionis Auctor, ſatis eſt legere Decretum, quod à Capitulo Generali jam tunc exierat ſuper inſtitutione quorumdam filiorum familias in noſtris ſeminariis. Satis eſt inſpicere noſtras Regulæ declarationes, quæ impreſſæ fuerunt anno 1646. in quibus Philoſophiæ & Theologiæ, literarum etiam Græcarum atque Hebraicarum & Sacræ Scripturæ certa & ordinata ſtudia præſcribuntur. Satis eſt denique conſulere adnotationes P. Menardi in Concordiam Regularum editam anno 1638. & quantum ad rem noſtram attendenda præcipue ſunt ea verba: *Atque inde ignorantia, vitiorum mater & nutrix, atque etiam ærugo animorum acedia ex hujuſmodi rerum faſtidio nata, univerſam Monaſteriorum diſciplinam radicitus exſtirparunt.*

Concord. Reg. pag. 1087.

parunt. Hæc noſtrorum Patrum animis triginta ab hinc annis ſententia inſederat.

Nihil igitur poſt illud tempus quoad id in regulari obſervatione immutatum fuit: eadem agendi ratio ſervata quæ antea circa ſtudia obtinuerat: & ſi quæ forte contigit immutatio, æquum eſt ut Deo humiliter infirmitatem noſtram teſtemur, & emendari etiam atque etiam nitamur: at minime puto jus eſse Auctori Reſponſionis nos propterea in crimen palam vocare, & publicam notam inurere, aut hujuſmodi mutationem aſcribere literariis laboribus, quibus aliqui ex noſtris nuper in publicum bonum deſudarunt.

Fas erat ſaltem ante hujus rumoris diffuſionem Superiores de hac re benigniter admonere, ut integrum illis eſset quæ perturbari inceperant coordinare. Nam quo magis autoritas & fama, quas ſibi D. Abbias meritò apud omnes conciliavit, publice commendantur, eo gravior & altior plaga noſtræ Congregationi per ejus ſcripta infligitur: & ægre perſuaderi poterit non modo iis qui illum noverunt, & perquam honorificè obſervant & colunt, ſed adhuc magis poſteris omnibus, ea quæ de noſtra Congregatione ipſe affirmavit, non eſſe omnino veritati conſentanea, ac certa, neque illi ſatis explorata & comperta fuiſſe.

Interea ſi petas quem habeat D. Abbas auctorem & indicem eorum omnium, quæ adverſus nos paſſim venditat, idem hic reſpondebo quod alibi monui. Nempe omnem ejus notitiam inniti fortaſſe narrationibus quorumdam parum ſanæ mentis, a quibus ſignificata illi fuerint quæ appoſite ipſis eſſe viſa ſunt ad ſuam apoſtaſiam & inſtabilitatem aliquo ſpecioſo colore illinendam & obducendam; aut certe hæc omnia illum accepiſſe ex epiſtolis furtive ad ſe miſſis à quibuſdam Congregationi infenſis. Id illi fuit ſatis, ut publico ſcripto toti Congregationi dicam intenderet, ut eam inauditam condemnaret, & relaxationis in regulari diſciplina palam argueret. Id illi fuit ſatis, ut Superiores traduceret quaſi parum ſollicitos & nihil penſi habentes ſuos alumnos à communibus exercitiis immunes reddere. Denique id ſatis illi fuit, ut ſtudiis, ac ſcientiarum amatores viros reprehenderet, utpote qui omnia regularis diſciplinæ capita infringant. Mihi ſane diſplicet in hac neceſſitate verſari, ut hæc omnia ſingillatim perſequar & exagitem: ſed ſi ea ſilentio præterirem, facile omnes putarent, me illa non poſſe refellere; amoris vero & obſervantiæ officium, quo proſequi teneor illud Corpus, cujus ut membrum ſim feliciter mihi contigit, me ad aſſerendum illius decus & nomen omnino compellit, interea quoad fieri poteſt parcendo nomini Trappenſis Abbatis, quod unice colo & obſervo.

Ceterum credibile valde eſt, eum ex eodem fonte hauſiſſe quæ narrat de Academia ante aliquot annos erecta in Cœnobio S. Michaelis in Lotaringia de Congregatione S. Vitoni. Contendit quippe D. Abbas *talem fuiſſe hujus Academiæ exitum, ut ab erigendis hujuſmodi Academiis Monachos poſthac retrahere debeat*. Age videamus, quænam ex hujus *pag.* 397.

Academiæ fundatione ſequuta ſint adeo gravia incommoda & offendicula, ut quarumcumque Academiarum erectionem ſuſpectam reddere valeant. *Nihil hic particulatim recenſebo*, ait D. Abbas, *quòd nolim quempiam offendere*. Perinde ac ſi iſtud ſilentium non offenderet magis quam ipſa rerum manifeſtatio. Sed fortaſſe appendicula marginalis, ad quam aſteriſcus hoc loco in Reſponſione appoſitus remittit, amplius quiddam indicabit. En appendiculæ verba: *Jam inde à primo fundationis anno hos conventus ſolvere coacti ſunt, ut pernicioſos effectus averterent, qui inde conſequi potuiſſent*. Huc redeunt omnia; nihil certi, nihil reipſa conſtantis hic proditur, quod textus Reſponſionis præſeferre videbatur; ſed omnia vaga & indeterminata, imo intricatiora per hanc appendiculam redduntur. Cum ea enim notet, coactos fuiſſe Superiores has Academias ſive hos conventus ſolvere, ut pernicioſos effectus, qui conſequi potuiſſent, averterent; colligitur, hujuſmodi effectus tunc nondum inde conſequutos fuiſſe, quod ipſis Reſponſionis verbis opponitur, quæ expreſſe innuunt, talem hujus Academiæ exitum fuiſſe, ut ab erigendis hujuſmodi Academiis Monachos poſthac retrahere debeat. Adde quod ne hoc quidem reipſa contigit, ut ii conventus ſolverentur; cum ex eo tempore ſex annos ſubſtiterint, & nunc quoque ſubſiſtant; pernicioſi vero effectus omnino rediguntur ad quaſdam Annotationes, quæ inde prodierunt in Bibliothecam D. Dupin. Judicent Lectores, an hujuſmodi effectus adeo ſint graves & formidoloſi, ut *Monachos impoſterum ab erigendis Academiis retrahere debeant*. Hoc ſaltem indubium eſt, non ita ſenſiſſe ſuperiores Congregationis Sancti Vitoni, qui nedum iſtam Sancti Michaelis Academiam ſolvere umquam noluerunt, verum etiam earum numerum auxere, quibuſdam aliis recens fundatis; cum propria experientia edocti ſibi perſuaſerint moratiores & ſanctiores apud ſe illos eſſe, qui præ ceteris ſtudia colunt, & doctrinæ laude coruſcant.

Ex his rerum argumentis à me recenſitis inferri poteſt, non eſſe ita facile credendum quibuſdam relationibus, quarum auctores veriſimile eſt fuiſſe viros infenſos aut transfugas, vel etiam ſi lubet, noſtrarum obſervationum juxta rei veritatem minime gnaros. Neque id novum eſt, ſed omni ævo pariter contigit: & S. Auguſtinus hujuſmodi ingenia maledica deſcribens in ſuo Commentario in Pſalmos, unum ex illis inducit ita loquentem: *Quis me hic quærebat? Ego putabam quia charitas eſſet hic. Et paucorum moleſtia irritatus* (pergit Sanctus Doctor) *dum non perſeveraverit implere quod vovit, fit deſertor tam ſancti propoſiti, & reus voti non redditi. Jam vero cum inde exierit fit & ipſe vituperator & maledicus, & dicit ea ſola, quæ quaſi ſe pati non potuiſſe aſſeverat. Et aliquando vera* ſunt quæ hic narrat (inquit S. Auguſtinus.) *Sed vera mala malorum toleranda ſunt propter ſocietatem bonorum*. Ut vero injuſtum quodammodo eſt bonos cum malis confundere; ita injurium eſt dedecoris noxam utriſque exhibere ferendam: tunc vero Eccleſiam ædificatione, quæ ex optimis exemplis dimanat, fraudaveris, cum ea à vitioſis & pravis mini-

Aug. in Pſal. 99. n. 2.

Digitized by Google

minime diſtinxeris, ſiquidem iſta, ut contendis, certa & explorata dignoſcantur.

Novi equidem, S. Bernardum in ſua Apologia, adverſus Relaxationes Monachorum Cluniacenſium invectum fuiſſe. Sed ut S. Bernardi in reprehendendo auctoritatem hic prætermittam, hanc ab illo reprehenſionem expreſſerunt preces & hortatus, probiſſimi & piiſſimi Abbatis hujus Ordinis, nempe Gulielmi S. Theoderici, qui Cluniacenſis Ordinis quodammodo membrum ſe eſſe præſeferebat, ut pleraque illius ævi Gallicana Cœnobia communicatione hujus Ordinis cenſebantur. Præterea S. Bernardus intima hujus Ordinis nequaquam curioſe ſcrutatur. Monachorum Cluniacenſium pietatem, humilitatem, & reliquas virtutes non attingit, quippe quæ ſoli Deo ſunt cognitæ. Quaſdam tantummodo obſervationes, & aliquos exterius prodeuntes defectus reprehendit, in iis quæ ſpectant ad comeſtionem, ad potum, ad veſtimenta, quæ omnia externa ſunt, quæque uſus omnino indifferentia reddebat. Interea tamen dum ea reprehendit, primos hujus Reformationis Auctores honorifice fecernit, & ab omni nota defendit, Sanctum Medelacum, Sanctum Odilonem, Sanctum Hugonem, neutiquam illos damnans, qui Regulæ nonnullas mitigationes intulerant, ut multorum imbecillium capacitati illam accommodarent. Denique Sanctus Bernardus incipit à gravi redargutione adverſus Ciſtercienſes, qui ſpecie ſeverioris diſciplinæ, & accuratioris Regularum obſervantiæ, periculo ſeſe objecerant amittendi, quod vitæ aſceticæ caput eſt & ſumma, nimirum charitatem & humilitatem.

ARTICULUS XXVII.

Incommoda & abſurda, quæ à ſtudiis & ſcientia proveniunt. Hæc incommoda & hi pernicioſi ſtudiorum effectus cum iis quos parit ignorantia, juxta ponuntur & comparantur.

Nihil eſt quod in ſua Reſponſione D. Abbas prolixius perſequatur, quam abſurda & pernicioſa effecta, quæ ipſe putat ſtudiis & ſcientiæ eſſe adſcribenda. Nos in pluribus harum Animadverſionum locis nonnulla jam attigimus; ſed neceſſe eſt hac de re fuſius diſputare, antequam hujus operis finem faciamus.

„ Et primo quidem contendit, Monachos tunc omnino ſe ad pag. 102
„ ſcientiarum cultum convertiſſe cum morum pietatem & ſan-
„ ctimoniam deſeruerunt; ad cujus rei fidem faciendam nun-
„ quam tantam ait diſciplinæ remiſſionem contigiſſe, quanta ſæ- pag. 123.
„ culis, octavo, nono, & decimo contigit, quibus magnis, ſi

Digitized by Google

„ umquam alias, Monachorum ſtudia colentium proventus extitit.
pag. 350. „ Ibi regulam, regularitatem, diſciplinam, ædificationem, exem-
„ plum obliterari & negligi, ubi conſtituta ſunt ſtudia. Verum ne ſingillatim omnia perſequar quæ ſunt hujus argumenti, quamplurimis locis in ejus libro ſæpius inculcata; ſat fuerit animadvertere enumerationem decem plagarum, quas ſub libri finem ſtudiis & ſcientiæ, ſive potius meo de illis Tractatui tribuit, procul dubio alludens ad decem plagas, quibus olim ſub Pharaone Rege percuſſa fuit Ægyptus.
pag. 460. „ Prima huc redit, quod per hunc Tractatum toti Ordini maculam
„ & vulnus inflixerim, ubi demonſtrare conatus ſum, antiquos Cœ-
„ nobitas ſcientiarum ſtudio ſeſe dediſſe: quod idem eſt, ait D. Ab-
„ bas, ac eos ſimplicitatis & humilitatis ſpiritu deſtitutos exhibere.
pag. 452. „ 2. Hoc pacto animorum collectionem è clauſtris eliminari, & pro
pag. 463. „ ea diſtractionem irrepere. 3. Spiritum orationis ſcientia aboleri. 4.
pag. 464. „ humilitatem labefactari. 5. Regulares obſervationes ſuum vigorem
„ ſtudiorum cauſa deperdere. 6. Regna & Reges hoc pacto fraudari
„ iis adminiculis ſpiritualibus, quæ a Monachorum orationibus olim
„ ſibi comparabant. 7. Populos eorum ſalutaribus exemplis deſtitui.
pag. 465. „ 8. Inde conſequi laboris ſuppreſſionem, & otii introductionem. 9.
„ Sollicitudinem quoque ac ſtudium aſſerendi privilegia & exemptio-
„ nes. Decima tandem plaga, quæ *omnium eſt deterrima*, ſive potius
„ aliarum cumulus & compendium, hæc eſt, quod late diffuſi ſtudii
„ methodum edentes, vitæ Monaſticæ profeſſionem Deo ſummopere
„ acceptam deformamus, atque illi proprii decoris & ornamenti,
„ propter quæ mundi oculis ſpecioſa olim viſa fuit, potiſſimam par-
„ tem eripimus, nempe ſolitudinem, ſilentium, ſeceſſum, humili-
„ tatem, mortificationem, laborem, ſimplicitatem, orationem; at-
„ que eam omnibus armis ſpoliamus, quibus ad defendendam Eccle-
„ ſiam, & propugnandam veritatem quondam uſa fuit.

Cum has decem plagas a meo ſtudiorum Tractatu infligi putet Reſponſionis Auctor; nequaquam inopportunum videatur parumper in hac materia verſari, quo me ipſum & opus damnem, ubi inde tam luctuoſos effectus conſequi reipſa comprobetur.

Patet ex deſcriptione, quam modo animadvertimus, D. Abbati perſuaſum fuiſſe, malos effectus, quos ſtudia & ſcientiæ parere poſſunt, & quandoque etiam pariunt, vitari omnino, non poſſe, ſaltem in iis Communitatibus, in quibus ſtudiorum cultus viget. Etenim ſi his abſurdis & incommodis occurrere licet, & de facto occurritur; & ſi in meo Tractatu ſumma ope niſus ſum ut omnes afferrem præcautiones, quas neceſſarias duxi ad hoc ut ea incommoda removerentur, profeſſus alioquin ſatius eſſe ſtudiis & ſcientiæ valedicere; non video quæ ſuperſit ratio adeo vehementer impetendi noſtrum de ſtudiis Tractatum. Ego autem defendo nedum magnum privatorum hominum numerum, hoc eſt celeberrimorum Sanctorum Ordinis Monaſtici, verum etiam integra aſcetarum ſodalitia hos ſcopulos & hæc offendicula vitaſſe, & quotidie vitare. In meo quoque Tractatu omnem

Digitized by Google

nem operam contuliſſe mihi videor, ut hæc ſtudiorum abſurda & incommoda præverterem aut propulſarem. Immerito igitur hujuſmodi plagæ tum Communitatibus ipſis, tum meo Tractatui tribuuntur, perinde ac ſi a ſtudiis prorſus ſeparari non poſſent.

Infinitus, ut ita dicam, ſanctorum virorum numerus vitæ ſanctimonia profecerunt ſtudiis literarum intenti; S. Baſilius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Hieronymus, S. Gregorius Magnus, Venerabilis Beda, S. Paſchaſius Radbertus, S. Anſelmus, S. Thomas, S. Bonaventura, & aliorum hujuſmodi multa millia. Neque vero propterea ſpiritum humilitatis, ſimplicitatis, recollectionis, mortificationis, orationis amiſerunt. Dionyſius Exiguus Abbas proponi poteſt ceu quoddam hujuſce rei exemplar. Noverat ille cum excellenti ſapientia miram ſimplicitatem conjungere. *Fuit in illo*, ut Caſſiodorus illius familiaris teſtatur, *cum ſapientia magna ſimplicitas*, *cum doctrina humilitas*, *cum facundia loquendi parcitas*. *Caſſiod. divin. lit. c. 23.*

S. Paſchaſius Radbertus itidem cum ſtudio ac ſcientia ſpiritum humilitatis jugiter ſervavit, adeo ut numquam ad recipiendum Sacerdotii ordinem adduci potuerit, quo ſe indignum judicabat; & in fronte ſuarum Epiſtolarum, atque aliarum lucubrationum ſeſe appellare conſueverit *Monachorum omnium peripſema*. Juxta eumdem humilitatis ſenſum moriens vetuit, ne quid umquam de ſe ſcriberetur, & cum Monaſterii famulis ſepeliri voluit. Sexcenta vero hujuſcemodi exempla in medium afferre promptum eſſet.

Denique ipſis oculis noſmetipſi quotidie cernimus intra noſtra Cœnobia, quorum ordinatiora & morigeratiora hic in teſtificationem appello, eos, qui ad ſtudia incumbunt, haud raro ceteris humiliores, diſciplinæ obſervantiores, & ſeceſſus magis amantes eſſe. Ad ſummum ergo quidquid mali deprehendi poteſt, a ſtudiis communibus ortum ducet, quæ in Philoſophicis & Theologicis curſibus peraguntur. Et fateor quidem in iis aliqua abſurda contingere poſſe, & nonnumquam reipſa contingere, quemadmodum in ſtudiis particularibus. Sed ſi ipſis rerum argumentis convincimur, nonnullos ſingillatim Monachos poſſe cum his ſtudiis ſeſe in officio continere toto vitæ tempore; quare non poterunt intervallo quatuor aut quinque annorum in ſtudiis communibus? De iis hic loquor, quæ fiunt intra Monaſteria, non vero de iis, quæ in Univerſitatibus, quæve revera gravioribus offendiculis obnoxia eſſe noſcuntur. Id procul dubio facere licebit, ut quotidie fieri cernimus, dummodo Superiores de præficiendo optimo Doctore, qui pietate non minus ac ſcientia tyrones inſtituere velit, ſint apprime ſolliciti, atque iis invigilent; dummodo tandem qui ſtudiis abutuntur ab iiſdem omnino removeantur.

Sed licet hæc ſtudia communia aliquibus abſurdis atque incommodis obnoxia fuerint, quærendum tamen eſt, an commodis & utilitatibus, quas eadem ſtudia præſtant, compenſentur; & num ab inſcitia æque gravia, imo fortaſſe graviora mala timenda ſint. Etenim non video plane, cur ſtudiorum incommoda magnopere metuentes & ſollicitè

citè propulſantes, eorumdem bona & utilitates, malaque ex ſcientiæ defectu provenientia minime conſideremus.

Mihi videtur in primis, magnum hoc quiddam eſſe, quod ope ſtudiorum Monachi ad peragendas cum fructu lectiones a Regula præſcriptas apti reddantur: quod Sacræ Scripturæ & Patrum intelligentiam adipiſci queant, a præpoſtero ſenſu in iis legendis feliciter tuti: quod hac via ingenii facultates divinitus ſibi collatas exerceant: quod ad utilem operam proprio Ordini, Eccleſiæ, ac Reipublicæ navandam comparentur, ut eorum majores fecere; aut ſaltem in ſua illi ſolitudine fructuoſius occupari poſſint, quam ceteri, qui nullum ad ſcientias aditum ſibi aperuerunt.

Deinde mihi videtur D. Abbas conſiderare ſtatum Monaſticum ut quoddam ens metaphyſicum, & ſingulos Solitarios ut totidem Angelos, quorum cogitationes, motus, & affectiones modo uniformi, invariabili & perpetuo ad idem objectum intendere debeant, ſine ulla mentis vel levi & innocua evagatione ad alias res, quæ Deus non ſunt. Hujuſcemodi ſtatus omnino revera deſiderabilis eſt, atque ad illum omnes Solitarii aſpirare debent. Verum ii conſtant corpore, & forti ſunt ſpiritum limitatum, qui diu in eodem objecto ſine diſtractione verſari non poteſt, quin egeat hanc intentionem pauliſper remittere. Eorum quoque voluntas adeo parum eſt firma, ut neceſſe habeat affectiones & motus identidem variare, ut faſtidium & ſatietatem devitet. Veluti corpus levamento & remiſſione eget, ita ſpiritus & voluntas nonnumquam opus habent contentionem ſuam in varia objecta dirigere, ne nimium defatigentur. Caput etiam nimis intentam applicationem ferre non poteſt, quin frangi quodammodo & debilitari periclitetur. At quæ animum relaxandi magis innoxia ſuccurrit ratio, quam ſtudium? Quod ſi velimus omnium generatim Chriſti Fidelium obligationes & officia eo uſque provehere, quo provehuntur illa Monachorum: cum Deum totis viribus tota mente, & tota anima diligere teneantur; cum eorum cogitationes omnes in cœlum indeſinenter erigi & cœleſtia ſapere debeant; cum eorum vita omnino in oratione & contemplatione tranſigenda, & quodammodo in Deo cum Jeſu Chriſto occultanda ſit; cogemur dicere, rem eo devenire, ut omnes Chriſti fideles quacumque alia applicatione & quolibet ſtudiorum genere prohibeantur non ſecus ac Religioſi: perinde ac ſi his officiis ſatisfacere non poſſent, omnes ſuas actiones, atque adeo illas, quæ magis ſunt indifferentes, ad Deum referendo.

Præterea quædam reperias haud raro ingenia acuta, perſpicacia, & fervida, quæ diu in levibus & planis argumentis hærere nequeunt. Itaque illa quandoque abſtruſarum tractatu materiarum exercere neceſſe eſt, ut ipſorum acerrima vis & volubilitas ſiſtatur & coerceatur; atque id ſtudio efficitur. Ideo in Scriptura Sacra magnas Deus difficultates rebus plane obviis & uniuſcujuſque captui accommodatis immi-
Auguſt. ſcuit, ut eam omnigenis ingeniis exæquaret, juxta mentem Sancti
Ep. 37. Auguſtini, qui de illa ait, *Omnibus acceſſibilis, quamvis pauciſſimis penetra-*

netrabilis: Invitat omnes humili ſermone, quos non ſolum manifeſta paſcat, ſed etiam ſecreta exerceat veritate.

Animadverti etiam debet, non unum & ſimplex, ſed varia ac multiplicia eſſe in Eccleſia, in Religioſa profeſſione, & in ſæculo bene agendi exercitia. Qui in ſolitudine degunt utilem operam navant orando; ſed præter orationes, quas homines ſtudio dediti neutiquam abiiciunt, non minus aliquando aliarum ope exercitationum, ac præſertim ſtudendo prodeſſe poſſunt. An putas ex. gr. virum religioſum, cui rerum temporalium ſui Monaſterii cura demandata eſt, fraudare Reges & Regna ſuis orationibus, ac populos exemplo, quoties propter negotiorum geſtionem neceſſariam, divinis officiis & communi fratrum labore abeſſe cogitur? Imo vero indubium eſt, obedientiæ meritum, & piarum propenſionum ad communia exercitia exequenda humile ſacrificium illi eſſe orationis loco; ac modeſtiæ & regularitatis exemplum in exterioribus ſe prodens abunde ſupplere reliquis omnibus officiis, quibus in ſua vivendi ratione deeſſe videtur. Solitarius ſtudiis intentus non minus ac ceteri plerumque orat. Sed quamquam nullis aliis orationibus præter communes ſatisfaceret, orationis extraordinariæ tamen defectum alias farciret, dum ſtudio & doctrina ad alios erudiendos & pietate imbuendos idoneus redditur; quod orationis loco illi eſſe poteſt. *Multitudo ſapientum ſanitas orbis terrarum.* Quid quod, ſi rem æqua lance velis expendere, Religioſus qui trium horarum ſpatium quotidie in opere manuali inſumit, haud minus Reges & Regna ſuis orationibus fraudat, quàm ille, qui idem tempus ſtudio impendit: quod ſi contendas laborem manuum vice orationis eſſe, ſtudium quoque modo religioſo inſtitutum haud minus meritorium eſſe fatendum eſt.

Poſtremo in Religioſis Ordinibus fundationis aut Reformationis initia ab eorum incremento & progreſſu diſtinguenda ſunt. Per aliquod tempus ſine ſtudiis & cultu ſcientiarum ſuſtineri poſſunt aſcetica inſtituta in ſuis exordiis, quando viget maxime fervor diſciplinæ, qui ſpiritui & cordi alimentum præbet. Nimirum eæ veritates, quæ novæ penitus videntur, feriunt animam. Primitiæ divinæ gratiæ quæ intus operatur tam ſuavi delectatione Neophytorum corda demulcent, ut non ſinant ea in alia objecta transferri. Egregii novitas inſtituti, exempla quæ cernuntur in Fratribus pio quodam ac delectabili ſpectaculo imaginationem penitus afficiunt. Sed ubi hæc omnia deſinent nova videri; cum acies, propter quam exquiſito ſenſu percipiuntur, hebes & obtuſa fuerit; cum primus naſcentis ardor gratiæ paulo deſerbuerit; cum imaginandi vis regulari & uniformi vitæ aſſueverit; jam tum ſe prodet uſus intentæ cogitationis actus revocandi per novas rerum notiones, quæ cordis in Deum motus tantiſper intermittent, ut rurſus majori cum vi & delectatione ad eumdem ferantur. Ita ſanctæ veritates, quæ de ſe antea animum percutiebant, denuo afficient, ubi novis & ex antiquitate ac hiſtoria petitis argumentis inſtructas ſeſe exhibuerint: ac imaginandi vis novis hiſce notionibus diſtenta,

rerum mundanarum vanis imaginibus deludi ſe non patietur.

Verum enimvero utut conceſſerim, varia abſurda & incommoda ex ſtudiis Monachorum exoriri, haud pauciora tamen ex ignorantia proveniunt. Quorum præcipuum & quam maxime pernicioſum eſt hebetudo, ex qua ad lectiones cum fructu peragendas inepti redduntur; niſi cæteroquin acerrimo polleant ingenio, quod rare evenit Solitariis, quorum acies ſolitudine & ſilentio facile obtunditur.

Ex legendi faſtidio oritur ſeceſſus tædium, & quædam neceſſitas vacandi tantummodo corporis laboribus, quorum exercitatio artifices & mechanicos facit, non ſpirituales & myſticos; imo & valet animum diſtrahere, ac reipſa diſtrahit magis quam ipſum ſtudium.

Hinc Solitarii, qui minimum ſpiritualitatis habent, indociles fiunt & moroſi, præſertim ſi rudi & aſpero ingenio a natura facti illud non expoliverunt aut mitigarunt ſtudio literarum. Hinc nonniſi difficillime propoſitis veritatibus, & Superiorum exhortationibus commoventur, religioſarum rerum aſſiduitate & uſu quodammodo occalleſcentes, & pulcherrimis notionibus perquam leviſſime affecti.

Neque propterea minus in ſuo ſenſu pertinaces, aut in ſuis opinionibus temerarii deprehenduntur. Cum lumine ſcientiæ careant, quo ad amplectendas potiores partes in ambiguitatibus occurrentibus manuducantur; cumque illorum Superiores plerumque eas enodare non ſufficiant; caſus aut affectus eos in ſententiam pertrahit, cui obſtinate adhærent, perinde ac ſi potiſſimis rationibus ad eam amplectendam fuiſſent adducti.

Ex hiſce noxiis affectionibus animi ortum habent inurbanitas, mutua ſermonis aſperitas, infeſtæ & inconditæ admurmurationes, proborum Superiorum in his Communitatibus inopia; ac denique diſtractio, & relaxatio diſciplinæ, quæ omnino fere vitari non poſſunt. Superiorum temporum experientia id comprobavit, & poſthac infauſtè comprobabit, donec ſtudia & ſcientiæ ſuppetias ferant, quo pernicioſi hujuſmodi effectus arceantur.

Quisnam enim huic malo mederi poſſet? Extraneorum commercio præcluſus eſt aditus. Intus nemo eſt, ſive Superior, ſive ſubditus, qui docere, illuminare, exhortari, arguere valeat, aut alios denique dirigere ſciat; ita ut contingat hiſce Communitatibus, quod S. Thereſia ne ſuis monialibus contingeret magnopere verebatur, nimirum ſapientium moderatorum inopia. Ad hoc evitandum malum, eam quæ fuerit „ Superioriſſa electa, obteſtatur in nomine Jeſu-Chriſti ut curet „ ſemper ab Epiſcopo aut Provinciali pro ſe & ſuis Monialibus obtine- „ re, quatenus libere poſſint cum viris doctis de rebus ad ſpirituale „ & internum regimen pertinentibus communicare; præſertim ſi Con- „ feſſarii earum ordinarii quantumcumque probi ac pii viri, minus do- „ ctrina ac ſcientia valeant. Avertat enim hoc malum ab illis Deus „ (ait), ut in omnibus duci ſe patiantur ab imperito Confeſſario, li- „ cet pius ac devotus ipſis eſſe videatur, & re ipſa talis ſit. Scientia „ potiſſimum confert ad hoc ut omnia recte & ſapienter diſponantur; „ ne-

S. Tereſa ſtra da della Perfez. c. 5.

„ neque impoſſibile eſt viros doctos ſimul & ſpirituales invenire. Hanc de Moderatoribus doctis aut imperitis fovebat ſententiam egregiæ ſanctitatis fœmina ſapiens & illuminata.

Hunc de ignorantiæ effectibus locum commodius abſolvere nequeo, quam referendo duodecim plagas, quas Cardinalis de Turrecremata a defectu ſcientiæ in Monaſteriis oriri ſtatuit, Tractatu 114. ſui Commentarii in Regulam S. Benedicti. „ Primum malum eſt cæcitas igno- „ rantiæ, quæ mater eſt cunctorum errorum. 2. Immunditia multa. „ 3. Quod qui cum infirmitate Monaſteria intrant, vel qui infirmita- „ tem ibi incurrunt, non curantur. 4. Defectus attentionis in Supe- „ rioribus, qui de profectu ſubditorum minimum ſunt ſolliciti. 5. „ Quod qui in Monaſteriis ab hoſtibus ſpiritualibus impugnantur non „ habeant vim ad reſiſtendum. 6. Quod Sacramenta conculcantur. 7. „ Corruptio Simoniaca in receptione fratrum. 8. Quod in multis Mo- „ naſteriis carnaliter vivitur. 9. Quod temporalia ſpiritualibus præ- „ ponantur. 10. Quod peccata valde non timentur. 11. Defectus bo- „ norum ſpiritualium. 12. Duodecimum malum, quod provenit in „ Monaſteriis ex defectu eruditionis, eſt defectus perſonarum. In hanc perniciem adducuntur Monaſteria ex defectu ſcientiæ, prout huic Cardinali viſum eſt: nullum autem dubium eſt, quin hæ duodecim plagæ haud minus ſint metuendæ, quam illæ decem, quas Dom. Abbas ſtudio ac ſcientiis attribuit.

Ergo utrobique abſurda & offendicula naſci poſſunt, tam occaſione ſcientiæ, quam inſcitiæ. Quæ naſcuntur ex ſcientia perſequutus eſt D. Abbas vehementer, acriter & diſerte; atque ita rem propoſitam amplificavit, & per tot partes ſub aſpectu poſuit, ut unius vice plagæ decem exhibuerit. At ſi rem ipſam propius inſpiciamus, labem humilitatis iterum & tertio ab eo recenſeri intelligemus, nec in novem prioribus plagis quidquam reperiemus, quod decima non includat.

Sed ſi vel minimam labem aut plagam noſter de ſtudiis Monaſticis Tractatus aſcetico inſtituto inflixiſſet, id nimium valde profecto eſſet. Ipſe mihi haud levem culpam viderer admiſiſſe, & mecum infeliciter agi putarem, quod non modo tam pernicioſam exempli imitationem aliis prodiderim, verum etiam quod ſtudium & laborem contulerim ad vineam Domini depopulandam, & ſepem diſciplinæ illius infringendam, ut illuc diſtractionem, ſuperbiam, cenodoxiam, calliditatem inveherem, pro ſeceſſus amore, pro humilitatis & ſimplicitatis ſpiritu, ex quibus hujus vineæ pulchritudo conſurgit. Væ mihi, ſi tanti criminis reatu me obſtrinxiſſem! Merito quidem vereri debeo, ne aliquatenus offenderim vitæ ratione a regulis diſſentanea: ſed ægre adducor ut credam, tot mala ex meo Tractatu oriri poſſe, dummodo reſtrictiones, quas afferre curavi diligenter obſerventur. Ceterum ii, qui eum legere haud dedignati ſunt, plane aliter ac D. Abbas de eo pronunciarunt. Haud ſcio, an iidem lecta ipſius Reſponſione ſententiam mutaverint; ſed plane arbitror, paucis meam opinionem hactenus viſam eſſe *periculoſam*. Utut ſeſe res habeat, hoc opus Eccle-

Digitized by Google

ſiæ, atque omnium proborum & ſapientum virorum judicio ſubmitto, emendaturus quæcumque ipſis emendatione egere videbuntur.

Viderit tamen D. Abbas, qui me nimium ſtudiis tribuiſſe putat, an ipſemet ſcientiarum defectui nimium tribuerit. Utraque magnis offendiculis obnoxia eſſe poſſunt. Sed hoc intereſt, quod inſcitia nulli bono comparata eſt: at ſcientia ad rem aliquam utilis eſſe poteſt, atque aliis prodeſſe, quin de ſuo ſilentio & receſſu emergat. *In privato publicum negotium agit*. Certe hoc boni importat, quod vir ſtudiis intentus nec ſibi nec aliis gravis eſt. *Si te ad ſtudia revocaveris*, ait Seneca, *omne vitæ faſtidium effugeris, nec noctem fieri optabis tædio lucis: nec tibi gravis eris, nec aliis ſupervacuus*. Sed rectius cum S. Hieronymo in ejus Epiſtola ad Monachum Paulinum dicamus: *Sancta ruſticitas ſolum ſibi prodeſt; & quantum ædificat ex vitæ merito, tantum nocet, ſi contradicentibus non reſiſtat*.

Seneca de Tranquil. c. 3.

Ex iis, quæ de ignorantiæ effectibus hactenus diſſeruimus, nolim intelligi, propoſitum fuiſſe D. Abbati eam in clauſtra invehere, aut fovere. Novi enim illum hanc a ſe amoliri opinionem, ac præſertim ubi ait: *Dixerit profecto quiſpiam, mihi in animo eſſe, ut Monachi in ignoratione rerum omnium vivant. Abſit. Fateor, neceſſe eſſe, ut Monachi aliquam ſcientiæ partem attigerint; cavendum tamen eſt, ne eorum ſcientia vitæ rationem, quam profeſſi ſunt, diſturbet aut pervertat. Hujuſmodi itaque eſſe debet, ut eos non reddat imbecilliores, aut in officiorum ſuorum contemptum trahat, ſed contra ferventiores, accuratiores, & Regulæ ac diſciplinæ tenaciores exhibeat*.

pag. 466.

Conſtat ergo, a D. Abbate omnem illam ſcientiam, quæ vivendi rationem, quam Monachi profeſſi ſunt, non diſturbat aut pervertit, quæque ipſorum fervorem & exactitudinem auget, ipſis permitti. At Monachos antea Chriſtianos eſſe novimus, quam aſcetico inſtituto addictos. Sequitur ergo, ut quidquid ſcientiæ Chriſtianis convenire poteſt, iiſdem permittendum ſit: lectio & intelligentia Sacræ Scripturæ tam Veteris quam Novi Teſtamenti; cognitio Eccleſiaſticorum Dogmatum; inſtrumenta diſcendi, prout fas eſt, eamdem Scripturam, & Dogmata. Debent ergo ita ſe comparare, ut eorum ſtudium inſtituere per ſe poſſint, aut docile ingenium adhibere aliis docentibus. Vulgus fidelium a Paſtoribus, ab Epiſcopis eruditur. Unde ſuam Monachi eruditionem haurient, niſi ſi intra Clauſtra rationes diſcendi ſuppetant, & Religioſis permittantur ſcientiæ primitivæ, ut cum Conciliis loquar, quæ illos ad ſupradictas cognitiones expeditos reddant? *Cur trium ad ſummum menſium* intervallo concludenda erit lectio eorum, quæ pertinent ad Chriſtianam doctrinam? Numquid Religioſi, quorum nonnulli aliquando Fratrum ſuorum Moderatores erunt, tantillo temporis ſpatio addiſcere poterunt quidquid alios docere tenebuntur, cum illis docendi & regendi provincia demandata fuerit? Quomodo ſubditorum ſuorum vel maxime docibilium difficultates enodabunt, doctrina & ipſis doctrinæ acquirendæ modis deſtituti? Quoad hoc præcipue noſtra a D. Abbatis ſententia perpetuo diſcrepabit.

pabit. Utut latiſſimum lectionum campum Solitariis ipſe permittat, hæ lectiones ferme inutiles & infructuoſæ pleriſque fient, dum ex iis proficiendi rationes & media inferioribus ac Superioribus neget. Hinc ſequitur, omnes haſce lectiones non impedire, quominus in eamdem quam effugere vellet, ignorantiam recidat.

ARTICULUS XXVIII.

Utrum Monachorum ſcientia cauſa fuerit hæreſeon, quæ in Reſponſione nobis oppoſita ipſi tribuuntur.

INter pernicioſos effectus, quos ex ſtudiis & ſcientia Monachorum fluxiſſe autumat D. Abbas, nullum acrius, & ſi dicere auſim, infeſtius perſequitur, quam hunc de hæreſibus, quarum nomine eoſdem Monachos aperte coarguit. Nam cum urgeri ſe conſpiceret *objectu utilis & egregiæ operæ, quam olim Monachi ſcriptis & eruditione ſua Eccleſiæ navarunt;* uno calami ductu hanc Monachorum operam inducit & delet, contenditque, *innumeros eſſe, qui ingentia mala eidem Eccleſiæ intulerunt, atque eam vulneribus nondum ad hanc diem obductis, & cruorem uſque ad mundi exitum extillaturis miſere ſauciarunt.* pag. 46. & ſeq.

Neque hic ſubſtitit; ſed longa enumeratione facta multarum hæreſeon, quarum auctores Monachos facit, iis acceſſionis nomine etiam Lutheranam, & reliquas ſectariorum ejus attribuit. Et perinde quaſi hæc ſatis minime fuerint, adeo extra modum erumpit (nam ita loqui cogor) ut dicat, *lugendum hunc rerum ſtatum, in quo hodie mundus conſpicitur, & latiſſimam pene omnium conſpirationem adverſus maximum Regem, qui unus inter Chriſtianos Principes pro fidei defenſione pugnat ſumma tum religione, tum animi magnitudine, teſtimonium eſſe manifeſtiſſimum, ex quo patet quanto ſtudio Monachus ille Apoſtata ſuas falſas & impias opiniones conſtabilire viſus ſit. Hi ſunt videlicet* (continuo ſubdit) *pernicioſi effectus, qui a ſtudiis ſcientiáque Monachorum oriuntur.* Animadverſiones, quæ relate ad hunc locum animo ſuccurrunt, promere non auſim; at ſane iſta legi ſine aliquo horroris ſenſu vix poſſe arbitror. pag. 47.

Denique coronidis loco pronunciare non dubitat, *quoties damna quæ Monachi per ſcientiæ abuſum Eccleſiæ attulerunt, & utilitates, quarum eadem ſcientia rectè utentes cauſa eſſe potuerunt, juxta ponere, & invicem comparare libuerit: neminem fore, qui non fateatur, ſatius ad Eccleſiæ gloriam, ad quietem & ſanctificationem fidelium futurum fuiſſe, ſi in ignoratione hominum, in clauſtrorum obſcuritate Monachi delituiſſent, & in perenni ſilentio ſeſe cohibuiſſent.*

Quidni pariter dicamus, ſatius futurum fuiſſe, quod S. Joannes Chryſoſtomus, S. Epiphanius, S. Ephrem, S. Hieronymus, S. Fulgentius, S. Gregorius Magnus juge ſilentium ſibi indixiſſent? magis Eccleſiæ profuturum fuiſſe, quod S. Maximus Abbas, Venerabilis

Beda, S. Joannes, Damaſcenus, S. Bonifacius Germaniæ Apoſtolus, S. Paſchaſius Radbertus in ſuorum Clauſtrorum latebris & obſcuritate manſiſſent? denique magis conſentaneum futurum fuiſſe, quod S. Anſelmus, S. Bernardus, atque alii innumeri, qui aſceticam vitam amplexi, egregium in Eccleſia exemplum præbuerunt propria tum eruditione & doctrina, tum vitæ ſanctitate; quod magni, inquam, iſti viri in omnium ignoratione verſati fuiſſent, & nemo vidiſſet Monachos ſtudiis & ſcientiis intentos. Nempe ſequitur, ſatius futurum fuiſſe, ſi neque ſcripta Patrum, neque Concilia, neque Hiſtoriæ, quæ omnia doctorum Monachorum labore ſervata cognoſcimus, minime ſuperfuiſſent: Satius futurum fuiſſe, ut ſcientiæ in omnimoda oblivione jacuiſſent, quam ut in Collegiis & Academiis, quarum doctores & moderatores per plura ſæcula Monachi extiterunt, excolerentur: Satius tandem futurum fuiſſe, ut plura Regna omnino in tenebris Gentilitatis manſiſſent, quam ut lumine fidei ope Monaſticæ prædicationis, & ſcientiæ colluſtrarentur. Haud equidem puto, ad hæc affirmanda delapſurum D. Abbatem; attamen hæc ſingula ex ejus principiis neceſſario conſequuntur.

Age igitur has hæreſes ſingillatim expendamus, & quæramus, an revera abuſus ſcientiæ Monachorum in cauſa fuerit, ut eæ orirentur. Hæreſes, de quibus meminit Dom. Abbas, ſunt Eutychetis, Theodoſii in Sedem Hieroſolymitanam intruſi, Neſtorii, Severi, (ut ordinem ſequar quo eas enumerat) Timothei Æluri, qui Eutycheti patrocinatus eſt, ac Dioſcori in Eccleſia Alexandrina. Præterea hæreſes Pelagii, Cæleſtii, Petri Fullonis, Fauſti, Adelphi, Euchitarum, Sergii, Pyrrhi, Sabbatii, Henrici, Abbatis Joachimi, Begardorum, Beghinarum, & Abailardi. Hæreſis denique Lutheri, & ſectatorum ejus, Œcolampadii, Buceri, Jacobi & Joannis Eremitarum Ordinis S. Auguſtini, & alterius Joannis Monachi Præmonſtratenſis; ut mittam Trithemium, qui *Dei judicio magi nomen & famam ſibi aſcivit, quod ſui oblitus officii occultis & vanis ſcientiis operam dederit.*

pag. 46. & ſeq.

Sed hæc ſingula accuratius examinemus; jamque patebit, aut nihil illius inductione probari, aut oppoſitum ejus, quod intendit D. Abbas, aperte demonſtrari.

Etenim ut hæ probationes admitti poſſint, conſtare debet 1. hæreticos aut hæreſiarchas modo relatos doctos viros fuiſſe. Contra vero ſi plures ex illis inſcitia laboraverunt, argumentum inde petitum ipſius D. Abbatis ſententiam revincet: & ſi conſtiterit doctos & imperitos pares numero fuiſſe, non magis ſcientiæ abuſus doctorum virorum adverſus ſtudia faciet, quam imperitorum exempla adverſus defectum ſcientiæ.

2. Conſtare debet, ſcientiam, qua abuſi ſunt, aliam fuiſſe præter illam, quæ ad Scripturam pertinet, quamque D. Abbas Monachis permittit: ſecus enim argumentum, quod ab eorum exemplis deſumitur, æque D. Abbati ac mihi officeret.

3. Hos Hæreticos falſa dogmata quæ procuderunt, diſſeminaſſe

cum

Digitized by Google

cum adhuc intra Monaſteria degerent, non vero poſtquam inde exierunt per apoſtaſiam, aut ubi ad Eccleſiaſticas dignitates fuerant evecti: ſiquidem eo caſu errores refundi poſſent in eorum apoſtaſiam, aut gradus elationem, minime vero in ſcientiam, qua in Monaſterio abuſi non fuerant.

4. Hos hæreticos vere fuiſſe Monachos, non vero Regulares Mendicantes, nam his D. Abbas copiam ſtudendi facit.

5. Hoc etiam poſito, fuiſſe illos viros doctos & citra ullam dubitationem monaſtici inſtituti ſectatores; conſtare debet, eos ſecum traxiſſe reliquos ſolitarios qui doctrina pariter abundabant; & reliquos hoſce ſolitarios iiſdem minime reſtitiſſe, aut eos a Monaſterio pellendo, aut connitendo, ut eorum errores damnarentur. Si enim reſtiterunt, abuſus ſcientiæ illorum, non ipſa ſcientia, qua reliqui tam bene uſi ſunt, his erroribus ortum præbuiſſe dicendum eſt. Age vero ad horum principiorum amuſſim ſingula exempla componamus; provideo autem animo fore ut pateat, nullum eorum D. Abbatis ſententiæ admodum patrocinari.

Porro incipiendum eſt ab uno ex illis, quæ poſtremo attulit, nempe a Sabbatio, cum reliquorum omnium hujus Catalogi tempore vetuſtiſſimum ſit. Quam vero utilitatem inde ſibi ſumere poſſit D. Abbas ad probandum aſſertum ſuum, neutiquam percipio. Refert Socrates, Sabbatium ex Judæo ſe feciſſe Chriſtianum, & a Martiano Epiſcopo Novatiano ordinatum fuiſſe presbyterum: quum vero ad Epiſcopatus dignitatem ambitione contenderet, ab hominibus ſuæ factionis diſceſſiſſe προκαλύμματι χρώμενον τῇ ἀσκήσει, *ſimulatione vitæ Monaſticæ excolendæ*, juxta literam antiquæ verſionis; *vitæ auſterioris* juxta Valleſium: Et ad ultimum Quartodecimanis adheſiſſe. In reliquis ejus geſtis & caſibus non eſt cur moremur, cum ad rem noſtram non faciant. Habes hic Judæum, Presbyterum Novatianum, qui ſe Monachum eſſe præſefert, ut ſibi ad Epiſcopatum aditum patefaciat. Ergo Monachorum ſcientia hæreſeωn cauſa eſt. Mirum illationis genus! Quænam eſt Sabbatii hæreſis? Judæus, Novatianus, Presbyter fuit, antequam vitam monaſticam ſimularet. Adhæret Quartodecimanis, ut cum Hebræis in celebratione Paſchæ conveniat. Doctus ne an indoctus fuerit, incompertum eſt. Quidquid ſit; D. Abbas adverſus Monachos inde argumentum conficiet, quamvis Sabbatius non niſi in ſpeciem vitam Monaſticam profeſſus fuerit. Huc redit ratiocinatio, quæ ex Sabbatii exemplo conflatur.

Socrat. l.5.c.21.

De Neſtorio non conſtat an fuerint Monachus, licet *in ſuo Monaſterio* ſuburbano Antiochiæ, quod ipſe forſitan ædificaverat, aliquandiu ſit commoratus. Certe Theodoretus, cui ille notus eſſe poterat, de ipſius Monachatu ne verbum quidem habet, ubi eum poſteritati depingit, haud ſecus ac alii ejus ætatis hiſtorici. Innuit tantummodo, veniſſe eum Antiochiam, ordinatum fuiſse Presbyterum, & prædicandi officio præfectum, cum pœnitens & mortificatum vitæ genus præſeferret. Utcumque ſit, ex Socrate cognoſcimus, maximam ejus

V. Baron. an. 418.

apti-

aptitudinem in eloquendi facilitate ſtetiſſe, ceterum fuiſſe virum per-
Socrat. l. 7. c. 32. quam ignorantem, ἀγνοῦντα τὸν ἄνδρα. Cum ad Sedem Conſtantinopolitanam fuiſſet evectus, tunc denique ſuam hæreſin protulit, divinam Sanctæ Virginis maternitatem oppugnans. Exinde ingredienti Chorum ad officii celebrationem Monachus quidam aditum præcludere niſus eſt, clamans, januam illam homini hæretico eſſe occludendam. Reliqui Solitarii palam aperteque illi adverſati ſunt, & ab ejus communione diſceſſerunt. Inter alios Baſilius Abbas, & Thalaſſius Monachus & Lector cum ei indicaſſent, opinionem, quam fovebat, regulæ fidei adverſari, illius juſſu a lictoribus comprehenſi, expoliati, verberati, in carcerem detruſi, catenis vincti, & in omne miſeriarum genus projecti fuerunt. S. Cyrillus coacta Alexandriæ Synodo, ſcripſit non modo ad Clerum Conſtantinopolitanum, ſed etiam ad Abbates ejus Urbis, eorum zelum commendans, quo uſque ad illam diem pro fide ſteterant, & cohortans eos ut perſeverarent. Haud ſecus poſt Synodum Epheſinam miſit literas ad S. Dalmatium Archimandritam Monaſteriorum Urbis, quibus eum de omnibus, quæ in Concilio geſta fuerant certiorem reddidit. Sanctus hic Abbas, qui è ſuo Monaſterio poſt annos quadraginta nunquam diſceſſerat, altera Epiſtola accepta, in qua Patres Concilii eum admonebant de indignis modis, quibus a miniſtris Imperatoris Theodoſii Junioris excipiebantur in cauſa Neſtorii, cui favebat Imperator; Sanctus hic Abbas, inquam, de ſuo tunc receſſu exiit ſuorum Monachorum caterva comitatus: qui cereos manibus tenentes ad Imperatoris palatium perrexere, ab eoque quod optaverat impetravit. Propterea vocari promeruit *Epheſini Concilii Patronus*.

Depoſito Neſtorio, tantum abfuit, ut ejus occaſione Monaſtici ſtatus fama minueretur, ut in ejus locum electus fuerit Maximianus, olim Monachus, *ad componendum Eccleſiæ ſtatum, & omne vulnus pravæ hæreſis radicitus extollendum*, ut ait S. Cœleſtinus Papa in quadam Epiſtola ad Theodoſium. Sanctus hic Pontifex eidem Maximiano egregiam ſcripſit Epiſtolam, in qua eum magnis laudibus effert, quemadmodum & S. Cyrillus. Quis non videt alterum hoc Neſtorii exemplum Solitariis magis eſſe gloriæ quam dedecori? Neſtorius vir expers ſcientiæ, quique Monaſticæ profeſſioni nomen fortaſſe non dederat, Neſtorius Archiepiſcopus cujuſpiam hæreſis ſit auctor. Omnes ſolitarii illi adverſantur, & ab illius ſe communione disjungunt. Caſſianus Monachus decem libros hortatu S. Leonis contra illius hæreſin conſcribit. Huc redit culpa doctorum Monachorum in facto Neſtorii.

Pelagius erat quidem Monachus, ſed vagus, qui ſponte ſua exierat, ſeu pulſus fuerat de Monaſterio Angliæ, in quo aſceticam vitam fuerat profeſſus. Seceſſit in Italiam, ubi latenter ſuos ſparſit errores, quos Cœleſtius ejus diſcipulus ipſo audacior aperte propalavit, errans & vagus magis quam ipſe Magiſter, cum uterque non niſi Monachi nomen retinuiſſet; quamvis ex ſolo Gennadii teſtimonio colligi poſſit, Cœleſtium Monachum extitiſſe.

De-

Decus & nomen ſanctitatis, quibus ab Eccleſia Fauſtus Rejenſis Epiſcopus inſignitur, ſane merebantur, ut in hoc hæreticorum catalogo illi parceretur, quemadmodum & Caſſiano. In errorem aliquis offendere poteſt, veluti Sanctus hic Præſul, quin continuo hæretici notam ſubeat, quoties Eccleſiaſticæ ſententiæ acquieſcere, ut ille, paratus eſt. Gelaſius Papa ſatis habuit ejus opera inter libros apocryphos numerare.

Euchitæ, qui aliter vocabantur Meſſaliani ſeu Precatores, quod omnem aliam occupationem improbarent præter orationem, in errore profecto verſabantur, ſed potius ex inſtructionis defectu, quam ex ſcientiæ exceſſu aut abuſu errabant, quod putarent Apoſtolum ubi de labore verba facit, non eſſe de labore corporis ad literam intelligendum. S. Auguſtinus, qui ſuum de opere Monachorum librum adverſus illos compoſuit, non cum iis agit tamquam cum hæreticis, ſed quaſi cum *fratribus & filiis*; & librum abſolvit his verbis notatu digniſſimis, quæ optandum eſſet ut omnes diſputando imitarentur. *Quod ſi poſt hanc admonitionem, vel potius obſecrationem noſtram, in eo ſibi perſeverandum eſſe putaverint, nihil aliud faciemus, quam dolebimus & gememus.*

De Adelphio nihil afferam, cum eum fuiſſe Monachum nequaquam reperiam, quamvis Meſſalianorum errorem dicatur auxiſſe.

De Eutyche hæreſeos ſui nominis auctore, conſtat eum Monaſtici inſtituti ſectatorem fuiſſe; ſed item conſtat, maxima inſcitia laboraſſe, ut aperte teſtatur S. Leo in Epiſtola encyclica ad Flavianum: *nimis imperitus oſtenditur*. Magnus hic Pontifex de eodem ſic narrat: *Neſciens igitur quid deberet de Verbi Dei incarnatione ſentire, nec volens ad promerendum intelligentiæ lumen in ſanctarum ſcripturarum latitudine laborare*. Dixeris fortaſſe, eum Patrum aut Traditionis Eccleſiaſticæ ſtudio ſe dediſſe. Sed à vero longe aberis: nam cum ille ad reddendam de ſua fide rationem, & ſubſcribendo Nicæno & Epheſino Conciliis impelleretur, reſpondit, ſe ſoli adhærere Scripturæ, quæ *omnibus Patrum expoſitionibus certior eſſet*. Hinc fit ut S. Leo in Epiſtola à me citata merito afferat, eum impudentem æque ac imperitum fuiſſe. Ex ignorantia ergo non vero ex ſcientia in errorem delapſus eſt, ut ait idem S. Pontifex expreſſis verbis in Epiſtola ad Pulcheriam: *Error qui de imperitia magis quam de verſutia natus eſt*.

Damnatus vero fuit in duobus Conciliis Conſtantinopoli habitis, quorum primo tres & viginti Abbates ſubſcripſere. Deinde in Concilio Chalcedonenſi cum decem & octo ex ſuis diſcipulis, quorum aliqui Eccleſiis aut Oratoriis particularibus erant adſcripti. Proinde Abbates Catholici rogaverunt, ut hominibus illis Monachorum nomen & decus eriperetur, ac ut expellerentur. Unde factum eſt, ut multa in hoc Concilio decernerentur circa Monachos ad coercendam eorum temeritatem, qui emendicato Monachi nomine ſibi cellulas ædificabant, ordinemque & diſciplinam Eccleſiæ turbabant, ſponte ſua

Digitized by Google

ac nulla auctoritate freti Eccleſiaſtica munera invadentes. Hæc profecto unica fuit cauſa, cur Patres ejuſdem Concilii ederent haſce Monaſticas ſanctiones. Sed inibi ceteroquin conſtitutum etiam fuit ut honos haberetur illis, qui ſanctæ hujus profeſſionis officia diligenter implerent.

Hoc honore nemo indignior fuit, quam Theodoſius Monachus in Palæſtina. E Monaſterio pulſus propter ſcelus quod commiſerat, Alexandriam ſe contulit: ubi cum facinorum ſuorum protervia innotuiſſet, a Patriarcha Dioſcoro traditus Magiſtratibus fuit, quorum imperio virgis cæditur, & camelo impoſitus per urbem circumducitur. Propterea Chalcedonem aufugiens petiit, cumque ibi Eutychianis ſeſe adjunxiſſet, falſum dogma in Palæſtina vulgavit, Eudociam Imperatricem Theodoſii Junioris quondam uxorem, & cum ea complures ejus regionis ſolitarios in ſuam ſententiam ſubdole pertraxit; ac iniquis occultisque conſiliis hoc demum conſecutus eſt, ut a ſede Hieroſolymitana Juvenalem dejiceret, & ſe in ejus locum intruderet. S. Euthymium ad ſuas partes trahere irrito conatu tentavit; nam Sanctus ille Abbas ei perpetuo ac ſtrenuiſſime reſtitit, Conciliique Chalcedonenſis decreta, quæ examinaverat invicte ſuſtinuit; ad fidem quoque Catholicam plures Monachos, quos Theodoſius ſeduxerat, revocavit. Interea Marcianus Imperator de Pſeudopatriarchæ intruſione admonitus fuit: at ille cum intellexiſſet prope eſſe ut comprehenderetur, cum nonnullis ſui ſceleris conſciis aufugit. Epiſtolæ hujus pii Imperatoris ac Juvenalis, ſolitarios, qui fictis Theodoſii perſuaſionibus incauti ceſſerant, ad officium reduxerunt. Idem perfecit S. Abbas Euthymius erga Imperatricem Eudociam, quæ ſe Juvenali Patriarchæ reconciliavit, ac paulo poſt de ſuo peccato graviſſime dolens occubuit. Hæc narratio Monachi Apoſtatæ ſcelera prodit; ſed in perſona S. Euthymii fortem athletam exhibet, quem ſolitudo Eccleſiæ præſtitit, ut nefarii ſeductoris frangeret molimina.

Timotheus Ælurus Dioſcori diſcipulus poſt Concilium Calcedonenſe præivit hæreticis, qui S. Proterium Patriarcham Alexandrinum confoderunt, ut ipſum Timotheum in ejus ſede collocarent. Fuerat quidem ille Monachus, ſed jam multo ante e Monaſterio exierat ut in Eccleſia Alexandrina Presbyter eſſet: ut vero ſolitarios ſibi addictos & obnoxios redderet, per eorum cellulas ſæpe diſcurſabat nigra veſte inductus, eos a Sancti Proterii communione dimovens, & ad ſuam pertrahens. Num talem virum Monachum appellaveris?

Petrus Fullo, cujus par fuit nequitia, propter crimina, & falſum dogma a ſe excogitatum ex Acœmetarum Monaſterio, in quo fullonis officium exercuerat, unde illi cognomen, ejectus fuit. De illo Theodorus Lector ait, fuiſſe eum *ut Judam inter Apoſtolos*. Cum ſedem Antiochenam invaſiſſet, ex qua Martyrium Patriarcham Catholicum exturbaverat, Monachos qui cum illo communionem habere noluerunt, in carcerem detrudi juſſit. En qualis fuit doctus hic Monachus: nempe

pe fullo, ſceleſtus vir, e ſuo Monaſterio pulſus, Judas inter ſanctos Fratres.

Severus item Synodi Chalcedonenſis conjuratus hoſtis fuit, & ſedis Antiochenæ invaſor. Ex cauſidico Monachum ſe fecerat; cumque ſuum errorem pervicaciter tueretur, ad ultimum a Sancto Abbate Nephalio acerrimo Concilii propugnatore de Monaſterio ejectus fuit. Complures Monachos ad ſuam communionem pertraxit maximam partem imperitos, & turbulentos; cum illi econtra, qui Chalcedonenſem fidem aſſerebant, homines docti & quietis amantes eſſent: quos inter Palæſtinæ Monachi clandeſtinis Severi & ſociorum ejus conſiliis fortiter obſtiterunt, & martyrio etiam vitam finierunt.

Quidam ex illis Dorotheus nomine, Monachus Alexandrinus, Concilii Apologiam carmine conſcripſit, ſub Tragœdiæ titulo, S. Baſilium imitatus, qui opus conſimile contra Julianum elucubraverat. Fructum vero laboris ſui ab Imperatore Anaſtaſio retulit exilium. Hic Princeps hæreticorum fautor, ſcripſit Epiſtolam ad Theodoſium Nobilem Cœnobiarcham, ut eum in ſuas partes perduceret: at Sanctus Abbas haud ſinens inani fulgore animum ſuum occupari, ſolitarios coegit, eos in fide roboravit, & ad Concilii defenſionem admirabile reſponſum Imperatori dedit. Audiens tandem, hunc Principem, qui paulo miteſcere initio viſus fuerat, edicta adverſus Catholicos promulgaſſe; continuo ad Eccleſiam ſe contulit, & ſuggeſtum conſcendens anathema pronunciavit adverſus eos, qui quatuor Concilia ut quatuor Evangelia non recipiebant. Exinde Civitates, & Monaſteria regionis circuivit, addens fidelibus animum, & imbecilles confirmans. Julianus quoque Boſtrenſis Epiſcopus, olim Monachus, fidei contra Severum fuit aſſertor invictiſſimus.

Syriæ Monachi hæc exempla ſectati ſunt. Adverſus hunc Hæreticum ſcripſerunt Epiſtolam ad S. Hormiſdam Pontificem, quæ a ſeptem & viginti Archimandritis, ac 170. Presbyteris aut Diaconis ſubſcripta fuerat, & a Severo ac Petro Apameenſi diras perſecutiones tulerunt, propter quas a Concilio Hieroſolymitano laudes eximias ſibi promeriti ſunt. Denique Clerici Antiocheni, in quadam Epiſtola ad Joannem Conſtantinopolitanum, teſtimonium perhibent, Monachos ſupra trecentos in ſecunda Syria juſſu Severi fuiſſe trucidatos. Nunquid tantus aſſerendæ orthodoxæ fidei ardor, tot perſecutiones, tanta ſanguinis innumerorum Monachorum effuſio, perfidi deſertoris infamiam delere haud poterunt?

Omnibus hiſce inclytis ſolitariis accedat S. Cyrillus Acœmetarum Hegumenus ſub Imperatore Zenone, cujus doctrina Felix Papa adeo fidebat in negotio Acacii Patriarchæ Conſtantinopolitani fautoris Hæreticorum, ut ſuis Legatis imperaverit, ne quid niſi in commune cum illo agerent. At Legati cum decepti incaute fuiſſent, ſolitarii admonito ſtatim Pontifice, fidem magno animo ſuſtinuerunt, quam duo illi ad eam protegendam miſſi iniqua prævaricatione prodiderant. *Vid. Baron. an. 483.*

Accedat quoque illuſtris Cœnobita S. Sabbas, qui cognito edicto; quo Imperator Juſtinus ab exilio revocari juſſerat fideles pro Fide exagitatos, de ſua exiit ſolitudine annos natus octoginta, hoc edictum ubique promulgavit, Eccleſiaſticis tabulis quatuor Concilia Generalia inſcribi fecit, ac ſuis admonitionibus, acerbiſque reprehenſionibus a recta fide aberrantes revocans, ſuavem doctrinæ ſuæ atque orthodoxæ fidei odorem ubique diffudit.

Poſtremo omnes Orientis turbæ, ordinatione Pauli ſolitarii Tabennarum, Præſulis apprime orthodoxi Alexandriæ, quieverunt; *Baron. an. 536.* quemadmodum & grave ſchiſma Eccleſiæ Antiochenæ, quod a Meletio uſque ſubſtiterat, ſopitum antea fuerat ab Antiſtite Alexandro, qui ad ſacras tabulas Joannis Chryſoſtomi nomen reſtituit. Alexan- *Theodoret. l. 5. c. 35.* der iſte toto vitæ ſuæ tempore ſe in monaſticis obſervationibus exercitaverat, teſte Theodoreto, qui eum quoque eloquentiſſimum fuiſſe narrat. Sed reliqua perſequamur.

Quid attinet in medium proferre Sergium, Monothelitarum ductorem præcipuum? Probandum eſt ex Auctoribus illius ævi 1. eum fuiſſe Monachum. 2. ſuam hæreſin procudiſſe, ac evulgaſſe ante Epiſcopatum: tum vero quid ſit reponendum quæremus. Magnopere autem dubito, ne idonea primi capitis teſtimonia afferri poſſint; & certus ſum numquam alterum confirmatum iri.

De Pyrrho conſtat quidem, antequam in Sergii locum promoveretur, eum fuiſſe Cœnobitam in Monaſterio, cujus Abbas erat S. Maximus, ſtrenuus ille Monothelitarum adverſarius. Quod ſi ſcientia Pyrrhum pervertit, cur S. Maximus non item ac ille erroribus ac ſceleribus obnoxius fuit? Nemo ſane putaverit, hunc hæreticum errorem ſuum addidiſciſſe ſub tali præceptore, qui, quo tempore materia de qua agebatur nondum excuſſa fuerat, ac ipſe Romanus Pontifex ab hæreticorum ancipiti ſermone capiebatur, falſum dogma unicæ in Chriſto voluntatis extricavit ac refutavit tanta argumentorum vi ac perſpicuitate, ut nihil poſtea acceſſerit majus. Ita ex eodem loco, unde prorepit malum, adducta eſt medicina; quamvis valde credibile ſit, Pyrrhum non niſi poſtquam è Monaſterio egreſſus fuerat, prævaricatum fuiſſe. Præterea Martinus Papa cum hanc hæreſin in Concilio quodam Romano damnaſſet, ejuſdem Acta in Orientem tranſmiſit per Theodorum Abbatem Apocriſiarium, & per tres cum illo Sancti Theodoſii Monachos, qui huic Concilio interfuerant. Hoc patet ex Epiſtola ipſius Pontificis ad Joannem Epiſcopum Philadelphienſem, quem ſuum in Oriente Vicarium conſtituit ad protegendam orthodoxam fidem, aggregans illi inter alios Georgium Archimandritam, cui etiam propterea ſcripſit. Jam iſta abunde eſſe mihi videntur ad delendam maculam, quam ſtatui Monaſtico ingeſſiſſe Pyrrhus objicitur.

Henricus fuit quidam Eremita vagus & corruptus, cujus nulla habenda eſt ratio. Legi poſſunt quæ de illo referuntur in Actis Epiſcoporum Cenomanenſium, tertio tomo Analectorum.

Ita-

Itaque ad Abaelardum veniamus, quæramuſque, an ejus cauſa criminis poſtulari poſſit Monaſticus ſtatus. Conſtat quidem famoſum hunc & variis fortunæ caſibus agitatum virum aſcetico inſtituto nomen dediſſe in Cœnobio S. Dionyſii prope Lutetiam: ſed itidem conſtat, eum antea Philoſophiæ & Theologiæ ſtuduiſſe, & in diſputationibus cum ſuo Præceptore Gulielmo Campicenſi habitis innotuiſſe? Quid culpæ in hoc ineſt, quod vir aliquis in Monaſterium ſcientiam importet? At quomodo ea uſus eſt? Vix in S. Dionyſii Monaſterium ingreſſus turbare omnia cœpit, de S. Dionyſio Areopagita injecta controverſia, ac paulo poſt de Monaſterio exire compellitur. Tum Scholas Theologicas non procul ab urbe agitat: novo & nimis temerario modo noſtra explicat myſteria. Damnatur in Conciliis Sueſſionenſi & Senonenſi: provocat ad Summi Pontificis judicium; tandem reſipiſcens ſuos errores ejurat; & Cluniacum divertens, reliquum vitæ inibi tranſigit in auſteritate & pietate, prout teſtatum reliquit Petrus Venerabilis Cluniacenſis. Quid in hac rerum ſerie indecorum Monaſticæ profeſſioni conſpicitur?

At quæ cauſa fuit, cur hæreticis accenſeretur Joachim Abbas, quem Pontifices Lucius III. & Urbanus III. ad ſcribendum impulerunt; qui ſua ſcripta judicio Sanctæ Sedis obſequentiſſime ſubmiſit, ut patet ex Epiſtola, in qua ipſe expreſſe id profitetur: cujus perſonæ Innocentius Papa III. parci voluit in Concilio Lateranenſi, ubi editus ab eo liber adverſus Petrum Lombardum damnatus fuit: qui denique pie vixit in Monaſtico inſtituto Cluniaci, & miraculis claruit juxta complures auctores; & in quo nihil fuit reprehenſioni magis obnoxium, quam ejus viſiones, revelationes, & prophetiæ, quæ ſingula formidanda magis ſunt piis Religioſis ſcientia deſtitutis, quam iis, qui erudito & perſpiſcaci ingenio valent.

Ad augendum tantummodo horum hæreticorum numerum nobis objiciuntur Begardi & Beghinæ. Quis enim imperitior umquam fuit hiſce Begardis qui docebant, homines naturaliter per ſe beatos eſſe, & poſſe in hac vita fieri impeccabiles; & alia hujuſmodi deliria, quæ non niſi ſtultorum cerebrum probare poteſt. Verumtamen haud plane percipio, qui velit quiſpiam nos reddendæ rationi de Beghinarum inſaniis obnoxios eſſe. Adhibebo hic verba cujuſdam Scriptoris, qui de iis loquitur: *Valeant Beguinæ, & colum & fuſum exerceant, & nullo modo Scripturas divinas pertractent.* *Alphonſ. a Caſtro*

Et de Trithemio, qui in hoc Hæreticorum catalogo cum Begardis & Beguinis recenſetur, quid dicam? Quid mali propriis ille ſcriptis Eccleſiæ intulit, quorum pleraque de rebus ſpiritualibus tractant, & pietatem redolent? *Commercium habuiſſe cum Dæmone poſtulatus eſt, & in crimen vocatus, quod libros de Magia compoſuerit.* *Pag. 47.* Quid inde? An ideo Magus & hæreticus fuit? Silveſter II. & alii nonnulli eorumdem criminum accuſati fuere, a quibus tamen inſontes habentur: æquitati verò contrarium eſt eos denuo in crimen vocare, poſtquam purgati fuerunt. Tamquam aliquis Magus Trithemius habitus fuit, quod li-

Digitized by Google

brum compoſuerit de variis per obſcuras notas ſcribendi modis, ſub titulo *Steganographiæ*. Quidam Gallus, Bovillus nomine, ab ejus fama pertractus, eum convenit in Cœnobio, ubi benigniſſime exceptus fuit. Ut vero vir erat ſtudioſus literarum, noſcere optavit, quam tunc materiam præ manibus haberet Trithemius, qui reipſa Steganographiæ librum illi oſtendit. Cum eum Bovillus raptim evolveret, advertit in eo fieri mentionem *de ſpiritibus diurnis & nocturnis* ad obſcure indicandas literas ſeu voces, quæ nihil aut aliquid ſignificabant in illis notis. Bovillus explicatione ab Auctore non petita, arbitratus eſt, eum de dæmoniis ibi loquutum; & in Galliam reverſus, paſſim divulgavit, Trithemium eſſe aliquem Magum. Porro Trithemius merito conqueſtus eſt in Epiſtola, quam adverſus ſuum Accuſatorem ſcripſit, opus autem ſuum imperfectum & ineditum reliquit. Huc redit tota ejus culpa; quod ſi hanc accuſationem ſibi attraxit occaſione vocum ſuſpectarum, quas non adhibere præſtitiſſet, ſuam etiam emendavit culpam ſuppreſſo hoc opere. Ceterum Spondani apologia pro Trithemio, ut mittam illam Caramuelis, qui cum in oppoſita ſententia antea fuiſſet, ſe retractavit, ſane merebatur ut hoc loco aliqua ejus ratio haberetur. Idque eo magis, quod Trithemius alia multa ſcripta compoſuit piiſſima & utiliſſima, quæ rectum ſcientiæ uſum ſatis in illo demonſtrant.

Spond. ad ann. 1499. n. 10.

Veniendum eſt tandem ad articulum de Luthero, utique de Lutero, qui nobis appingitur cum ipſius ſectatoribus, quorum nemo tamen ex noſtro Ordine fuit. Verum id ferendum eſſet aliquatenus, niſi omnes luctuoſi effectus, quos his hæreſibus Reſponſionis Auctor tribuit, in nos rejicerentur, ac præſertim (horret animus in dicendo) *deplorabilis hic rerum ſtatus, in quo hodie mundus conſpicitur, & latiſſima pene omnium conſpiratio adverſus maximum Regem, qui unus inter Chriſtianos Principes pro fidei defenſione pugnat. Id nempe eſt* (ait) *manifeſtiſſimum teſtimonium, unde patet quanto ſtudio Monachus ille Apoſtata ſuas falſas & impias opiniones conſtabilire viſus ſit.*

Neutiquam mihi conſilium eſt a Lutherana hæreſi iſtud crimen amoliri, quaſi reipſa nullam in hoc bello atque in hac luctuoſa conſpiratione partem habeat. Ipſe Calvinus haud ſane minorem in hac conſpiratione partem habuiſſe credendus eſt. Numquid propterea æquum eſſet noxios ejus effectus in Clerum rejicere? Cur ergo ruborem affundere velimus ſanctis & religioſis Ordinibus, ex quibus illi Apoſtatæ prodierunt? Maximè quum hi Ordines ingenti ſapientum virorum numero, qui olim Eccleſiam illuſtrarunt & nunc quoque recto doctrinæ ac ſcientiæ uſu illuſtrant; tot præterea certaminibus, quæ cum hæreticis ſcripto & viva voce olim commiſerunt, & nunc quoque committunt; innumeris denique Sanctis, quos dederunt, inclyti & de tota Eccleſia optime meriti paſſim habeantur. Ergo-ne Lutherus, atque alii nonnulli ejus ſimiles omnia hæc decora, atque has prærogativas delebunt? Quis Ordo, quis ſtatus tutus jam fuerit ab id genus maculis & ignominiis, ſi liceat a quorumdam privatorum corruptis moribus

bus

bus anſam arripere eos calumniandi, & dedecore afficiendi? Præterea quare cum noſtro Ordine, qui adeo ſtrenue obſtitit hæreſi in Germania, in Anglia, in Galliis, ubi plures Monachi furoris Hæreticorum victima fuere, adeo male agitur, ut hoc ſibi probrum ingeri cum pudore ſentiat ab eo homine, cujus verba ceu totidem oracula paſſim excipiuntur? Gaudemus quidem ex animo, quod verbis vitæ, quæ ex ejus ore ſæpiſſime prodeunt, fides habeatur; adverſus iſta tamen exclamare cogimur, quibus plaga & macula adeo gravis innuritur toti Ordini Monaſtico, noſtroque ſpeciatim, atque aliis quorum res & nomen nobis cordi eſſe debent propter commune vinculum charitatis, quo omnes una ſociamur. *Unum Ordinem opere teneo, ceteros charitate.* *S. Bern. Apol. c. 4.*

Sed quæſo videamus, quæ fuerit Lutheri ſcientia, ut pateat an hoc exemplum idoneum ſit ad probandum quod intendit D. Abbas. Conſtat eum in ſtudio Sacræ Scripturæ præcipuè fuiſſe verſatum: quod ſi acris ac vehemens in dicendo fuit, hanc illius eloquentiam ab impetu quodam ingenii, & facilitate naturæ potius quam a ſtudio humanarum literarum proceſſiſſe. Speculabiles quoque ſcientias tamquam errores ipſe damnabat. Ergone ſtudium Sacræ Scripturæ in Religioſis improbandum erit, quia Lutherus eodem abuſus eſt?

Forſitan dixeris, eum hoc ſtudium longius quam par erat protraxiſſe. Ergo dicendum erit, ignorationem Sacræ Scripturæ Monachos ab errore tueri. Quod omnino adverſatur Sancto Joanni Chryſoſtomo, qui hæreſes ab hac ignoratione ortas eſſe contendit, [illegible] αἱρέσεις [illegible]; & item affirmat fieri non poſſe ut quis ſerio & aſſidue ſacræ huic lectioni operam dederit, quin inde inexplicabiles fructus percipiat. Idem cenſet Lectantius, aſſerens ipſos ſectarum auctores vias ſibi devias condidiſſe, quod fuerint *vel minus docti, vel minus cauti;* uno verbo, *non ſatis cœleſtibus literis eruditi*. Ipſa etiam præceps audacia, quæ hæreſeos mater eſt, ab ignorantia naſcitur, ut ſentit D. Gregorius Nazianzenus. *Chryſoſt. hom. 3. de Lazaro.* *Lactant. l. 4. c. 30.* *Gregor. Nazian. orat. 26.*

Neque id minus in Monachis quam in aliis comprobatur. Ex nimia tantummodo ſimplicitate, & ſcientiæ defectu, Serapion Abbas, ut refert Caſſianus, cum Anthropomorphitis erravit: & S. Thomas hoc exemplo utitur, ut probet, ſtudium vel Solitariis neceſſarium eſſe ad vitandos errores, quibus obnoxii ſunt, qui in divinarum rerum contemplatione vitam agunt. *Caſſian. collat. 10. c. 4.* *S. Thom. 2. 2. qu. 188. ar. 5.*

Propter vi illi Monachi, qui Alexandriam venerant, ut Patriarchæ Theophilo vim inferrent, in eumdem errorem impegerant, eo quod Sacræ Scripturæ intelligentia carerent: *Præ imperitia verba Sacræ Scripturæ ſimpliciter & incautè accipiebant*, ait Sozomenus: Socrates vero teſtatum reliquit, Fratres-Longos (ita appellabantur) viros ſcientiſſimos falſæ huic opinioni ſeſe objeciſſe ea rationum vi, & copia doctrinæ, ex quibus in maxima apud omnes Solitarios exiſtimatione fuerunt. Denique ſi ſanctus ille Anachoreta, quem S. Cyrillus ad ſanam mentem revocavit, doctior extitiſſet, neutiquam putaſſet, Melchiſedechum non alium eſſe quam Jeſum Chriſtum. *Sozom. l. 8. c. 11.* *Socrat. l. 6. c. 7.* *Baron. an. 444.*

In prom-

In promptu eſſet alia plura hujuſcemodi exempla referre, ex quibus colligitur, falſarum opinionum commenta ab imperitia potius quam a ſcientiæ cultu ortum traxiſſe; & vel pleraque illorum, quæ in Reſponſione citantur idem ſatis aperte demonſtrant. Neſtorius, Eutyches, ac plerique horum Sectatores, Euchitæ, Begardi inſcitia laborabant, & potius ex defectu quam exceſſu ſcientiæ errori manus dedere. Præterea Neſtorius, Severus, Timotheus Ælurus, & Pyrrhus fuerunt Epiſcopi. An æquum eſt ut eorum, quæ ipſi geſſerunt poſtquam ad Epiſcopatum evecti ſunt, rationem a nobis repoſcas, utut conceſſerimus eos fuiſſe ſapientes? An eos imperitos eſſe oportebat, ut laudabiliter ſuas in Epiſcopatu partes implerent? Abælardus de Monaſterio egreſſus erroneas fovit opiniones; at ſuum deinde correxit & pœnitentia emendavit errorem, & in Ordine Cluniacenſi ſancte obiit. Trithemius, quidquid obtrudant ejus calumniatores, noſtro Ordini & Eccleſiæ ſemper ornamento erit; omnibus denique perſuaſum iri confido, nos haud majori ex parte, quam Trappæ Monachos, in præſentium Europæ perturbationum cauſam venire.

Antequam huic articulo finem imponam, notandum puto, ex omnibus his hæreticis, vere aut falſo ita appellatis, qui ad pudorem nobis iniiciendum ob oculos ponuntur, unum tantummodo ex noſtro Ordine fuiſſe, videlicet Abælardum; nam Trithemius omnino inepte de magia poſtulatur. Admodum quoque mirum videtur, quod Dom. Abbas, qui non ſibi ſumpſit alios Regulares iiſdem legibus obſtringere, quas Monachis relate ad ſtudia præſcribit, mala, quæ Eccleſiæ ac Regnis eveniſſe putat ex ſtudiis Regularium Mendicantium, atque aliorum Regularium, qui S. Benedicti Regulam haudquaquam profeſſi ſunt, Monachis ipſis obiiciat.

Denique ſi ſerio penſamus quæ duobus ſuperioribus Articulis diſſeruimus, facile comperimus, conſectanea & effectus ignorantiæ graviorem Religioni perniciem attuliſſe, quam attulerit ſcientiæ abuſus, de quo nonnulli Solitarii argui poſſunt. Propterea S. Thomas ſcribens adverſus Gulielmum de S. Amore, merito ait, ex ſtudii ac ſcientiæ inhibitione conſequi 1. ut Monachi *adverſarius veritatis reſiſtere non poſſint*; 2. ut *per hoc Sanctorum vita veniat in contemptum*. 3. ut inutiles ſint, imo graves populis, dum functionibus Eccleſiaſticis inepti redduntur. 4. ut corporeis laboribus *gravati & ſui ſtatus tædium* habeant. Ex quibus colligendum cum S. Thoma, ſtudium ac ſcientiam Religioſis ſubtrahi non poſſe, quin *eorum ſtatus totaliter deſtruatur, & reddatur nimium oneroſus & vituperabilis*.

S. Thom. Opuſ. 20. part. 1.

AR-

ARTICULUS XXIX.

Particularia quædam Reſponſionis objecta diſcutiuntur.

POſt adeo graves materias, quas hactenus pertractavimus, inutile videbatur quibuſdam Reſponſionis locis immorari, in quibus Auctor nonnullas mihi opiniones appingit, a quibus novi me alienum eſſe. Nihilo tamen minus aliquos ex iis juvat animadvertere, ne quis ex illius verbis me ſine ulla inquiſitione damnet.

Non ſola pietas, ut putatur (ait D. Abbas) *Eccleſiam in ejus exordiis ſuſtinuit.* pag. 144. Dixi *fere ſola*, quod plane aliud eſt.

Me affirmare ait, *S. Benedictum non niſi binas horas lectioni aſſignare.* Dixi ſaltem *binas horas, & ternas diebus Quadrageſimæ.* Loquor autem de lectione continua & ordinata. Nam ſi vacua intervalla adiiciamus, quæ S. Benedictus lectioni æque permittit, ſumma excedet quatuor horas diurnas, quemadmodum ſuperius oſtendi, ut mittam quæ quilibet de nocturnis horis demere poteſt. pag. 202.

In ea fueram opinione ut Monachus, qui de diſciplina Eccleſiaſtica erudiri cupit, legere poſſit libros Apologeticos, qui pro Religione Chriſtiana conſcripti fuere. Inſurgit contra D. Abbas, atque ait, *hac ratione in profundiſſimi maris diſcrimina committi ejuſmodi homines, ad quos ſpectat in quiete & ſancta tranquillitate vivere;* ceterum *nihil tale præcipi aut notari in vita & geſtis Sanctorum Patrum, in Collationibus Caſſiani, in Admonitionibus S. Ephræmi, S. Nili, S. Iſidori Peluſiotæ, S. Dorothei, & S. Climaci:* poſtremo claudit inquiens, *novum hoc eſſe atque inauditum ſyſtema, quod ex ipſa novitate improbatur; & nulla ei adhiberi fides debet.* pag. 266. & 267.

Hæc omnia ſupponunt, propoſitum mihi eſſe ad hoc ſtudium quadam veluti obligatione Solitarios adſtringere. Sed ut tibi ſuadeas, rem aliter ſe habere, ſatis eſt legas quæ a me dicta ſunt huc ſpectantia. Eos dumtaxat admonui, qui Eccleſiæ Diſciplinam, imo & doctrinam ſeu Dogmata addiſcere voluerint. Adeone culpabile fuerit, quod Monachus legat Apologias S. Juſtini, & Tertulliani, in quibus egregia quædam & ſingularia de noſtris myſteriis continentur. S. Iſidorus Damiatenſis, quem nobis proponit D. Abbas, librum ſane conſcripſit adverſus Gentes, ut ipſe-met teſtatum reliquit in ſuis Epiſtolis: quid culpæ magis in legendo de his materiis, quam in ſcribendo reperias? *Iſid. Peluſiot. l. 2. Ep. 228.*

Ejus verba innuunt, me fateri, quod *Critica generatim loquendo ſit quædam corruptela & inordinatio.* At ego de abuſu ipſius Critices, hoc eſt de perverſa Critices norma hoc intelligi volui; neque vero ex multorum abuſu conſequitur, ut Monachi qui ad quædam accuratiora ſtudia animum adjecerunt, regulæ Criticæ, quæ ceteroquin recta fuerit, abrenunciare teneantur, cum ea ad probabile de Scriptoribus & de materiis quæ tractaturi ſunt judicium ferendum inſerviat. pag. 320.

Cum

Digitized by Google

Cum erudito quodam viro adnotavi, ad hoc ut Græci Patres exactè intelligantur, legiſſe accurate oportere Septuaginta Interpretes, item Demoſthenem & Homerum. Reſponſionis Auctor ad hæc inclamat, & ait, *ſi Monachum id genus notitiis inſtituere & informare velimus, id nos agere, ut obliteret, aut negligat ſcire quod a ſe inſtituta vivendi ratio poſtulat*. Quiſnam ſibi perſuaſit, ad informandum Monachum in iis, quæ ad ipſius ſtatum pertinent, tradere ei oportere legendos Demoſthenem & Homerum? Amens profectò fuerit, qui hæc abſurda proferret. De illis tantummodo agitur, qui ad extraordinaria & gravia ſtudia deſtinati, Patres Græcos accuratè perſpectos habere debent; id vero tueor, eorum auctorum lectionem multum conferre Græcorum Patrum ſtudio, nec tamen religioſæ perfectioni obicem fore, dummodo recto uſu inſtituatur. Nihil hic pronuncio, quod D. Abbas probare non debeat, cum fateatur, *humaniorum literarum notitiam non obeſſe profeſſioni Monaſticæ*.

pag. 341. pag. 188.

pag. 280. Alicubi ait, *me totum eſſe in confirmandis Monachis in ſuarum obligationum ignoratione*. Infeliciter mecum ſane ageretur, ſi tam pernicioſo labori operam darem. Confido, illos, quibus meum Tractatum evolvere libuit, æquiores mihi futuros, oppoſitum exiſtimantes.

Dixi in Tractatu de ſtudiis, Henricum Stephanum conatum fuiſſe excuſare Herodotum ſuper omnibus commentitiis narrationibus, quas in ipſo inveniri multi opinati ſunt. Huc ſpectat D. Abbatis animadverſio; quod videlicet *ſcire juvat, hanc Apologiam, & eam præſertim, cui titulus eſt* INTRODUCTION AU TRAITE' DE LA CONFORMITE' DES MERVEILLES ANCIENNES AVEC LES MODERNES, *ſive* TRAITE' PREPARATIF A' L'APOLOGIE POUR HERODOTE, *adeo eſſe ſacrilegis & impiis ſententiis refertam, ut ab homine vere Chriſtiano ſine horrore legi non poſſit; atque ejus lectionem Monachis abſolute interdicendam*. Nemo eſt, qui lecto hoc Reſponſionis loco non putet, me de hac execrabili Introductione locutum, ejus lectionem Monachis commendaſſe, ac denique indignum vero Chriſtiano facinus me in hac re commiſiſſe. Attamen facile conſtare poterit omnibus qui rem diſcutere voluerint, me de ea ſola Henrici Stephani Apologia loqui in animum induxiſſe, quæ in editione latina Herodoti anni 1566. reperitur hoc titulo, *Henrici Stephani Apologia pro Herodoto, ſive Herodoti hiſtoria fabuloſitatis accuſata;* in qua nihil occurrit, ut mihi quidem videtur, impium aut ſacrilegum, quod vere Chriſtianos horrore percellat. Denique quidquid ſit, illius lectionem neque probavi, neque commendavi in meo Tractatu; ſed ſatis habui tantummodo innuere, quoſdam Auctores ſibi ſumpſiſſe ut Herodotum ab omnibus fabulis, quarum accuſatur, excuſarent. Quod attinet ad Opus, cui titulus eſt, INTRODUCTION &c., de qua verba facit Reſponſionis Auctor, illud neque vidi umquam, neque ſcio quid rei ſit: abſit vero, ut hujuſmodi lectiones Monachis indicare velim. Nihilo tamen minus, ne anſam darem alicui rem perperam accipiendi, in ſecunda mei Tractatus editione, Henrici Stephani nomen expunxi.

pag. 283.

Digitized by Google

Sententia Photii, qui relate ad Herodoti lectionem ait: *Quid obſtat quæ utiliora videntur ſeligere, ceteris poſtbabitis?* hæc inquam ſententiam *periculoſa* videtur Auctori Reſponſionis; quod ego neutiquam percipio, cum nihilo diſcrepet ab illa S. Auguſtini, & S. Hieronymi, qui idem pronunciant de lectione Prophanorum Auctorum. ibid.

Haud ſcio an D. Abbas potiori cum ratione Melchioris Cani ſententiam ſugillet. Quamvis enim hic Auctor *ſuapte natura in cogitando & dicendo acris & vehemens* fuerit, non ideo in crimen vocandus eſt; neque id obſtat, quominus ejus effatum, videlicet *Theologorum quemquam hiſtoriæ ignarum Theologi nomine immeritò gloriari*, congruat veritati. Doctus & pius Vincienſis Epiſcopus idem aſſerit poſt Melchiorem Canum in ſua ad Hiſtoriam Præfatione. Et revera Theologus traditionis Eccleſiaſticæ notitia, quæ a notitia hiſtoriæ ſejungi non poteſt, deſtitutus, ſane non eſt optimæ notæ Theologus. Non eſt ergo hoc axioma, ut ſupponitur, *illius Monachi qualitate indignum*, neque ille ceteroquin tanto cum contemptu excipiendus erat pro merito doctrinæ & pro Epiſcopatus dignitate, qua fuit inſignitus. pag. 280. & 281.

Fatetur D. Abbas, *hiſtoriæ cognitione homines prudentiores & ſapientiores fieri poſſe; nulla re magis quam eventis contingentibus Deum hominibus documenta præbere; & ſi quid eſt quod a ſæculi amore, ab ejus voluptatibus, fortunis, laude & vanitate tamquam a rebus fallacibus nos exolvere valeat, id profecto eſt, attenta eorum quæ in ſæculo eveniunt, conſideratio.* Hæc ſane eſt omnium præſtantiſſima Apologia pro Hiſtoriæ ſtudio. Sed pergit D. Abbas, atque ait: *Neceſſe tamen non eſt hiſtoriam noſſe in tota ejus latitudine, aut hiſtoricum ſtudium ut apprime requiſitum & præcipuum inſtituere.* Denique cùm dixiſſet, *Hiſtoriam Sacram ſufficere Monachis*, hanc clauſulam apponit, quod *Monachus non hiſtoricus eſſe debeat, ſed Monachus.* pag. 281.

Haud aliter dixerim, Chriſtianum, Presbyterum, Epiſcopum non debere eſſe hiſtoricum, ſed Chriſtianum, Presbyterum, Epiſcopum. Numquam id mihi propoſitum fuit, ut de Monachis hiſtoricos facerem; neque ullibi a me pronunciatum eſt, *neceſſe eſſe, ut Monachus hiſtoriam calleat in tota ejus latitudine, aut hiſtoricum ſtudium ut apprime requiſitum & præcipuum inſtituat;* uno verbo dicam, ut Monachus ſit hiſtoricus, quaſi Monachi conditio ſine hiſtoria ſubſiſtere non poſſit. In omnibus his idem ſentio, ac ſentit D. Abbas: Sed jure merito, ut opinor, affirmare poſſum, licere cuipiam Solitario inoffenſis proprii inſtituti legibus, in hiſtoriarum cognitione operam collocare, ſiquidem ad hanc applicationem ipſe ſit probe diſpoſitus, & ejus Superiores æquis de cauſis id judicent opportunum. Ego ut hujuſmodi Solitariis inſervirem, quamdam brevem hujus ſtudii methodum indicavi, quam appoſite ſe habere arbitratus ſum. Sane verum eſt, hiſtoriam ſacram Monachis in univerſum ſufficere; ſed ſtudium, ſeu lectio hiſtoriæ Eccleſiaſticæ iis interdici non debet, qui eodem bene uti poſſunt ſibi aut etiam Reipublicæ Literariæ.

D. Abbas ad id reponit, *hiſtoriam Eccleſiaſticam adeo eſſe diffuſam & late patentem, ut ſi in eo perfectionis gradu addiſcenda ſit, qui proponi videtur, oporteret Monachos omne vitæ ſuæ tempus in ea collocare, ut jura & rationes* pag. 282.

Pontificum, Epiſcoporum, Regum perſpecta haberent; factiones item, partes, occulta conſilia & varia molimina Conciliorum: quod infinitæ propemodum diſquiſitionis eſt. Deinde ita colligit: *Qui fiet vero, ut tam varia hiſtoricorum lectio non agat in transverſum animos, diſtrahatve, aut tollat prorſus religioſam mentis collectionem, qui finis præcipuus eſſe debet, propter quem a mundo digreſſi ſunt?*

Si omnis notitia, quæ ab Eccleſiaſtica hiſtoria provenit, *jura & rationes Pontificum, Epiſcoporum, regum* dumtaxat includeret; aliudve nihil Conciliorum hiſtoria exhiberet, præter *factiones, diſſidia & occulta conſilia;* non modo temperarem ab eorum lectione Monachis commendanda, ſed & quanta ope niti poſſem, eos a tali lectione deterrerem: cum nihil eorum ſtudia magis dedeceat, quam hujuſmodi ſingularium rerum notitia, quæ inſtituendis & erudiendis viris politicis inſervire poteſt, non item Monachis. At nimis de Eccleſiæ & Conciliorum hiſtoria humiliter & abjecte judicaremus, quod abſit ut D. Abbati tribuam, ſi hiſtoriæ Eccleſiaſticæ graviora ac præcipua capita ad particulares haſce notitias redigi putaremus. Doctrina & diſciplina Eccleſiæ, ejuſdem conſtans, & paſſim uniformis traditio, vita & egregia Sanctorum ac magnorum virorum geſta, bonorum præmia, malorum pœnæ; errores & iniqua conſilia hæreticorum; ut breviter dicam, mira Dei in Eccleſiæ gubernatione procuratio; occulta & ineluctabilis divinæ vis Providentiæ ad perdendos Eccleſiæ hoſtes; hæc ſingula nimirum ſunt omnium fidelium, ac ſingillatim Monachorum applicatione & ſtudio digna: harum objectu & cognitione rerum in fide ipſi roborantur: optime ad amandum Deum & ſectandam virtutem comparantur, ac denique ad navandam Eccleſiæ & Reipublicæ egregiam operam aptiores redduntur. Vel ipſa occulta diſſidia, & factiones, quas homines affectu aut malitia pertracti adverſus Eccleſiæ aut Fidei defenſores machinati ſunt, efficere hoc in nobis poſſunt, ut veritati impenſius adhæreamus: ei nimirum veritati, quam nullæ hominum vires & artes deiicere aut labefactare potuerunt, quamquam nonnumquam illi viſi ſint tantiſper ſuperiores eſſe. En utilitates hiſtoriæ, quibus adiici poſſunt illæ, quas Dom. Abbas in ſua Reſponſione profert, dum ait: *ſi quid eſt, quod a ſæculi amore, ab ejus voluptatibus, fortunis, laude & vanitate tamquam a rebus fallacibus nos exolvere valeat, id ſane eſt attenta eorum, quæ in ſæculo evenerunt, conſideratio*, nempe hiſtoriæ lectio. De his hactenus: ad alia tranſeamus.

Minime probat D. Abbas, ut ii, qui graves literarios labores ſuſceperunt, tantillum temporis identidem ſuffurentur (quod ego cenſeo) in veterum auctorum lectione, quatenus ex diuturno labore defatigatum ingenium recreent, vel etiam ut optimi in ſcribendo ſtyli reparent ideas, animumque quadantenus excitent, qui nonnumquam
Pag 301. languet & deficit. Porro ait, *virum, qui ſe Deo dicavit, animo a quavis recreatione abalienato debere eſſe*. De omnibus generatim Chriſtianis & de omnibus Eccleſiaſticis idem pronunciari poſſet; quidve obſtat, quominus perinde dicamus, eos ne ſomno quidem aut quiete uti debere?

Recrea-

Digitized by Google

Recreationis vocabulum, quod uſurpavi, ut unius circiter horæ ſpa-
tium deſignarem, quod a prandio nobis indulgetur, ut animum pau-
lo remittamus, facta nonnumquam loquendi copia, ſæpius vero ſilen-
tio ſervato, ipſe omnino reiicit & damnat; *nullam* vero, contendit,
apud Veteres mentionem fieri harum Relaxationum (Recreations.) Faceſſat *Pag. 350.*
quæſtio de nomine, dum quærimus an ipſa res vel in Ciſtercienſi Or-
dine primitus fuerit uſu recepta. Ad hoc ſatis eſt legere ſermonem 17.
S. Bernardi *de diverſis*, item Antiqua Ordinis ſtatuta, ubi de Colloquiis *Nomaſt.*
agitur, ac ea denique, quæ ſcribit Jacobus de Vitriaco, quibus S. Ber- *Ciſter p.*
nardi ſententia egregie explanari poteſt. *Silentium autem per totum fere* *328. &*
diem obſervantes, mutuis collocutionibus & collationibus ſpiritualibus unam ſibi *526.*
horam reſervant, invicem conſolantes, & invicem inſtruentes. Idem Auctor *Jacob. a*
aliquid amplius de Monachis Grandimontenſibus narrat; quod nempe *Vitr. hiſt.*
extra divina officia, & exceptis Refectorii & Dormitorii locis, *quan-* *Occid. c.*
documque placuerit loqui poterant, invicem inſtruentes & mutuo conſolantes; *14. ibid. c. 19.*
quod apprime conſonat Regulæ S. Stephani fundatoris hujus Ordinis. *S. Steph.*
Id rei, imo quiddam adhuc minus Recreationis nomine a me indigita- *Reg. c. 47.*
tur. Quolibet enim anni tempore non niſi una hora nobis indulgetur
poſt utramque refectionem, quando utraque fit, ter in hebdomada
facta loquendi copia; in Adventu autem & Quadrageſima diebus Do-
minicis dumtaxat poſt utramque refectionem, & feria quinta poſt pran-
dium; reliquo tempore ſiletur. Hæ ſunt, repetam enim, quas *Recrea-*
tiones appellamus. Silentium, quod hujus Recreationis intervallo feria
ſecunda, quarta, ſexta, & Sabbatho totius anni, & feria etiam ter-
tia Quadrageſimæ & Adventus, omnino ſervandum eſt, durum admo-
dum & rigoroſum quidpiam eſſe plerique putant Monachis, qui in eo-
dem omnes horto, aut alibi per horæ ſpatium deambulant; reliquis
vero diebus ſupra memoratis cum iis tantum colloqui, cum quibus
a Superiore conjungimur ut una confabulemur, profecto alibi recrea-
tionis nomine minime cenſebitur.

Ex libris, quos indicavi ad juniores humanioribus literis erudien-
dos, pro lingua latina quidem ſequentes adhiberi poſſe dixeram: Ci-
„ ceronis Epiſtolas familiares, atque eas S. Hieronymi: Phædrum cum
„ ejus Gallica verſione, paraphraſin Evangeliorum Eraſmi: pro Græ-
„ ca vero, nonnullas Orationes S. Joannis Chryſoſtomi, ſelectos quoſ-
„ dam Luciani Dialogos, aut hujuſmodi alios. *Quid hoc ſimilitudinis &*
ſocietatis eſt? (exclamat D. Abbas) *quid habet S. Hieronymus cum Cicerone*
commune? quid Epiſtolæ omnino Chriſtianæ, omnino piæ, & graviſſimis verita-
tibus redundantes cum Epiſtolis hominis prophani? Et paulo inferius. *Phæ-*
drus cum Paraphraſi Evangeliorum ab Eraſmo concinnata; orationes S. Joan-
nis Chryſoſtomi cum Luciani Dialogis, nihilo magis apposite conjunguntur. Cui-
libet pronum eſſet pariter exclamare ſuper omnibus Bibliothecis, in
quibus hi libri reperiuntur; ne Trappenſem quidem Bibliothecam ex-
cipio; Ego enim mihi propoſui tantummodo nonnullorum librorum
Elenchum exhibere, ceu quamdam minorem Bibliothecam, ut ii
ſeligi poſſint qui accommodatiores videbuntur. Quod attinet ad Lucia-

Digitized by Google

num, ſelectos aliquot dialogos monui legendos eſſe, cujuſmodi pluries excuſi ſeorſim fuerunt, ut juvenibus inſervirent.

Pag. 371. Falſo pariter inſimulor, junioribus indicaſſe *libros S. Baſilii & S. Gregorii Nazianzeni, ut grammaticæ rudimenta denuo repetant*. Qua ſuper re animadvertendum eſt, cuique Monachorum ſtatui tria librorum genera me aſſignare, primò libros ſpirituales, deinde ad Religionem ſpectantes, tertio humanis literis inſervientes. „ Hoc autem loco, quem innuit Reſponſio, ſic ajo: Elapſo profeſſionis biennio, ſi grammaticæ rudimenta ſint denuo perluſtranda, pro libris quidem ſpiritualibus ſument ſibi legendas Sanctorum Baſilii & Gregorii Nazianzeni Vitas a D. Hermantio exaratas, eamque D. Bartholomæi de Martyribus &c. Deinde venio ad libros, qui ad Religionem ſpectant, & tertio denique loco ad libros humanarum literarum, inter quos Cicero *de Oratore* &c. Nunc denique quis non videt, quam parum æqua fuerit D. Abbatis reprehenſio? Nonne amens propemodum fuiſſem, ſi Sanctorum Baſilii & Gregorii Nazianzeni Vitas gallicè exaratas, cum reliquis libris gallicis ibidem indicatis propoſuiſſem, ad hoc ut Juniores Monachi *grammaticæ*, hoc eſt linguæ latinæ *rudimenta denuo perluſtrent*.

Pag. 375. *Miratur* D. Abbas quod *Gazæus, celebris ille Caſſiani Explanator nullam eſſe culpam ſtatuat in diſtractionibus involuntariis, quæ inter orandum Monachis ſuperveniunt* occaſione lectionis antea ab ipſis peractæ prophanorum Auctorum. Si ad hujuſmodi lectionem aliqua illos utilitas aut neceſſitas compulit, & natura obligationum, quas ipſis Superiores impoſuerunt, illos adſtringat; profecto dicendum eſt has diſtractiones illis non imputari, aut ſaltem eſſe prorſus veniales: atque huc faciunt

Pag. 379. verba ipſius D. Abbatis in progreſſu affirmantis: *non eſſe ambigendum, diſtractiones quæ nobis invitis ſubnaſcuntur, quæ nos improviſo occupant in eo ſtatu, in quo ſumus ex ordinatione divina, & in quibuſdam actionibus, quibus nos Providentiæ nutus admovit, a Deo reſpici ceu noſtræ imbecillitatis effectus, & noſtræ fragilitatis germina*, denique ut *tranſitorias labes, quæ ejuſdem miſericordia dignæ ſunt*. In ſumma etenim quoties exactis horis ſtudii, cui ex juſſu Superiorum incumbo, involuntarie diſtractum me ſentio, dignum me excuſatione reor eſſe, ſaltem æque ac Monachum, qui hujuſmodi diſtractionibus afficitur in adminiſtratione rerum temporalium Monaſterii, ſibi commiſſa.

In iis, quæ ſpectant ad tertiam Partem Tractatus, non multum putabam materiæ me dediſſe reprehenſioni & cenſuræ: attamen & huic non magis quam reliquis Partibus in Reſponſione parcitur. Omnibus tamen locis, quos redarguit D. Abbas, hic exhibendis neutiquam immorabor, æquos mihi fore lectores confidens, ſi ea quæ hoc loco dicam, cum reprehenſione D. Abbatis conferre non graventur. Duobus itaque exemplis tantummodo contentus ero. En primum.

Inter alia offendicula lectionum, quæ vitanda eſſe dixi, curioſitatem unum ex gravioribus eſſe affirmavi, cujus pernicioſos effectus his verbis deſcripſi. „ Sunt qui modo literis humanioribus, modo Ma-

„ theſi:

„ theſi, modo phyſicis experimentis, modo denique hiſtoriis, variiſ-
„ que itinerum commentariis delectantur. Hæc autem vel ſeorſim vel
„ ſimul ſumpta eorumdem mentes adeo recreant, ut vix queant ab
„ ipſis aliquando intermitti. Mirum eſt quantum hiſtoriæ ex. gr. egre-
„ giè concinnatæ eos delectent; Arridet illis ipſa varietas .... In-
„ terea dum animus virtutibus vacuus eſt, ac ſpiritus languet, recta
„ morum diſciplina, & honeſta vivendi norma numquam addiſci-
„ tur .... Quid ergo? numquid oblectatio qua plures detegendo
„ veritates afficimur, culpæ erit obnoxia? Abſit. Innocens quidem
„ ea cenſetur, ſi tamen modum ſervet, nec umquam cætera diſcipli-
„ næ regularis opera remoretur; ſecus enim abdicanda eſt; etenim ſa-
„ tius eſt modicum ſcire, virtutibusque ſanctis affinere, quam noſmet
„ negligendo innumera mente complecti. Hæc ibi diſſerui, quæ haud
ſcio, an a quopiam reprehendi poſſint. Porro quærendum eſt nihilo-
minus, de iis quid ſentiat D. Abbas. *Fateor omnino, his lectionibus* (digi- pag. 418.
tum intendit ad locum modo citatum) *ſive ſeorſim ſive ſimul ſumptis, qua-
rum delectatio adeo legitima & innoxia putatur eſſe, omnes animi facultates ceu
quadam vi abripi & cieri, ac inſitum juventutis ardorem excitari: vix hoc ge-
nus lectionis poſſe intermitti ubi cæpta eſt: hiſtoriæ eleganter digeſtæ connexionem
eſſe quoddam faſcinum, cui nequit obſiſti. Abunde hæc ſane ſunt, Fratres*
(ſubdit Auctor) *ut hujuſcemodi lectiones perpetuo interdicantur Monachis,
quorum occupatio, ſive, ut rectius dicamus, primaria obligatio in hoc ſita
eſt, ut præveniant, extinguant, deſtruant, premant tales animi perturbatio-
nes, quæ habendæ ſunt ceu totidem obices pernicioſi, quibus Aſceta in itinere
pietatis, quod Dei nutu incæpit, repente impeditus ſubſiſtere cogitur; adeo ut
in poſteriora faciem convertat, & ineluctabiliter ab iis ſe removeri ſentiat, quæ
ipſius religioſa profeſſio requirit.*

Omnes appello quicumque æquitatem amant. Judicent, an non id ſit manifeſtam meis verbis ac meo conſilio vim inferre. Verum quidem eſt (nam jure agere convenit jus petentibus) paulo infra Dom. Abbatem affirmare, quod *facile dictu ſit, has lectiones hunc pernicioſum effectum non gignere, quoties voluptatem, quam quis percipit, moderatur.* Sed ſubjungit ibidem, hanc moderationem minime eſſe poſſibilem, præſertim juvenibus, ad quos dirigitur Tractatus noſter. Perinde ac ſi lectiones, quas propono, non decerent quaslibet perſonas, nec ullas addidiſſemus Superioribus, atque aliis cujuslibet ætatis & cuilibet ſtudio etiam extraordinario intentis congruas & accommodatas. Sed de hoc argumento nimium jam diſſeruimus.

Alter locus, quem reprehendit D. Abbas, eo ſpectat, quod dixe-
rim, ut ipſe quidem præſefert, *Philoſophiam, hiſtoriam, & Matheſin in-* pag 431.
*ſervire & diſponere ad orationem: ſtudio harum diſciplinarum intellectum & cor
ad orationem excitari. Hæc ſunt Auctoris verba* (pergit D. Abbas), *atque
idem dic de Geographia, de Chronologia &c.*

Ægre profecto ſe reprimit a juſta indignatione qui videt adeo indigne & contra rei veritatem ſecum agi. Ubinam dictum a me eſt, *hiſtoriam & Matheſin inſervire, & diſponere ad orationem?* Ubinam expreſſis

verbis

verbis affirmavi, *lectione & ſtudio barum diſciplinarum intellectum & cor ad orationem excitari?* Ubinam idem verbis ſaltem æquipollentibus aſſerui? Quæ reipſa dixi, hæc ſunt. Cum docuiſſem, ante lectionem & in ipſa lectione eſſe orandum, mihimetipſi objeceram quæ ſequuntur.
„ Forte dixeris, hæc quidem in ſpiritualium lectione librorum ſer-
„ vanda eſſe, ſecus vero cum de ſcientiis mere ſpeculabilibus agitur,
„ ut ſunt Philoſophia, Theologia, Matheſis. Ad id vero reſpondeo.
„ Etſi non inficier, ſacras piaſque lectiones ad orationem, cordiſque
„ compunctionem magis conducere, quam præſtent ſcholaſticæ
„ ſcientiæ; Nihilominus ex iſtis etiam humana mens identidem pote-
„ rit ad Deum aſſurgere. Cum ſiquidem veritas quæcumque creata
„ deſurſum ſit deſcendens a Patre luminum, propterea amari debet.
„ Quælibet veritas nos in Deum ferre poteſt; atque ea ſicut omnibus
„ creaturis uti nobis in promptu eſt, ut in tantum Auctorem intelli-
„ gentias noſtras & affectus excitemus. Deinde rem eamdem confirmavi exemplo P. Contenſoni, qui hæc duo una copulavit, nimirum ſpeculabilem Theologiæ notitiam, & aſpirationes in Deum in ſuo curſu Theologico. Quis hic reperiat quæ mihi objiciuntur? Idem ne eſt dicere, ex ſcientiis mere ſpeculabilibus humanam mentem identidem poſſe ad Deum aſſurgere; ac dicere, has ſcientias inſerviant, & diſponere ad orationem, his ſcientiis intellectum, & cor ad orandum excitari? Hæc ſunt plane diverſa. At nihilominus Reſponſionis Auctor vim ſui argumenti in hoc ſtatuit, ſumpta occaſione ex verbis mei tractatus paulo ante relatis. Fac exempli gratia, aliquem ex eo quod dicam, pias quidem lectiones ad mentis collectionem magis conducere quam negotiorum tricas, ſed tamen vel in majoribus negotiorum tricis homines colligere animum poſſe; ex eo, inquam, fac aliquem inferre, quod putem negotiorum turbas inſervire & diſponere ad mentis collectionem, intellectum & cor ad eam præparando. Quemadmodum id mihi falſo tribueretur, ita & illud falſo mihi tribuitur in Reſponſione, ut patet.

Sed quoniam in hoc argumento verſamur, haud abs re fuerit nonnulla Reſponſionis loca animadvertere, in quibus contendit D. Abbas, *ſtudia haudquaquam Monachis convenire, quia juxta S. Auguſtini ſen-*
pag. 165. *tentiam animæ ſiccitatem inferunt, ac eam orationi ineptam reddunt: nempe quod Monaſticæ profeſſionis caput & ſumma eſt, in Monachis deſtruunt. Antiquis ſolitariis perinde fuiſſe a Deo tantillo temporis ſpatio diſtrahi, ac*
pag. 463. *fornicari. Monaſticum inſtitutum ideo nos amplexos fuiſſe, ut occupatio & cogitatio noſtra in Deo eſſet. Hunc orationis ſpiritum ſcientia labefactari, utpote quæ Monachos, quorum vita in continua oratione tranſigenda eſt, ineptos reddit ad ejus exercitium per aliqua temporis momenta.* Denique ubi diſſerit de puritate, ad quam ſolitarii tendere debent, quæque neceſſario requiritur, ut ſpiritus orationis ſubſiſtat, ait ab illa *non modo excludi vitia, pathemata, peccata; ſed etiam prohiberi quidquid a*
pag. 255. *Deo abſtrahere Monachum poteſt; quidquid ejus contemplationem & præſentiam tollere; quidquid eam mentis attentionem, quæ in infinitæ majeſta-*

tis

tis objecto defixa hærere debet, intervertere ac turbare aliquo momento poteſt.

Quandoquidem hæc doctrina, quæ in aliquibus Caſſiani locutionibus ac ſententiis fundatur, in exceſſum abiret, ſi ad literam acciperetur; atque eo nos duceret, ut innumera vitæ humanæ officia, innumeras neceſſitates interdicere Monachis cogeremur, quæ cum hac ſpiritus ita continua ad Deum attentione, ut ne uno quidem momento intermitti poſſit, nequaquam ſubſiſtunt; haud equidem puto D. Abbatem quoad hoc a reliquis omnibus diſſentire. Novit & ipſe „ (utar enim ipſius verbis) quid poſſimus; fatetur non eſſe quærendam immobilitatem, quæ ſcopulorum propria eſt, in ea Creatura, quæ penes ſe arundinis flexibilitatem retinet. Proinde quæ ipſe in hac materia vere ſentit, huc redeunt: *non eſſe ambigendum, diſtractiones, quæ nobis invitis ſubnaſcuntur, quæ nos improviſo occupant in eo ſtatu, in quo ſumus ex ordinatione divina, & in quibuſdam actionibus, quibus nos Providentiæ nutus admovit, a Deo reſpici quaſi noſtræ imbecillitatis effectus, & noſtræ fragilitatis germina, denique ut tranſitorias labes, quæ ejuſdem miſericordia dignæ ſunt*. Quod ſi quis ſolitarius occupatur, in iis, quæ ad ſe non pertinent, *tunc puritatis defectus ejus orationi ſuperveniens ipſi imputatur; hunc quippe defectum ſibi ipſe accerſivit, ac ejuſdem ipſe cauſa eſt; adeo ut in ſuo principio defectus voluntarius dicendus ſit.* Pag. 479.

Porro cum omnes lectiones & ſtudia, quibus Monachos admovere niſus ſum, ***nequaquam ipſis a Regula præcipiantur***, ut ipſe cenſet, *cumque Monachi teneantur ex divino præcepto, quod omnibus hominibus commune eſt, nec non ex ejuſdem Regulæ diſpoſitione, Deo preces offerre ſanctas & puras; tenentur item abdicare difficile & exquiſitum illud lectionum genus, ac illa ſcientiarum ſtudia, quæ impediunt quominus in eo ſtatu, in quo, ut Chriſtiani & Monachi, eſſe debent, ante Deum ſe ſiſtant. Si quod vero officium, ſi quæ exercitatio huic ſcopo adverſantur, prorſus rejici debent quaſi obices, qui illos exequi Dei mandata non ſinunt; adeo ut hujuſmodi lectio ab illis quaſi tentatio quædam habenda ſit.* Congruenter huic principio alibi pronunciat, *opinionem, quam* ego propugno, *ſanctorum opinioni eſſe contrariam: utpote quæ ſubruit ſpiritum orationis, & ejuſdem aufert puritatem ac dignitatem; quæ ſi abſint, oratio omni virtute, merito, & efficacia caret.* Denique *iter breviſſimum & tutiſſimum me oſtendiſſe, quo ad pietatem, & religionem è clauſtris Monachorum abigendam pervenitur.* Pag. 481.

Et quod proſpiceret, aliquem ei dicturum, quod *hic vel ille Monachus*, qui ſtudiis operam dedit, *proprio quoad hoc Superiori paruit*, ſubjungit, *Superiores ſubditis ea quæ cum primaria ipſorum obligatione pugnant, præcipere non poſſe recta conſcientia; iſthæc vero primaria obligatio huc ſpectat, ut Deo preces offerantur puræ, juxta Regulæ verba. Niſi Dei voluntas evidenter ſe prodat, nihil illis tale præcipere poſſe. Neceſſe eſſe ut in omnibus a propria Regula agendi rationem ſumant, & in animum inducant, quod ſibi autoritatis eſt, adhibendum eſſe in promovenda ejuſdem Regulæ accurata obſervatione.* Pag. 383.

Omnes ſententiæ, quas huc ex Reſponſione de promptas congeſſi, redi-

redigi poſſunt ad tria capita. Primum, quod ex S. Auguſtino ſtudia ariditatem animæ ingerant, atque eam orationi ineptam reddant. Alterum, quod cum ſtudia Monachis a Regula non præcipiantur, nequeant ſtudendo ita eſſe comparati, ut Deo preces offerant, quales Regula præſcribit, nempe ſanctas & puras, propter diſtractiones voluntarias ſaltem in ſuo principio, quibus hæc ſtudia illos exponunt. Tertium, quod ſuperiores non poſſint *recta conſcientia* ſibi ſubditis Religioſis hæc ſtudia injungere, *niſi voluntas Dei evidenter ſe prodat*.

Prima propoſitio, quatenus pertinet ad ſententiam S. Augunini, inde nata eſt, quod quemdam mei Tractatus locum ſecus intellexerit, in quo aliquot verba S. Auguſtini ad argumentum, quod erat præ manibus, tranſtuli, ſumpta ex ejus libro de opere Monachorum, ubi „ Dominum Jeſum teſtem invocat, quatenus multo maluiſſet per „ ſingulos dies certis horis, ſicut in bene moderatis Monaſteriis con- „ ſtitutum eſt, aliquid manibus operari, ad propriam utilitatem, „ & horas alias habere ad legendum, & orandum, quam tu- „ multus alienarum cauſarum pati & negotiis ſæcularibus praeeſſe dirimendis. Hoc pacto locum Sancti Auguſtini deſcripſeram capite 14. primæ Partis §. 1. In ſequenti vero eadem verba libuit aptare ad Religioſos qui ex virium imbecillitate laborem manuum ſtudiis extraordinariis, ad quæ diriguntur, nequeunt copulare: „ dixi autem, „ debere illos cum præfato ſancto Doctore ſincero corde fateri, ſe „ multo malle ad majorem ſui ſpiritualem profectum, per ſingulos dies „ ſtatis horis, prout in bene morigeratis Monaſteriis ſtabilitum eſt, „ aliquid manibus operari, & orationi ac lectioni vacare, quam ad „ præfata ſtudiorum genera adſtringi...... quæ ut plurimum ariditatem quamdam ingerunt animæ.

Poſtremum hunc mei Tractatus locum adduxit in ſua Reſponſione D. Abbas, ac duo hæc notavit: primo *perſpicuum eſſe ex verbis S. Auguſtini, Monachos illius ætatis labori manuali, orationi & lectioni tantummodo vacare ſolitos, genus vero illius lectionis a ſtudio fuiſſe plane diverſum*: deinde, *hæc ſtudia, juxta ſententiam S. Auguſtini ariditatem animæ inferre*.

Duo hæc annotata cum ex mea verborum S. Auguſtini applicatione tantummodo pendeant, evidens eſt omnino, non a præfato ſancto Doctore, ſed a me dictum fuiſſe, quod hæc ſtudia *ut plurimum ariditatem animæ ingerant*. Tantum enim abeſt, ut S. Auguſtinus in hoc libro ſtudiis Monaſticis adverſetur, ut contra laudet fideles, qui facultates aliquot Cœnobiis impertiebantur, ut eorum laboribus ſuppleretur, qui ſtudiis intenti *animum erudire* ſatagebant: quod hic animadverto, non quod putem Auctorem Reſponſionis hac animadverſione egere, cui ſatis perſpecta eſt Sancti Auguſtini genuina ſententia ab ipſo alibi relata; ſed quod verear ne multi auctoritate ſancti Doctoris in ſpeciem decipiantur perinde ac ſi Monachorum ſtudio adverſatus fuerit.

Quod attinet ad diſtractiones, quas ſuſcitat ſtudium in oratione, illæ, quibus obnoxii ſunt Clerici ſæculares, profecto ſunt magis volun-

Digitized by Google

luntariæ in ſuo principio, quam illæ Monachorum. Nam ii ut plurimum quæ tractant ſtudia, ſua ſponte elegerunt; at Monachi ideo ad ſtudia incumbunt, ut Superioribus, a quibus ad ea diriguntur, obtemperent; Superioribus vero jus eſt eadem ſtudia pro libito moderandi, & quibuſdam terminis concludendi. Nec affirmare vereor, diſtractiones, quas propter ſtudia aliquando patimur, minori culpæ eſſe nobis tribuendas, quam priſcis Monaſtici inſtituti ſectatoribus, qui, ut opinor, adeo multiplici ex capite ad ſtudendum nequaquam impellebantur, ac nos ipſi hoc tempore; poſtquam tot decreta & leges ab Eccleſia prodierunt, quibus neceſſario ſubjicimur. Majores noſtri animum ad ſtudia nonnumquam adjungebant, quod Regula illis hoc permitteret. Nos illos imitamur, quia præter Regulæ conceſſionem, Eccleſiæ præceptum habemus. Studere igitur licet nobis, quatenus *Monachis*; imo vero quatenus *Chriſtianis*, regulæ enim evangelicæ uſui ſtudiorum nullatenus adverſantur. Ergo diſtractiones involuntariæ, quas ſtudia nobis adducunt, non impediunt quominus *in eo ſtatu, in quo tamquam Chriſtiani & tamquam Monachi eſſe debemus, ante Deum compareamus*.

Ceterum in eo nos ſtatu, qui divinæ conſonat ordinationi, verſari credimus, quoties ſtudia colimus, ut Eccleſiaſticis ſanctionibus pareamus, & ut ſuperiorum voluntati obtemperemus. Atqui, juxta D. Abbatis effatum, *ambigendum non eſt, diſtractiones, quæ nobis invitis ſubnaſcuntur, quæ nos improvisò occupant in eo ſtatu, in quo ſumus ex ordinatione divina, & in quibuſdam actionibus, quibus nos Providentiæ nutus admovit, a Deo reſpici quaſi noſtræ imbecillitatis effectus, & noſtræ fragilitatis germina, denique ut tranſitorias labes, quæ ejuſdem miſericordia dignæ ſunt*. Porro ut hoc principium ad noſtra ſtudia lectores accommodent hic permitto. pag. 379.

Verum enimvero non omnes diſtractionum ſpecies devotioni & pietati labem inferunt. Dantur enim diſtractiones cordis, & diſtractiones ſpiritus, ſive intellectus. Quæ ſpiritum diſtrahere tantummodo valent, ea minus nocent: præſertim ſi ab utili aut neceſſaria occupatione diſtractiones oriantur, & cor Deo jugiter adhæreat. Opus etiam manuale, cujus D. Abbas acerrimus aſſertor eſt, & jure quidem merito, ſi paulo violentum ſit, omnes vires, atque omnem animæ intenſionem ſecum abripit, & diſtractionibus nos reddit obnoxios pariter ac ſtudium: ſed pœnitentiæ & charitatis ſpiritus, a quo illud pendet, & quodammdo informatur, eſt illi vice orationis; maxime ſi per crebras aſpirationes aſſurgat pectus in Deum: quod, nihil obſtat, quominus etiam ſtudendo fiat. Denique ſumma Chriſtianæ ac religioſæ pietatis non in continua & actuali Dei cogitatione conſiſtit, quæ ne *tantillo* quidem *temporis ſpatio* intermittenda ſit; neque item oratio in quodam cogitationis *eximio vigore* poſita eſt. Aliis quoque vitæ vel ſpiritualis officiis ſatisfaciendum eſt; ac denique oratio (repetam enim) magis eſt voluntatis actus, & cordis, atque charitatis motus, quam intellectus operatio; hæc autem charitas ſtudendo ac manibus operando pariter enutriri poteſt. pag. 129

Ad id, quod de Superioribus aſſeritur, videlicet *non poſſe illos rectâ conſcientia hæc ſtudia ſubditis Religioſis injungere, niſi divina voluntas evidenter ipſis manifeſtetur:* Oppoſitum omnino reſpondebo, id eos jure poſſe, imo & debere, permittente Regula, Sanctorum & Veterum Patrum exemplo confirmante, Conciliis & Pontificibus expreſſe jubentibus, denique divina voluntate abunde illis ex triplici hoc capite manifeſtata. Harum rerum argumenta & probationes alibi paſſim expoſui, a quibus hic ſuperſedeo.

Poſitum ſit igitur in primis, ſtudium dummodo recte inſtituatur, non eſſe ſpiritui orationis ita contrarium, ut quidam putant; ſed & illud addendum hic eſt, ne ipſi quidem humilitati ſtudium ullatenus adverſari. Nemo huic virtuti comparatior eſt illo, qui ſeipſum magis noſcit, ſibique perſuaſit parum rei eſſe quod ipſe ſcit. Homines vera & ſincera præditi eruditione utrumque noverunt melius quam ceteri, ideoque ad cordis humilitatem, quæ vera eſt humilitas, ceteris diſpoſitior eſt. Nec ſecus accidit in mediocri ſcientia; nonnumquam enim facilius eſt ſervare humilitatem in ſcientia, quæ nos cum innumeris hominibus exigui apud alios & apud nos pretii una commiſcet; quam eamdem ſervare contemnentes ſcientiam, quæ angelica quædam virtus exiſtimatur. Illa nos multis pares exhibet; hæc efficit, ut omnibus hominibus, ac præſertim ceteris Monachis antecellere putemus. Gulielmus de Sancto Amore id olim objecerat Regularibus mendicantibus, uſus auctoritate D. Pauli, qui ait, *ſcientia inflat* &c. Cui reſpondet D. Thomas, ſiquidem ſola ſit, ſcientiam cauſam eſſe poſſe ſuperbiæ; ſed tunc huic offendiculo minime obnoxiam fore, imo multas utilitates & commoda allaturam, cum ad ipſam acceſſerit charitas. *Addite ergo ſcientiæ charitatem; & utilis erit.* Poſtremo etiam ex bonis operibus timendam eſſe ſuperbiæ labem, non ideo tamen a bonis operibus abſtinendum.

S. Thom. Opuſ. 20.

Nonnulla ſuperſunt dicenda de potiorum difficultatum Elencho, & de Bibliotheca Eccleſiaſtica, quæ ad calcem Tractatus adjeci. Tot difficultatum ſeriem ſine earumdem explanatione me exhibuiſſe diſplicet D. Abbati. Sed non erat hic locus, nec id mihi ullatenus propoſueram. Non inficior, aliquod ex meo facto abſurdum oriri poſſe; ſed in majorem fortaſſe offenſionem incurriſſem, ſi dirimendis difficultatibus inſudaſſem. Id genus deciſiones, ſeu explicationes nonnumquam ingentes motus in Eccleſia cient; & ſatius eſt aliqua dubia inenodata relinquere, quam ea intempeſtive dirimendo Eccleſiæ pacem interturbare. Nova quidem dubia vix proponenda ſunt; Sed quæ inter doctos viros trita & communia habentur, ea cognoſci debent ab iis, qui ad laborioſum doctrinæ Eccleſiaſticæ ſtudium animum appulerunt, nempe ut Autographorum lectione, & eorum, qui ea pertractarunt, ſcripta perluſtrando, eadem enodare valeant. Quas indicavi difficultates, eæ tritiſſimæ ſunt atque omnibus notæ: quod ſi ad quarumdam explanationem peculiares Auctores, ad quos Lectori ſit confugiendum, nequaquam innui; hoc ideo feci, ſeu quod eos alibi facile inveniri putaverim

Digitized by Google

verim, ſeu quod mihi non innotuerint qui de ea materia peculiares tractatus edidiſſent.

Quod ad Bibliothecam attinet, in ea adornanda a moratiorum Communitatum conſuetudine minime diſceſſi, quæ in ſuas Bibliothecas præter libros Aſceticos univerſarum ſcientiarum volumina congeſſerunt, ne iis quidem omiſſis quæ ab hæreticis conſcripta fuere. S. Hieronymus in ſuo de Scriptoribus Eccleſiaſticis libro, qui Bibliothecæ Eccleſiaſticæ eſt quædam quaſi adumbratio, ſuo nobis præivit exemplo, Scriptores etiam hæreticos in hoc Catalogo inſerens. Neque S. Auguſtinus eum propterea coarguit, ſed contra eum percontatur, quare nonnullos ex iis prætermiſerit, hoc unum addens ſibi videri appoſite eum facturum fuiſſe, quod eorum hæreticorum errores innuiſſet, ut evitari poſſent. Exemplo S. Hieronymi agendi ratio, quam in tradendo Elencho difficultatum ſequutus ſum, plane confirmatur. Nam ſi Sanctus hic Doctor Eccleſiaſticorum Scriptorum Catalogo auctores ipſos heterodoxos interſerere non dubitavit, de eorum erroribus nulla facta mentione; non video, quomodo gravis culpæ reus ſim, quod aliquas difficultates ſine earum explanatione exhibuerim; maxime quum hæ difficultates, certe pleræque earum ad Fidem non ſpectent, & Auctores præterea indicaverim, qui ad eas enodandas inſervire poſſunt. Ceterum ſi id expetitur, ut ex meo librorum Catalogo *Bellum Papale* & *Biblia Deſmareſii* auferam, quo Auctori Reſponſionis faciam ſatis, nihil moror; imo & alios quoque, ſi quos ipſe minus probet, deleri patiar.

Auguſt. Ep. 40.

ARTICULUS XXX.

Anacephalæoſis & concluſio hujus Operis.

JAm denique harum Animadverſionum, quas longius ac putaveram produxi, faciendus eſt finis. Videbar mihi initio levioris operæ ſuſcepiſſe laborem: at rerum argumenta ſenſim ſine ſenſu creverunt, difficile autem fuiſſet, opinor, ea preſſius & anguſtius tractare. Bis idem non agere optaſſem; & mihi perquam moleſtum fuit in eam adduci neceſſitatem, ut ad ſcribendum accederem adverſus virum, quem unice colo & obſervo, adverſus R. Patrem Abbatem Trappæ. Acerbiſſimi, puto, doloris id mihi cauſa erit, dum vivam, quod contra eum ſcribere coactus fuerim. Novi, quantum ejus merito & dignitati a me tribuendum ſit, neque ad me pertinere, ut virum tam magna vi doctrinæ & eloquentiæ preditum, *ingenium divino dono aureum*, mihi adverſarium ſumam.

Auguſt. Ep. 40.

Sed quid agendum erat? Meas ille opiniones omnino perperam accipere, & pro ſtatu quæſtionis quæ inter illum & me intercedit, plane aliud ponere, quam quod ego confirmare niſus fueram, videbatur,

Fateor quidem, eum ad meam ſententiam propius acceſſiſſe, dum in ſua Reſponſione Monachorum ſtudia latius extendit, quam in ſuis Operibus, antea editis fecerat. Nondum tamen eo proceſſit, ut rationes & media proficiendi ex lectione Monachis ſuppeditaret. Opera S. Baſilii, S. Gregorii Nazianzeni, S. Auguſtini in Pſalmos & in S. Joannem; Moralia S. Gregorii, & reliquæ hujuſmodi Patrum lectiones, quas permittit, excedunt capacitatem eorum, qui nullum ſibi ad ſcientias aditum aperuerunt, quales plerique ſunt qui religioſum inſtitutum amplectuntur.

Præterea lectionem Patrum limitat ad ſolos aſceticos tractatus, & ad Scripturæ expoſitiones: Quod a S. Benedicti conſilio & voluntate diſcordat, qui in ſua Regula nullum Patrum opus excludit. Quid igitur eſt, cur Dogmaticorum Tractatuum lectio Monachis, qui ad eam cum fructu peragendam ſatis idonei ſunt, denegetur?

Neutiquam ferenda etiam mihi viſa ſunt, quæ ſentit D. Abbas circa lectionem Veteris Teſtamenti, quæque in maximos & Sanctiſſimos noſtri Ordinis viros quadam cum acerbitate pronunciat: luctuoſi quoque effectus, quos ſtudiis Monaſticis tribuit, & moratiorum Congregationum infeſta delineatio; alia denique multa hujus farinæ; quibus ad meas cogitationes luculentius explanandas, ad omnem culpam a me amoliendam, ad tuenda jura & prærogativas noſtri Ordinis omnino compulſus fui.

Principia & fundamenta, quæ ad hujus Controverſiæ diremptionem inſervire poterant, examinavi; priſcas videlicet Regulas, atque illam præſertim S. Benedicti; traditionem Ordinis Monaſtici, & Diſciplinæ mutationem. Ex duabus hiſce poſtremis rationibus alterutram ſufficere demonſtravi, ut ſtudiorum uſus, quem propugnamus & tenemus, omnino probetur, etiamſi Regularum verba cum nobis aperte non facerent: ſed inſuper S. Benedicti Regulam nequaquam eſſe contrariam ſtudiis, quæ ego in communia, particularia, atque extraordinaria diſcrevi. Studia communia, quæ erudiendæ juventuti comparata ſunt, olim fieri conſueviſſe relate ad pueros iis horis, quæ labori manuali aſſignabantur; quoad vero ætate provectiores iis horis, ſaltem ex parte, quæ erant lectioni dicatæ; prout a priſcis Ciſtercienſibus factitatum fuiſſe oſtendi jam inde ab eorum Reformationis initio. Hoc tempus ſatis eſſe potuiſſe cuilibet Religioſo ad ejus ſtudia privata ſive particularia; & ubi nonnihil ex nocturnis horis demere voluerint, quotidie quinque aut ſex horas hiſce ſtudiis & aliis ſpiritualibus lectionibus inſumere potuiſſe, ſine ullo Horarum Canonicarum divini Officii, Operis Manualis, & ſomni præjudicio. Quod attinet ad ſtudia extraordinaria, vel ipſum D. Abbatem in ea eſſe opinione, ut tempus labori manuali aſſignatum in iis impendere liceat, ipſo labore interea a Communitate neutiquam intermiſſo. Hanc fuiſſe S. Benedicti Biſcopi praxim in duobus illius Cœnobiis, S. Bonifacii in Abbatia Fuldenſi, S. Benedicti Anianenſis in Sodalitiis ab eo reformatis, & B. Herluini in Abbatia Beccenſi.

Oſten-

Oſtendi, hac ſtudiorum diſciplina & ratione tot eximios viros ad abſolutiſſimam pietatem atque doctrinam in Monaſteriis fuiſſe provectos, atque inde prodiiſſe egregios Præſules, illuſtres Scriptores; quin ab ullo eorum praxis reprehenderetur, ſed eorum potius ſtudiis ubique commendatis & probatis: quod argumento eſt, hanc agendi rationem extra ordinem aut extra regulas nequaquam excurriſſe.

Quod pertinet ad horum ſtudiorum latitudinem, eorum materiam præcipue intra Sacram Scripturam ſtetiſſe: ſed ad ſtudium Sacræ Scripturæ cum fructu inſtituendum Monachos ſibi comparaſſe aliarum ſcientiarum adminicula, humaniorum nempe literarum, Philoſophiæ, Theologiæ: quo referenda ſunt Conciliorum & Pontificum decreta ſatis expreſſa, quæ ſub gravium ſanctione pœnarum Superioribus inculcant, ne ſuis Monachis proficiendi in ſcientia opportuna media ſuppeditare negligant. Proinde Religioſis, quorum acre & perſpicax ingenium eſt, interdici non poſſe ſtudium Dogmatum Fidei, quæ neceſſario cum Ethica Chriſtiana conjunguntur, & promiſcue tractata cum materiis moralibus ſæpiſſime apud Patres occurrunt, ita ut difficillime, & nullo quandoque modo eorum morales tractatus ſine Dogmatum intelligentia abſolute percipi poſſint.

His ita poſitis, ſtudia & ſcientiam Monachorum fruſtra & immerito coargui, quaſi ex iis ortum habeant luctuoſi effectus, quos ignorantia peperit magis quam ſcientia: quod ſingillatim oſtendi circa hæreſes, quibus Solitarii ſtrenue quolibet tempore obſtiterunt.

Quamquam vero argumenta fuſius hic diſputata videantur, ii qui hæc volent attente perlegere, eorumque gravitatem perpendere, facile intelligent, ea quoad potui me compendioſe tractaſſe; quod ſi aliquis ea quæ dixi cum Reſponſione D. Abbatis contulerit, inveniet, certo ſcio, multa a me fuiſſe prætermiſſa, quæ exagitari atque reprehendi ſane merebantur. Sed ſatius duxi ea non attingere, tum ne hoc opus nimium excreſceret, tum ut oſtenderem, quæ mea fuerit erga virum meritiſſimum obſervantia. Æquiores tamen mihi lectores fore confido, quam ut putent ea quæ prætermiſi me tamquam certa & indubitata fateri, & quod orationem nequaquam longius produxerim, boni conſulturos.

Ceterum id maxime egi, ut moderationis leges nullus infringerem; non audeo tamen id mihi ſumere, ut nihil fuerit a me incaute prolatum mediocritati & lenitati contrarium, nec ſecus aliquando locutus ſim, quam rectiſſimi animi propoſitum pateretur. Vereor quoque ne aliquis putet, me D. Abbati par pari reddere voluiſſe. Sed nihil magis alienum a meo conſilio & voluntate eſſe, novit Deus, qui quo ſim animo comparatus omnino pervidet. At homines hunc animum non perſpiciunt. Quid supereſt igitur, niſi ut illis ſcripto meas cogitationes aperiam, cordis autem ſecreta Deo, per ſinceritatem charitatis, qua eum proſequor, quem refellere cogor? *Quid faciam non invenio, niſi ut inſpiciendum tibi ſermonem meum offeram, animum Deo.* *Auguſt. Ep.23.*

O utinam Reverende Pater (licebit enim in fine operis ad te ſermonem

nem convertere) hunc animum tibi datum eſſet intueri, & quo modo erga te & tuam Domum comparatus ſim, cognoſcere! Diſciplinam & mores, qui in illa obtinent, veneror, agendi rationem, quam circa ſtudia cum Religioſis tibi ſubditis uſurpas, non improbo. Sed ſi illos ſatis firmos exiſtimas eſſe, ut ſtudio non egeant, præſidium omnino neceſſarium aliis quæſo ne ſubtrahas. Olim erit fortaſſe, cum tui quoque Monachi ſtudiorum adminiculo ſe indigere ſentiant, æque ac nos hoc tempore. Interea ſua illi prærogativa fruantur (neque enim impedio) & ſine hujuſmodi ſubſidiis, quibus reliqui carere non poſſunt, Deum ſe poſſidere lætentur.

Quod ſi tibi opportunum videbitur haſce meas Animadverſiones refutare, enixe rogo, ut meam ſententiam accurate percipias, quemadmodum & ego tuam conatus ſum recte accipere, & quoad potui dilucide quæ ſenſi explicare. Sed obſecro te per Deum immortalem, intra fines noſtræ Controverſiæ ſiſtamus, neque extra ſubjectam materiam evagemur; ne dum volumus rei veritatem inveſtigare, mutua charitas labefactetur, & animi fortius irritentur. Ego quidem, Deo adjuvante, numquam committam, ut in hæc privata & ſingularia ſermone procurram; & quidquid mihi aliqui obtrudant, aut ad meam quomodocumque notitiam perveniat, ſtatui nihil umquam reſpondere, ſed omnia paci & Chriſtianæ charitati poſtponere: cum illud mihi perſuaſerim, oppoſitam agendi rationem noſtrum dedecere inſtitutum, nec ad noſtræ controverſiæ caput dirimendum quidquam inſervire. Olim ita in occaſione conſimili quidam Laici Epiſcopos allocuti ſunt in Concilio Chalcedonenſi; quod nobis quoque jure merito exprobrari nunc poſſet: *Clamores iſti nec Epiſcopos*, addam, *nec Monachos decent, nec partes juvant.* *Concil. Chalced. art. 1.*

Scribe ergo, ſi lubet, adverſus ſtudiorum & ſcientiæ abuſum; tecum ipſe conſentiam; ſed interim ſtudia & ſcientiam, quæ de ſe bona ſunt, & quorum rectiſſimus uſus fieri poteſt in Monaſticis Sodalitatibus, ne reprehendas. Charitas id agit, ut ſcientia recte utamur. Scientiam quærere, ſepoſita charitate, non decet; utramque proſequi non modo licet, ſed & laudatur. Eadem charitas docet ex ipſo ſcientiæ defectu compendium capere, dum unice vacat divino ſervitio. Eadem charitas facit, ut qui ſtudiis operam navant, & doctrinam adepti ſunt, eos minime contemnant, qui ſcientiam non profitentur, ut in Deum ſolum cogitatione ferantur. Charitas denique horum labores cum illorum ſtudio per animorum conjunctionem apte componens, illud agit, ut qui ſtudent merito laboris fratrum ſuorum participent, & qui laborant ex doctorum ſcientia fructum percipiant.

Ut id utrique noſtrum obtingat etiam atque etiam cupio, quo pax & mutua concordia indiſſolubili nexu nos una conſtringat. Præclare nobiſcum agi putarem, ſi hæc ex noſtris diſputationibus utilitas conſurgeret, & noſtrum utriuſque ſententiæ, in Monaſticæ quidem ſcientiæ argumento diſcordes, ſaltem in ſpiritu charitatis conjunctæ manerent, quæ magis de pace ſervanda, quam de correptione facienda ſollicita

Digitized by Google

licita eſt, ut ait S. Auguſtinus, egregium illud exemplar pacis, charitatis, & lenitatis, quam in mutuis concertationibus ſectari debemus. *Auguſt. Ep. 10.*

Da veniam, Reverende Pater, inſtitutam enim orationem adhibitis hujus Sancti Doctoris verbis concludam, *Da veniam ſi quid liberius dixi, non ad contumeliam tuam, ſed ad defenſionem meam. Præſumſi enim de gravitate & de prudentia tua: quia potes conſiderare, quantam mihi reſpondendi neceſſitatem impoſueris: aut ſi & hoc non recte feci, & hinc da veniam.* *Id. Ep. 28.n.29.*

F I N I S.

HI-

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA
DISSIDII LITERARII

Circa Studia Monaſtica, quod invicem adverſos habuit R. P. Armandum Joannem Buthilierium de Rancè Abbatem Trappæ, atque D. Joannem Mabillonium è Congregatione S. Mauri, Monachum Benedictinum.

NEmo eſt qui ignoret, R. P. Abbatem huic concertationi anſam primum dediſſe in ſuo de Officiis Monachorum Tractatu, quem verbo quidem ad ſuos Fratres dirigit, re autem ad omnes qui Monaſticam vitam amplexi ſunt ejus argumenta accommodat: ibi enim eum videre eſt certo judicio ſcientias univerſas, & omnem ferme lectionem, ſi Sacras Scripturas & quoſdam tractatus aſceticos excipias, omnibus interdicentem.

Ubi primum hoc illius judicium in lucem prodiit, non ſolum in Monaſteria gravem conſternationem intulit, ſed & externos valde commovit. Quamplurimi viri merito & pietate inter Clerum ſpectabiles, quibus ſtudia & literarii labores Monachorum Congregationis S. Mauri valde probabantur, quique ea Eccleſiæ proficua eſſe autumabant, Trappenſis Abbatis abſoluto judicio graviter offenſi, de eo palam conqueſti ſunt, & Monachis S. Benedicti hoc conſilii dederunt, ut Abbatis ſententiam refellere

aggredientes ſtudiorum Monaſticorum in ſuo Ordine traditionem aſſererent, & ſcientiæ Eccleſiaſticæ cum pietate clauſtrali concordiam luculenter comprobarent.

At Patres Benedictini in hanc harenam deſcendere diu multumque renuerunt. Cum traditionem, & majorum ſuorum atque ſanctiſſimorum Ordinis virorum exempla, quibus per S. Benedicti Regulam ſe ſe componere jubentur, pro ſe facere, ſatis haberent; viam a ſe atque aliis paſſim tritam perrexerunt, religioſa ſtudia ſectantes; atque illud unum dumtaxat regeſſerunt iis, a quibus ut tutelam ſtudiorum ſuſciperent, urgebantur; nimirum P. Abbati peculiares ſubeſſe rationes, cur ita ſentiret; ceterum illi jus diremptorium non eſſe niſi in propria Domo, in qua ipſe Dominus: neque enim offenſioni eſſe debere, quod ille ſuum gregem ad cœlum evecturus, certas & inuſitatas vias ſterneret, quas ipſe tutiores arbitraretur.

In hoc ſilentio novem & ultra exacti ſunt anni. Tum vero D. Mabillonius feſſus multorum virorum literis præſtantium, & nonnullorum etiam illuſtrium Antiſtitum efflagitatu, qui eum ad ſuſcipiendum ſtudiorum Monaſticorum patrocinium compellebant, calamum arripuit, & de hac materia conſcripſit Tractatum, cujus una & altera editio intra duorum annorum ſpatium prodiit, & primò quidem anno 1691. deinde anno 1692. adeo ille frequentes & avidos nactus eſt emptores.

In hoc Tractatu Auctor in primis probat innumeris luculentis teſtimoniis, & traditionis ſtudiorum

uberrimis documentis, ea non modo a Monaſtica profeſſione non eſſe aliena, ſed ipſi etiam aliquomodo eſſe neceſſaria.

Deinceps vero ſtudiorum differentias notat, eaque innuit, quæ Solitariis convenire poſſunt, atque una libros, quorum uſus iiſdem ſuppetat. Non negaverim quidem, eum in hoc argumento adeo per omnes partes diſcurrere, & tam vaſtum ſtudiorum campum explicare, ut recte ſuſpicari quis poſſit, fore ut illi, qui de hoc Tractatu a ſumma & extanti facie judicium tulerint, quique ipſam Auctoris ſententiam ex æquo & bono expendere neglexerint, vehementer inclamênt, atque eum immodicè rem exegiſſe, causâque cecidiſſe ſtatuant.

Tertio agit de ſtudiorum ſcopo adeo piè & luculenter, & vere chriſtianos fines, quos ſibi Solitarii proponere ſtudendo debent, adeo prudenter indicat, ut vel hinc quidquid in ſecunda Tractatus Parte nimium videri poterat, ſatis modificetur.

Nihil vero magis eum ab omni iniqua cenſura ſervare debuerat, quam ingenuus & urbanus modus, quo hoc argumentum pertractaverat: nec non & illa modeſtia, quam ipſe a natura præſeferebat, & cujus ſpecimen per totum Opus, ut ita loquar, diffudit; etenim a quadam de omnibus pronunciandi temeritate & audacia ita ſe abhorrere oſtendit, ut ſæpe ipſius ſententiam conjectura aſſequi cogamur, utpote quam non aliis exponit dicendi formulis, quam his aut ſimilibus: *Videtur quidem; dici fortaſſe poteſt &c.* Adde porro ſummam humanitatem, obſequium, exiſtimationem, cultum, quibus illu-

ſtrem Adverſarium, ejus perſonam, & dignitatem proſequutus eſt: anxiam denique curam, quam paſſim adhibuit, tum ut in hoc opere incæptum ipſius omnibus probaretur, tum ut Trappenſis Abbatis agendi ratio & ſententia ab invidia vacarent, quamvis ab illa diſcedere ſuum eſſe arbitraretur.

Quapropter ingenti plauſu Tractatus iſte exceptus fuit. Patebit ex Epiſtolis, quæ ad calcem hujus hiſtoriæ adjectæ ſunt, quam honorificis encomiis intra Gallias paſſim fuerit cumulatus. In Italia tamen cum minori cultus ſignificatione exceptus fuit. Nam cum ſecundam ejus Partem Italico ſermone exaratam P. Ceppi Auguſtinianus in lucem edère præſetuliſſet, in magnas incidit difficultates quibus Magiſter Sacri Palatii hanc editionem remoratus eſt. Mabillonii exhortatio ad legendos quoſdam libros heterodoxos minime ibi arriſit, utut eam de induſtria aliquo temperamento emmolliiſſet: Uſſerii Chronologiam, hominis Acatholici opus, omnium tutiſſimam ab eo nuncupari, diſplicuit: Quæſtiones ſcholaſticas, quæ per *Quomodo* particulam concipiuntur, ab eo de medio ſublatas obmurmuratum eſt: laus Theodoreti apud illos habita fuit ceu quædam in reliquos Patres Græcos contumelia: Exemplum Tichonii Donatiſtæ, licet a S. Auguſtino depromptum, rejectum eſt, quòd ad legendos libros hæreticos excitare poſſit: Prophanas hiſtorias, & Chronologiam tamquam ad Sacrarum Scripturarum intelligentiam neceſſarias exhiberi, neutiquam probabatur. Denique *impoſtoris* nomen, quo D. Mabillonius Annium Viterbienſem notaverat, ejuſdem familiæ homines plurimum

irri-

irritavit. Magiſtrum Sacri Palatii tanta in hoc negotio ſubiit religio, ut aſſerere non dubitaverit, ſe connixurum, ut hic liber Sacri Officii cenſura ſugillaretur. Interea tamen æquis commonitionibus, & rerum argumentis a R. P. Maſſolié in medium prolatis illud confectum eſt, ut P. Ceppi imprimendi facultatem denique impetraret ea lege ut omitteret quidquid ad hæreticos libros ſpectat, quorum lectionem ejus Autographus commendabat. In Germania prodiit hic Tractatus latine verſus a R. P. Udalrico Straudigl Monacho Benedictino in oppido Camtenſi anno 1702.

Quandoquidem P. Abbas fuerat in hoc diſſidio provocator, cæperatque ipſe Solitarios de poſſeſſione velle dejicere, qua a tot retro ſæculis fruebantur; ſibi quiſque facile perſuadebat, fore ut ille, poſtea quam in ſuo de Officiis tractatu, itemque in ſua Regulæ explicatione omnia in medium attulerat, quæ opportuna illi viſa ſunt ad fulciendam ſuam opinionem; nunc demum in ſilentio ſe contineret, & publicum de hac controverſia judicium tacitus expectaret. Sed arbitratus eſt tuta ſe conſcientia ſilere non poſſe. Hic Paſtor zelo flagrans ſervandi gregis, veritus eſt, ne * *Jeſus-Chriſtus ex ejus manibus ſanguinem animarum ſuorum Fratrum exquireret*, ſi ipſe ſilentium duceret; idque ſatis ei fuit, ut *omnino ſuum eſſe* crederet D. Mabillonii ſententiam ad trutinam revocare. Alia etiam ductus ratione, quam ipſe in ſuo Proloquio non affert, ad ſcribendum ſe contulit; nimirum impediendi, ne approbatione, qua D. du Bois D. Mabillonii librum ornaverat, ſuo nomini

* In Proloquio Reſponſionis.

& per-

Digitized by Google

& perſonæ aliqua nota inureretur. In ea tamen approbatione nihil nominatim adverſus P. Abbatem dictum reperitur; at ipſe ſibi adſcripſit quæ S. Gregorius Nazianzenus in ea citatus olim diſſeruit adverſus homines quoſdam ſuæ ætatis, ſtudia & ſcientias vituperantes. Qui cum eo faciebant, illius conſilium primi cognoverunt, & de eodem quamprimum rumor paſſim percrebuit. Verum cum adhuc de rei exitu incerti eſſent, primo quidem diſtulerunt in vulgus, ſuſceptum a P. Abbate laborem nonniſi ad ipſius Monachos reſpicere. Ipſemet plures ſibi notos & familiares, qui ſe convenerant, certos reddidit, nihil aliud ſibi eſſe propoſitum; quamquam ex ejus ſermone facile colligebatur, perjucundum ei fore, quod de Tractatu ſtudiorum vindice Reſpublica literaria idem ac ipſe & ejus Fratres ſentiret.

Perfecto demum Opere, conſilia mutata ſunt; nam P. Abbas ſibi perſuadere cœpit, proprii clauſtra Monaſterii nimis anguſtos fines ſuæ miſſioni ſtatuere, atque operæ pretium fore per doctam Monaſticæ inſcitiæ apologiam, nihil ſciendi obligationem univerſis Monachis injicere. Suam ad Tractatum de ſtudiis Reſponſionem ſibi addictioribus præbuit legendam, qui eam probare non deſtiterunt, atque illi ſtimulos addiderunt, ut typis eam vulgaret, integram ei victoriam pollicentes. Neutiquam mirum eſt, diſertum hunc Abbatem prima ſui Operis lectione quædam ſibi ingenia conciliaſſe. Suum quippe argumentum adeo ille concitate & vehementer, tanta cum elegantia & acumine pertractat, ut niſi ſenſibilibus affectionibus didiceris obſiſtere, ille te non mo-

do du-

Digitized by Google

do ducat, ſed & rapiat & trahat quocumque velit. Eſt in ejus oratione flumen verborum, cujus vi abreptus neutiquam liber es, ut queas ejus rationes expendere. Tum verò quibus ille modis D. Mabillonii Tractatum ad trutinam vocat? Vix audeo edicere. Ita eum examinat, ut quodammodo diſſuat, & plerumque in fruſta ſecet, quæ diſſuta & lacerata, propria vi, eaque pulchritudine, qua ſuo in loco fulgebant, deſtituuntur, neque ad aliud denique inſerviunt, quam ut Trappenſis Abbatis indignationi pateant & cenſuræ. Adverſus hæc exigua, ut ita dicam, monſtra a ſe conficta, aut ſi mavis contra hos miſeros & vita caſſos adverſarios omnem ipſe eloquentiæ vim exerit, & tantum ignis & flammæ in illos vomit, ut ſi oculorum judicio (ut multi) tantummodo utaris, eos in pulverem redactos, & omnino contritos, atque in eorum pulvere ſepultum Tractatus Auctorem putes. Mirum itaque neutiquam eſt, quoſdam, quibus neque argumenta rationesque perpendere, neque Reſponſionem cum Tractatu, quem ille oppugnat, conferre, vacabat, P. Abbati plauſiſſe. Ejus Opus vel ſi in otio & quiete cubiculi legas, ægre te cohibebis, quominus prima fronte probes. Ab una ad aliam paginam fit tranſitus ob eam dumtaxat voluptatem, qua nos primæ paginæ lectio titillavit. Ut moremur aliquantulum, in nos violenti eſſe debemus; multo magis ut lectionis delicias laborioſæ reflexioni immolemus.

Interea P. Abbas cum Lectores amicos ipſa evidentia convictos putaret, quos quædam mentis incitatio incautos abripuerat, & adulatorias laudes ceu

quæ-

Digitized by Google

quædam teſtimonia perhibita veritati exciperet, jam nihil aliud moliebatur, quam Operis impreſſionem. Quod conſilium cum innotuiſſet, multi viri perſpicaces, quique illius rationibus melius conſulere noverant, eum admonuerunt, prudentius & cautius facturum, ſi adornatam a ſe Reſponſionem ſuis tantummodo Fratribus exhiberet legendam, quandoquidem ad eos ſolos illa dirigebatur; nempe in vulgus editam cenſuras & reprehenſiones excitaturam; Mabillonii librum bellum ipſi nequaquam inferre, atque eum ab omnibus laudari & probari; doctum hunc Benedictinum in nova ſui Operis, quam parabat, editione, promptum eſſe ad ejus rationes æqui bonique faciendas, ſi eas ipſe velit privato colloquio de hac materia habito communicare; hoc modo agendum eſſe propter publicam ædificationem; econtra vero diſſidium inter duos religioſos viros offenſioni multis omnino futurum; denique ſi certum illi erat de ea materia controverſiam agitare, in qua num jus & ratio pro ſe facerent, ſaltem ambigebatur; valde timendum eſſe, ne ſæculares viri, qui malignis obtutibus Monachorum facta jugiter obſervant, indigna ſuſceptâ Reformatione conſilia illi tribuerent, & ab externa zeli facie ulterius animo progreſſi, in ejus agendi ratione loquendi pruritum magis quam neceſſitatem animadverterent, aut ſe animadvertere putarent. P. Abbas hujuſmodi admonitiones ad ſe plus quam a viginti locis venire fatebatur. Guiſiæ Duciſſa præ ceteris hac de re ad illum literas miſit; at ille rem hanc religionis habebat & conſcientiæ loco; quis vero neſcit, conſcientiam quamdam ſibi le-

gem

Digitized by Google

gem impoſuiſſe nulla alia ſequendi conſilia, quam quæ ab ipſa probantur?

Cum omnia igitur eſſent editioni parata, Trappenſis Abbas ſui operis exemplaria Lutetiam miſit; quæ deinceps in Doctorum manus delata ſunt, ut opus approbaretur. D. Bolæus Decanus Senonenſis, & D. Courcierius ad id primo delecti fuere; ſed hiſce viris certum erat nihil calculis ſuis approbare, niſi quod cum urbanitate, veritate, & mediocritate eſſet conjunctum. Actæ ſunt illis gratiæ, & ad alios deventum eſt indulgentiores, qui omnia ſuſpicere, nihil mutare eſſent parati. Impetrata approbatione, editio in obſcuro penitus latuit, quin & dilatus eſt rumor, imprimendi conſilium diſturbatum eſſe. Interim Muguetus non ceſſabat ab opere, atque ita expedite rem executus eſt, ut poſt tres hebdomadas aut ad ſummum poſt unum menſem liber in lucem prodierit. Magna omnes propterea cepit admiratio, tum vero maxima, poſteaquam lectum eſt opus, meris hallucinationibus ſcatens, quæ ibi ceu rerum argumenta traduntur. Adde falſas opiniones, quas Adverſario paſſim tribuit, ut commodius oppugnetur; inductiones generales ex factis peculiaribus ſumptas, vehementiſſimas declamationes, quæ in ipſum potius Auctorem, quam in alium quempiam recidunt; præterea decem & ultra Ordinis S. Benedicti ſæcula contemptui & reprehenſioni expoſita, atque ſine ullo delectu, ſine ulla ratione dilacerata; hujus Ordinis germina pietatis & doctrinæ nomine commendatiſſima, indignis modis excepta, & traducta; facta morigeratiſſimis Congregationibus

contumelioſa in lucem prodita, ac fluxæ certitudinis indiciis confirmata; quædam etiam ſilentio preſſa, quæ ſilere gravis injuria fuit; judicia denique manifeſto incauta: hæc vero ſingula cum tanta ſermonis conſtantia & auctoritate proponuntur, ut vel firmiſſimis ingeniis, atque ab errore & illuſione tutiſſimis fucum facere penitus valeant.

D. Mabillonius affectu pleuritico tunc temporis laborabat; ſed opportuna ſanguinis detractione brevi curatus, die quarta poſt Paſcha Trappenſis Abbatis lucubrationem percurrere cæpit. Multi ex ejus amicis, virique eximii haud pauci cum eum conveniſſent de recepta ſanitate gratulaturi, jam de nulla alia re colloquia agitabant quam de Reſponſione ad Tractatum nuperrime edita. Doctus interea S. Benedicti Alumnus, qui ſuum Ordinem eo quo par erat amore proſequebatur, quique aliunde noverat, quàm avide ſæculares viri excipiant quidquid ad vellicandos Monachos proditur, immodica Cenſoris ſtudiorum obtrectatione commotus videbatur, ac palam conqueri cæperat. Quod cum Trappenſis Abbas ſtatim reſciviſſet, de D. Mabillonio idem ac de pleriſque hominum judicium ferens; has ejus perturbationes & querelas inde ortas putavit, quod ſe præcluſa omni defenſione confutatum indignaretur. Propterea Adverſarii ſui moleſtiam, ſi fides ejus verbis, miſeratus eſt. Ait enim in quadam Epiſtola: „ Nunciatum
„ eſt mihi, D. Mabillonium ex noſtra Reſponſione
„ mærore affectum fuiſſe: id mihi, ſi ita eſt, valde
„ diſplicet, & ſupra quam dici poſſit ejus dolorem
„ egomet ſentio. Hunc miſerationis ſenſum ſuis il-

le ami-

le amicis nequaquam injecerat; nam quidam illorum (Monſ. le Comte de Charmel) ſcribens ad Parochum Pariſienſem: „ Patres Benedictini, inquit, ex Re-
„ ſponſione triſtitiam capiunt: habent quod prome-
„ riti ſunt; cur enim mei Abbatis ſententiæ adver-
„ ſantur?

Ego tamen facile crediderim P. Abbatis & amicorum ejus eundem animum fuiſſe, ejuſque miſerationem nihil aliud eſſe quam ſpecioſum obtentum, quo occultum de credito triumpho gaudium ipſe tegebat. Nam ſi revera Benedictinorum querelæ eum commoviſſent, ſaltem aliqua ex parte eum pœnituiſſet, quædam facta, de quorum falſitate identidem certior reddebatur, adverſus illos temere vulgaſſe. In ſua enim Reſponſione affirmare non dubitaverat, Benedictinos Patres **Reformatos opus manuale** de medio tuliſſe in ſtudiorum gratiam; & S. Michaelis Academiam vel a primo ſuæ inſtitutionis anno fuiſſe ſupreſſam propter inordinationes & abſurda eorum, qui ejus corpus conſtituebant. Hinc factum, ut P. Procurator Generalis Congregationis S. Vitoni non minus graviter quam obſequenter eum expoſtulaverit; cui Trappenſis Abbas jejune reſpondit, ſe moleſte ferre, quod ea quæ de ipſius Congregatione obiter dixerat, ipſum ſollicitum habuiſſent, ſibi vero nullatenus propoſitum fuiſſe quempiam offendere. Tantumque abfuit, ut perperam pronunciata retractaret, aut eorum aliqua oratione molliret, ut potius minitatus ſit, ſe plura rerum argumenta & facta producturum, quæ ſilentio lubens preſſerat, ſi res luculentius explicandi ſibi detur occaſio. Non ſunt

Digitized by Google

hæc plane non ſunt hominis animi lenitatem præſeferentis. Nec diſſimili ille oratione uſus eſt ſcribens ad Guiſiæ Duciſſam; „ ſibi videlicet numquam in „ mentem veniſſe Reformatis Congregationibus aliquam afferre moleſtiam, aut eas vel minimum „ lædere: quædam aſperiora dicta, quæ adhibere „ coactus fuerat aliquando, ab infenſo animo neutiquam proceſiſſe; & ne unum quidem verbum a „ ſe effluxiſſe, quod nimiam exhiberet acerbitatem, „ prout familiare eſt illis, qui rixandi & contradicendi cupiditate ad ſcribendum ſe conferunt: timere ſe tamen, ne ſi ad ea, quæ vulgaverat, re„ ſponderetur, quidam inſurgerent ipſius ſententias „ confirmaturi, qui modum, quem ipſe ſervaverat, nequaquam ſibi præſcriberent; denique quidlibet agere ſe paratum eſſe, ut illis ſatisfiat, qui „ aliquas expoſtulationis cauſas proferebant. Niſi demiſſum in hunc magnum virum obſequium vetaret, libenter ab eo quæreremus, quomodo hæc cum illis conſentiant, quæ ad Dominum de la Chambre Parochum S. Bartholomæi tunc temporis ſcriptitabat, *ſe commiſſurum poſthac, ut S. Mauri Congregatio dedecore & infamia oneraretur, ſi ad ſuam lucubrationem quiſpiam reſponderit*.

Hiſce minis nequaquam perterritus D. Mabillonius, ad reſpondendum ſerio ſe comparabat. Cujus rei fama ut ad aures Duciſſæ Guiſiæ delata eſt, ſtatim nobiliſſima matrona nonnullos ex Superioribus, atque ipſum D. Mabillonium accivit, atque omnem movit lapidem, quatenus ſubortam controverſiam pacifice inter illos dirimeret, eoſque ad ſilentium hac

ſuper

ſuper Reſponſione Trappenſis Abbatis induceret. Ipſa, adverſarii eorum nomine, in ſe recepit, fore ut ſi D. Mabillonius eum amice convenire voluerit, benigne & honorifice apud Trappam exciperetur, & a P. Abbate eximiis humanitatis & cultus officiis adhiberetur, qui ipſum quoque certiorem redderet de ſincera erga S. Mauri Congregationem exiſtimatione. At Patres Benedictini humiliter teſtati ſunt, pacificæ diremptionis conſilium nequaquam ſe rejecturos, ſi integra adhuc res eſſet, atque in eo ſtatu quo fuerat ante editam ſtudiorum Monaſticorum cenſuram: eo magis quod ab eodem conſilio neutiquam diſceſſerant in Tractatu de Studiis, in quo propria ſententia defendebatur ſine ulla ſignificatione belli adverſus eadem Studia a Trappenſi Abbate prius intentati; poſtquam vero hic Auctor Ordinem S. Benedicti publico læſiſſet ſcripto, & a ſe perperam dicta publice damnare recuſaret; id nullam habere offenſionem, quod PP. Benedictini nequaquam ſinerent condemnatorium calculum in ſe jactari, quin ſuæ cauſæ æquitatem omnibus teſtificarentur: ceterum Tractatus Apologiam ita prudenter, moderate & ſapienter inſtitutum iri, ut ne minimum quidem exiſtimationi pietatis & dignitatis ipſius Adverſarii eſſet deſtractura. Cum hæc admodum officioſis & humilibus verbis expoſuiſſent Patres, ſuſceptum ab illis reſpondendi conſilium haud ita ratum & conſtans fore putavit Duciſſa, ut omnis ſibi ſpes abjicienda eſſet eos a propoſito revocandi, & D. Mabillonio perſuadendi, ut Trappam proficiſceretur. Talia cogitans eos interea dimiſit, & Alenconium diſceſſit.

Magnus

Digitized by Google

Magnus Abbatum numerus, nec non & clarorum virorum turba in eandem cum Guiſiæ Duciſſa cogitationem venerunt, eandemque operam contulerunt apud Superiores Congregationis, & Dom. Mabillonium. Neceſſe fuit igitur quamdam, ut ita dicam, ſollicitationum obruentem multitudinem ſuſtinere, & vulgi opinionem contemnere Trappenſi Abbati faventem, quam reconciliationis & humanorum officiorum oblatus paſſim ingeſſerat.

D. vero Mabillonius ab omnibus quicumque doctrina, eruditione ac pietate in ſuo Ordine excellebant, religioſis viris fovebatur & excitabatur; ii enim acerbe ac indigne ferebant, Abbatem tam magna alioqui pietate & exiſtimatione clarum, adverſus ſtudiorum praxin Sanctorum exemplo conſtitutam, ab Eccleſia inculcatam, immemorabili uſu confirmatam, ſedulo jugiterque ſervatam, & utilitate quæ in Eccleſiam omni tempore ex ea redundaverat comprobatam, arma ſumpſiſſe. Externi etiam haud pauci viri merito & fama conſpicui, Mabillonii partibus ſeſe favere palam profeſſi ſunt. Sed in his fuit præcipuus D. Puſſorius a publicis Conciliis, qui tota præſente regia familia & coram Cancellario, Regi quadam die dixit, ſe æquo animo ferre non poſſe P. Abbatis acerbitatem, qui lapides in D. Mabillonium conjecerat, a quo ipſe roſis conſperſus fuerat; qua data occaſione Rex D. Mabillonium omnium Monachorum in ſuo Regno doctiſſimum atque animi maxime demiſſi videri ſibi pronunciavit.

Haud ita multo poſt D. Mabillonius convenit Parochum S. Jacobi du Haut-Pas, qui erat P. Abbati

ami-

amiciſſimus, quique omnium maxime conatus fuerat Benedictinis ſilentium indicere. Horum mutuo colloquio interfuit quoque Comes de Charmel ab eodem Parocho opportune accerſitus, qui iiſdem ferme verbis, quibus uſa fuerat Guiſiæ Duciſſa, D. Mabillonium a conſcribenda Tractatus ſtudiorum Apologia abducere, eique perſuadere contendit, ut Trappam proficiſceretur. Duos illi præterea verſus cujuſdam Epiſtolæ P. Abbatis oſtendit, verbis ſatis honorificis exaratos; & ſingularis humanitatis obſequiique officia commemorans, quibus Trappæ excipiendus erat, ſi illuc proficiſci voluerit; id ſatis eſſe arbitratus eſt, ut D. Mabillonius tot flagitationibus cederet, & calamum de manu abjiceret. Sed viciſſim ubi rationes ipſius & argumenta cognovit, tum demum maximis difficultatibus ſe implicitum ſenſit. Niſus eſt ergo P. Abbatis agendi rationem eidem probare, bono illum animo ſuam explicaſſe ſententiam affirmans, atque ad vulgandum quæ ſcripſerat multorum Monachorum Epiſtolis fuiſſe compulſum. At D. Mabillonius modeſte reſpondit, ſibi pronum & facile fore P. Abbati par pari reddere, modo rumuſculis ad ſe de rebus Trappæ delatis aures præbere, aut commentarios a quodam illius Cœnobii Monacho ſibi oblatos accipere vellet: ſed ita ſe comparatum eſſe, ut malit rumores & querelas talium virorum ab auribus & corde penitus removere. Erit ergo, excepit tunc ſubiratus Comes, neſcio quis ſceleſtus homo Trappæ deliteſcens; nam eo in loco cuncta redolent ſanctitatem, quod oculatus teſtis affirmo, nec eſt cur mihi denegetur fides.

Quid-

Quidni vero, Domine, ſubdidit Mabillonius; quoniam & apud nos nonnemo hujus farinæ reperitur, & in cætu quoque Apoſtolorum repertus eſt. Comes quid reſponderet incertus, detulit ei tandem in componenda hac controverſia Epiſcopi Meldenſis operam; nempe ut in aliqua ſua Lucubratione Illuſtriſſimus Præſul apto ad utrique parti ſatisfaciendum modo ſuam circa ſtudia Monaſtica ſententiam aperiret. At Mabillonius ſecus habitis quæ oggerere poterat de magni illius Præſulis cum P. Abbate quadam, ut ita dicam, confæderatione, reſpondit, ſuo qualicumque ſcripto Meldenſem Epiſcopum id tantummodo conſequuturum, ut novam contra ipſum molirentur exceptionem ipſius Adverſarii, qui & Eccleſiæ hoſtes ſunt; nullum propterea emolumentum P. Abbati, & Benedictinis ipſis inde proceſſurum; de cetero autem id neutiquam obſtiturum, quominus alii, ſe tacente, Monachi S. Vitoni aut S. Mauri P. Abbatem refutare aggrediantur, minus fortaſſe benigne, quam ipſe ſcripturus erat. Itaque ne hoc quidem conſilium eſſe admittendum faſſus eſt tandem Comes, adjecitque P. Abbatem, ſiquidem moleſtos effectus, qui ex ipſius lucubratione proveniunt, & argumenta quæ inde adverſus Patres Benedictinos aliqui deſumunt, animo proſpexiſſet, nunquam eam in publicum editurum fuiſſe; interim eidem ſe nunciaturum, & recepturum, fore ut Reſponſio quæ parabatur, modum omnino ſervaret, nihilque proferret illius dignitati, aut Trappenſis Cœnobii nomini injurioſum.

Interea Guiſiæ Duciſſa ſtatim ac devenit Alenconium,

nium, plures ſcripſit Epiſtolas ad Superiores, ad D. Franciſcum Lamy, virum Philoſophicis ſcriptis apprime notum, atque ad ipſum Dom. Mabillonium: Cui ſpeciatim ſignificavit, mirari ſe, quod eorum quæ ſpoponderat oblitus fuerit, putaretque ſe illi aliquid ſuadere potuiſſe, quod ipſi utile non eſſet.
„ Haud ſum neſcia (pergit deinceps) familiares tuos
„ viros doctos a Trappæ itinere te dehortaturos, &
„ eorum quoſdam exultaturos eo quod adverſum
„ eximiæ dignitatis, virtutis & ſapientiæ virum ſcri-
„ bere ſtatuas, idque facere detrectes, quod ipſe, ſi tuo
„ eſſet loco, ſine ulla tergiverſatione faceret. Cupio
„ quam maxime inter utrumque veſtrum pacem con-
„ ciliare, mutuo autem colloquio id omnino perfici
„ poteſt. In nullum propterea rerum tuarum diſcri-
„ men venis; optimum vero proximis exemplum,
„ ſi id agis, præbiturus es. Rogo, Pater, ut me
„ convenias. S. Patris tui Benedicti ſpiritum mitem
„ & humilem in hoc imitare. Hi quoque ſunt mo-
„ res tui. Tene Patris veſtigia, & ejus, quæ tibi
„ ex animo amica eſt, conſilium quæſo ne recuſes.
D. Mabillonius cum gratias illi egiſſet pro ſingulari benevolentia & ſollicitudine, qua Benedictinorum rebus conſulere dignabatur, a Trappenſi itinere iiſdem fere rationibus, quibus antea Lutetiæ uſus fuerat, ſeſe excuſavit. Subjecit præterea, nullum ſibi dubium eſſe, quin rectiſſima fuerit P. Abbatis voluntas; ſed tamen effectus neutiquam ex ſententia ſucceſiſſe; ſi ipſe Trappam proficiſceretur, periculum eſſe, ne ejuſdem Regiæ Celſitudini diſpliceret, nihil cum P. Abbate de ipſorum controverſia ſtatuen-

do, & re infecta diſcedendo; cum nullam recepiſſet facultatem, ex qua de rebus ſui Ordinis (quatenus huc ſpectat) libere agere poſſet; ancipitem & periculoſum fore hujus itineris apud vulgus eventum, eo quod felicem exitum inde quiſque expectaret; ceterum adeo ſe in reſpondendo lenem, adeo a quolibet dicto, quod P. Abbatis exiſtimationem vel minimum lædat, temperaturum, ut ſuam agendi rationem vel ipſa demum ſit probatura.

D. Lamy cum ab eodem itinere plures ſe excuſaſſet, ſe tali cura ſolutum denique putabat; ſed cum in loco Fontisridentis verſaretur, adeo enixe illum rogavit Duciſſa, ut diutius obſiſtere è ſua dignitate minime eſse crediderit. Trappam igitur petens ad eam venit. Porro ipſa de illius profectione certior facta, omnia ad illum belle excipiendum ut parata eſſent, ſtuduerat, & P. Abbatem opportune admonuerat; profecto enim conſtat P. Abbatem duoſque ex ejus Fratribus omnem curam, honorem, & ſtudium venienti detuliſſe. Poſt prima mutuæ humanitatis officia, regia matrona ſedere eos juſſit; hunc quidem, facete inquiens, iſchiadici doloris, illum vero nephritici affectus gratia; ac deinceps compulit ad inſtituendum de magna ſtudiorum controverſia mutuum ſermonem. Tunc P. Abbas ſuæ voluntatis rectitudinem in omnibus quæ ſcripſerat, proteſtari cæpit, numquam ſibi in animo fuiſſe aſſeverans, quempiam lædere, multoque minus S. Mauri Congregationem, quæ apud ſe in maxima erat exiſtimatione non modo quod ad eam generatim pertinet, ſed etiam relate ad ejus Superiores Generales, & nominatim

D. Ma-

D. Mabillonium. Reſpondit D. Lamy, id ſibi curæ datum fuiſſe, ut eorumdem nomine de cultu & obſequio erga illum teſtificaretur; quin & nihil eorum quæ ſcripſerat charitati labem intuliſſe, licet nemo inficias iverit, aliqua Reſponſionis ad Tractatum loca nimis eſſe & toti Monachorum generi, & ipſi S. Mauri congregationi injurioſa. Cum P. Abbas hujuſmodi aliquot loca ſibi indicari poſtulaſſet, D. Lamy eorum haud exiguum numerum protulit, quæ P. Abbas nulla alia exceptione defendit, quam iteratis recti animi teſtificationibus. At Benedictinus rectum illius animum in obſcuro eſſe reſpondit, hæc vero injurioſa loca tantummodo patere, adeoque pernicioſos inde effectus conſequi, eouſque ut quidam Magiſtratus dixerit, ſe malle, ubi res eo modo agantur in Congregatione S. Mauri quo Trappenſis Abbas affirmat, ſub legione prætoria ſtipendia mereri, quam in eo corpore numerari. Erubuit his auditis P. Abbas, & in laudes Congregationis S. Mauri ſermonem deduxit; ad ultimum de quibuſdam regularibus obſervantiis facta mentione, quas P. Lamy aliter ſe habere demonſtravit, quam ipſe deſcripſerat, de ipſius operis adjunctis cum loqui deſiiſſent, rem ipſam de qua agebatur expenderunt. Duarum horarum ſpatio prolixa inter illos commiſſa eſt digladiatio. Non eſt hic locus eundi per ſingula. Id ſupereſt dicere, quod ſi P. Abbas haud validius ſuas partes tutatus fuiſſet ſcripto, quam in hoc colloquio tutabatur, profecto haud valde formidandus hoſtis fuiſſet. Sive id modeſtiæ dandum ſit & reverentiæ erga Duciſſam; ſeu cauſæ infirmitas ita fer-

ret; ſane conſtat eum ferme quoad omnia inclinaſſe, nec ulli ſententiæ firmiter adhæſiſſe; ſed a propoſito ſæpius deflexiſſe, ac demum eo compulſum ut diceret, numquam ſe, modo ſtudia D. Mabillonius uſque ad S. Pachomii ævum non extendiſſet, reſponſurum fuiſſe. Ut brevi expediam, adeo ille in multis conſenſit, ut eum admirata Regia matrona, & Dominum Lamy ſeorſim affata, Ecquid, dixerit: annon tibi prædixeram, Dominum Abbatem accipendis quibuſcumque conditionibus fore paratiſſimum, & parum diſcriminis quoad rem ipſam intercedere inter illius & veſtram ſententiam? Reſpondit D. Lamy, mirum profecto ſibi videri, quod ille adeo in multis manus dediſset; ſed valde ſuſpicari, eum nequaquam ita eſse comparatum, ut hæc temperamenta ſuæ opinionis publico ſcripto committere voluerit. Et ne id quidem facere renuiſset, excepit Duciſsa, ſi veniſset Mabillonius, & reſponſionem inhibuiſset. At D. Lamy nihil incommodi ex hac Reſponſione ſequuturum affirmavit: ſubdiditque coram P. Abbate, ſolum controverſiæ caput in ea diſcuſsum iri, ſepoſito recriminandi aut reſpondendi ſtudio ad aſperiores quaſcumque verborum contumelias. Et revera quid vetat, ait, quominus tractetur hæc quæſtio ſpeculabiliter tantum, moribus & conſuetudinibus utrarumque partium prætermiſſis, atque ita propemodum ac ſi nihil ea noſtrum intereſset? Id fieri poſse affirmavit P. Abbas; quin & hanc agendi rationem ſibi probari faſsus eſt. Tum verò abſolutum eſt colloquium mutuis humanitatis officiis, quæ initio fuerant adhibita, in diſceſsu ultro citroque collatis.

Sub

Digitized by Google

Sub hoc tempus ignota manus P. Abbatem ictu graviſſimo perculit, atque intimum ejus ſenſum acerrime commovit. Digitum intendo ad quatuor illas Anonymi Epiſtolas, Coloniæ, ut præfert titulus, impreſsas anno 1692. in quibus Auctor ingenioſus, acutus & elegans, itemque doctus ac ſtudiorum Benedictinorum ſtrenuus aſsertor, quidquid humanæ & infirmæ rationis in illuſtri Reformatore deprehendere ſibi viſus eſt, paſſim carpit, & falſiſſime exagitat. Parvus hic liber ceu quoddam fulmen univerſos oppreſſit, quotquot P. Abbatis partes ſequebantur. Nullum itaqûe non movêre lapidem, ut ejuſdem Auctorem detegerent. Gravis ſuſpicio in D. Dionyſium Sammarthanum potiſſimum cecidit; cui ex publica fama ſummopere infenſam propterea ſe exhibuit Guiſiæ Duciſsa, totis viribus connitens, ut injuriam amiciſſimo ſibi capiti inflictam ulciſceretur. Adeo illa Superiores ſollicitavit, ut eum Turonis, ubi Cœnobii S. Juliani Prior erat, abducere fuerint coacti, & ad S. Germanum a Pratis transferre; quæ pœna viſa eſt Duciſsæ levior & ſuavior; cum exploratum ſit haud paucos Priores de ſuo gradu libenter decedere paratos eſse, ut privati Monachi locum in hoc Cœnobio teneant. Quod præcipue verum erat de D. Dionyſio, qui ſtudiis deditus, & a Prioratus curis plurimum alienus nullibi verſari poterat jucundius quam in eo loco, in quo ſtudendi omnes ſuppetunt commoditates. Quod ſi certum & exploratum erat, harum Epiſtolarum auctorem eum non fuiſse, laudes nihilominus, quæ ex publico rumore in eum propterea convertebantur (nam tunc illæ Epiſtolæ cum

Epi-

Epiſtolis Provincialibus de elegantia contendebant) nec non & locus quem earum occaſione obtinuerat, tolerabilem ei calumniam reddidere. Quilibet alius in eadem navi conſtitutus, qui non æque ac ille moderati animi fuiſset, valde vereri poterat, ne ſui ipſius amor humilis reſignationis laudem ſibi quadantenus præriperet.

Interea vero D. Mabillonii Reſponſio procedebat; Cujus ut editio interverteretur, familiares P. Abbatis ſuggeſserunt Cancellario, propoſitum eſse huic S. Benedicti Monacho, nulla obtenta nova Approbatione, ad Tractatum de ſtudiis quem rurſus edebat hanc Reſponſionem ſubnectere. Quamvis autem ſciret hic Magiſtratus, primum Reſponſionis folium ſibi jam fuiſse exhibitum, ut D. Pirotio Doctori & librorum Cenſori oſtenderetur; accerſivit nihilominus ad ſe D. Mabillonium; accedentem vero benigniſſime excepit: ac poſtquam de ejus libro notitiam ab ipſomet ſumpſiſset, Approbationem ei pollicitus eſt; adjecitque ſe per literas P. Abbati indicaturum ne quam ulterius moram huic negotio injiceret.

Hujus Reſponſionis, ſtatim ac fuit abſoluta, quinque exemplaria tranſcripta ſunt, quæ Dom. Cancellario & Examinatoribus diſtribuerentur. Quamprimum vero in Cœnobio Trappæ vulgatum eſt de abſolutione operis, quiſque eſset in illud Cancellarii animus. Ideo validius urgeri cæpit apud Pariſienſem Archiepiſcopum ejus ſuppreſſio. Et quidem præſtantiſſimus Antiſtes rogaverat Cancellarium, ut Approbationem inhiberet, aut ſaltem protraheret. Petiit quoque ut ad ſe veniret Mabillonius,

qui

qui ſtatim una cum Cœnobii Priore acceſſit. Continuo Præſul, cupere ſe ait S. Auguſtinum imitari, qui S. Hieronymum & Rufinum inter ſe conciliare ſumma ope ſtuduerat (ſecluſa tamen comparatione, inquit.) Trappenſem Abbatem prope 50. annorum amicitia ſibi eſse conjunctum: eum ſane acrem nimis eſse & acutum, ſed recti bonique animi virum, & honoris, quo ipſum D. Mabillonium & Congregationem proſequebatur, teſtificationem exhibere paratiſſimum: denique in offenſionem vulgi facile incurrere, quod inter adeo pias Sodalitates diſſidia foveantur. Ad hæc reſpondit Mabillonius eodem prorſus modo, quo alias reſponderat, quandocumque cedere cogebatur: teſtatus eſt pro nihilo ſibi eſse quod ad ſe privatim pertinere videbatur: ſed injurias ſtatui Monaſtico, ſui Ordinis viris ſanctitate conſpicuis, & ſuis Fratribus palam inflictas, æquo animo ferre ſe non poſse; pernicioſos effectus ex abolitione ſtudiorum intra Clauſtra conſequuturos, atque ipſum D. Archiepiſcopum, ſi quis alius, teneri maxime ſtudia fovere, utpote qui eorum fuerit pro ſua benignitate auſpicatiſſimus promotor: ita ut PP. Benedictini quidquid Eccleſiæ utile hactenus prompſerant, ex quo Patrum editiones in Congregatione S. Mauri adornari cæptum eſt, totum ei deberent. Hujuſmodi rationes & momenta Præſulis animum moverunt, adeo ut facile manus dederit, & ſe Cancellario mandaturum promiſerit, nihil eſse quod Approbationis conceſſionem morari jam poſſit.

Itaque poſt alia multa eorum qui Trappenſis Abbatis partes tuebantur, molimina & occulta conſi-

lia, quæ ſingillatim referre ſuperſedeo, ne tædio Le- ctores afficiam, D. Mabillonii opus tandem excuſum in lucem prodiit. Unum ejus exemplare ab Auctore ſtatim miſſum eſt ad Guiſiæ Duciſſam, quæ decem & octo diebus elapſis per literas eum admonuit, operis hujus Proloquium nimis acre & ad vellicandum Adverſarium unice factum viſum ſibi fuiſſe, adeo ut putaret non ab ipſo compoſitum, ſed ab iis, quibus P. Abbatis liber offenſioni immerito fuerat; P. Abbatem ſtudiis prophanis tantummodo bellum indixiſſe; nec in alium quemquam, præter diſciplinæ Patrum Benedictinorum deſertores, exarſiſſe: mutuo colloquio conciliandas utriuſque ſententias, & poſtremi hujus operis acrimoniam cohibendam fuiſſe. Quod attinet ad ipſum Trappæ Abbatem, quamvis poſtea D. Mabillonium ad ſe venientem humaniſſime recepiſset, uſque ad exitum tamen perſonam egit cenſoris & Adverſarii ſtudiorum, nec umquam ei perſuaderi potuit ut illa ſe exueret. Quid quod identidem neceſsarios ſuos per literas admonebat, fore ut Mabillonii Animadverſiones κατὰ πόδα ſectando refelleret, ſi forte reſpondendi animum ſibi Deus injiceret: id autem a ſe confectum iri æque felici ac plano modo, quo ſuam Reſponſionem ad Tractatum de ſtudiis antea adornaverat. Haud ſcio an hunc illi animum Deus umquam injecerit: alicubi tamen nunciatum reperi quoddam illius opus ſub hoc titulo: *L'Examen des Reflexions du P. Mabil. ſur la Réponſe au Traité des Etudes Monaſtiques*, quod aliquando fuiſse typis vulgatum non puto.

Porro haud novi quemquam, ſi unum P. Abba-

tem

tem excipias, cui illius ſententia non viſa fuerit animadverſionibus Mabillonii penitus everſa & profligata. Cuidam Monacho Cæleſtino cupido inceſſit cognoſcendi, quid de Monaſticis ſtudiis ſentiret Arnaldus. Curavit ergo, ut illi proponerentur ſequentes quæſtiones.

Primo, An liceat Solitariis divinarum Scripturarum profunditatem ſcrutari. Secundo, An ſit de eſsentia ſtatus Monaſtici & Regulæ S. Benedicti, ut qui ea profitentur, docti non ſint. Tertio, An ſtudioſa lectio Operum Dogmaticorum, quæ conſcripſerunt SS. Patres, profeſſioni Monaſticæ adverſetur. Quarto, An regulæ a S. Hieronymo ad Lætam miſsæ pro inſtituenda ejus filia, ad Monachos extendantur; & utrum liceat Monachis ea volumina perlegere, quæ hic S. Doctor virginibus legi permittit.

Cum Dom. Arnaldus hujus Conſultationis ſcopum probe intellexiſset, ſecluſo cujuslibet propoſitionis ſingulari examine, reſpondit, quandoquidem expetebatur ſua de diſſidio literario inter Trappenſem Abbatem & Mabillonium opinio, ſibi videri, in nullius offenſionem incurrere debere P. Abbatem, propterea quod in ſuo Cœnobio peculiaria quædam ſtatuat: „ at ſi quis velit illius agendi ra-
„ tionem (pergit Arnaldus) ceu quandam normam
„ proponere reliquis Solitariis, ita ut iſti ſtatutis il-
„ lius obtemperare teneantur, perinde ac ſi ſtatui
„ Monaſtico, & Regulæ S. Benedicti omnino re-
„ pugnaret Monachos doctos eſse, id vero puto ab
„ æquitate diſſentaneum. Haudquaquam decet

„ Monachos in inſcitia marceſcere. Lectum mihi
„ eſt, ni fallor, apud Severum Sulpicium, librorum
„ tranſcriptionem, quæ quoddam ſtudii genus eſt,
„ laboris loco fuiſse Monachis Cœnobii S. Martini.
„ Equidem Monachorum lectiones prudenter & cau-
„ te inſtituendæ. Ego in eam ſententiam propen-
„ deo ut lectiones illis ſubtrahantur, quæ cum eo-
„ rum inſtituto minime conſentiunt. Intereſt tamen
„ doctos adeſse Monachos, qui Eccleſiæ partes tue-
„ ri valeant adverſus laxas opiniones, & quando-
„ cumque eorum opera eidem Eccleſiæ neceſsaria
„ fuerit. Haud vidi quidquam eorum quæ de hac
„ materia Trappenſis Abbas & Mabillonius ſcripſe-
„ runt; audio tamen, Mabillonii libros in magna
„ eſse exiſtimatione. Itaque neminem hic ad ſcriben-
„ dum de eadem controverſia excitarem.

D. Nicolius legerat omnia quæ ab utroque conſcripta ſunt: pervulgatum eſt autem, quam circumſpectum de qualibet re judicium magnus hic Auctor ferre ſolitus fuerit. Fragmentum illius a me inventum in Chartophorio D. Mabillonii, nimis longum fortaſse videbitur, ut huic compendioſæ narrationi inſeratur: quandoquidem vero numquam impreſsum hactenus fuit, legique ab omnibus meretur, Lectori haud grave futurum ſpero, quod illud afferam hoc loco. En tibi ejuſdem Commentarius, illius nomine neutiquam conſignatus: ſed ipſa ſcriptionis evidentia & æquabilitas ſatis tibi ſine proprii nominis appoſitione ipſum Auctorem compertum reddent.

„ Cenſura in poſtremo Trappenſis Abbatis libro
„ contenta adverſus Monachos Benedictinos conſi-

„ dera-

„ derari poteſt relate ad triplicem temporum diffe-
„ rentiam.

„ Primum intervallum S. Benedicti vitam & an-
„ nos triginta aut quadraginta poſt ejus mortem,
„ quæ contigit anno 547. complectitur.

„ Secundum inde uſque ad Viennenſe Concilium
„ decurrit, quo ſeptingenti amplius anni continentur.

„ Tertium a Concilio Viennenſi uſque ad noſtram
„ tempeſtatem protenditur.

„ Quoad primum Trappenſis Abbas propugnat,
„ S. Benedictum ut Monachi ſtudio operam darent
„ noluiſſe; idque duobus argumentis patere; primo
„ quod in ſua Regula ſtudiorum non meminit: de-
„ inde quod lectioni binas tantum horas aſſignavit,
„ quæ ſcientificis ſtudiis (ait) inſtituendis nequa-
„ quam ſufficiunt.

„ Quoad ſecundum temporis intervallum tuetur,
„ cæptum fuiſſe ſtudiis vacare paulo poſt S. Benedicti
„ obitum, ſed id ut plurimum factum fuiſſe rejecto
„ S. Patris ſpiritu, & ſecus habita ejuſdem voluntate.

„ Quoad tertium denique eadem pergit defende-
„ re, & præterea aſſerit, Monachos tædio manua-
„ lis laboris ſtudiis incubuiſſe: quibus intentos a Dei
„ ordine deſciviſſe, & ſine peculiari vocatione ſtu-
„ dentes minime potuiſſe eam ſpem fovere, Deum
„ ipſis non imputaturum mentis evagationes & reli-
„ qua mala, quæ ineluctabiliter a ſtudiis proveniunt.

„ Quæ de hiſce tribus quæſtionibus ſtatui poſſe
„ videntur, hæc ſunt: Nullo legitimo argumento
„ umquam probabitur hæc aſſertio, Monachos ævo
„ Sancti Benedicti nequaquam ſtuduiſſe. Ex Regu-

Digitized by Google

„ læ ſilentio nihil evincitur: Siquidem ne de Miſſa
„ quidem Dominicis & Feſtis diebus celebranda meminit Regula, nec de mentali oratione quæ poſt
„ Pſalmodiam fiebat, ut aperte innuit S. Gregorius
„ Dialog. l. 2. cap. 4. nec de puerorum inſtitutione,
„ quæ ex diſciplina illorum temporum in piis & claris Monaſteriis, puta in Lerinenſi conſtituta colligitur. Humanæ literæ ibi abſolute tradebantur
„ a doctiſſimis Præceptoribus. Numquid in Monte
„ Caſino hæc puerorum inſtitutio ſecus procedebat?
„ nam ibi nobiliſſimarum Romæ familiarum filii
„ educabantur.

„ S. Thomas & S. Bonaventura hoc argumentum,
„ quod a Regularum ſilentio petitur, diluerunt, &
„ contra ſtatuerunt, cum ſtudia ab his Regulis nequaquam expreſsè fuerint interdicta, cenſeri debere permiſſa: quæ illatio Pontificum & Conciliorum auctoritate & judicio fuit comprobata.

„ Falſo ſupponitur, temporis anguſtias ſtudiis
„ obſtitiſſe, nam ſi recte calculum ineas, aliter definies. Ad binas lectionis horas quæ æſtivo tempore dabantur, adjiciendæ ſunt quæ ſequuntur.
„ Una amplius hora tempore Quadrageſimæ. Secundo, Operis manualis, quod Dominicis & feſtis diebus ceſsabat, intervallum, quinque ſcilicet adauctæ propterea horæ ſpatio plus quam duorum menſium. Tertio, Tempus, quod inter Matutinum & Laudes fluebat, tunc cum dividebantur, quod tota hyeme obtinebat. Quarto, Tempus Nonam inter & Veſperas a Feſto Sanctæ Crucis uſque ad Paſcha. Quinto. Hora meridiana,

„ quam

„ quam vel per ipſam Regulam ſtudio tranſigere li-
„ cebat. Ut dici poſſit, ultra quatuor in diem ho-
„ ras Monacho ad ſtudendum fuiſſe.

„ Denique duo hæc Silentii Regularum & angu-
„ ſtiæ temporis argumenta nullam vim habent ad-
„ verſus Ordinis Traditionem, ex qua aperte colli-
„ gimus, Monachos ſtudiis operam dediſſe triginta
„ poſt S. Benedicti obitum annis, quamquam a nul-
„ lo indicatum fuerit, eam eſſe de novo introductam
„ conſuetudinem, nec ullus de rejecto per ſtudia S.
„ Benedicti ſpiritu, & ejuſdem inſtitutionibus vio-
„ latis conqueſtus ſit.

„ Statuendum igitur eſt, opinionem ſtudiis con-
„ trariam relate ad hoc tempus leviſſimis inniti ratio-
„ nibus.

„ Id autem verius eſt, ſi ad ſecundum temporis
„ intervallum animum intendas. Pronunciari enim
„ libere poteſt, eam plane commentitio rationis
„ figmento, & meris adverſus hiſtoricam veritatem
„ aſſertis ſuſtineri.

„ Commentitium rationis figmentum in hoc ſi-
„ tum eſt, quod illis temporibus duo quaſi genera
„ Monachorum fuiſſe credantur: partim qui ad ſtu-
„ dium peculiari vocatione adeoque extra ordinem
„ ferebantur: partim qui tali vocatione deſtituti ſtu-
„ diis vacare non poterant ſine culpa, & niſi a Dei
„ ordine deſciſcerent. Nemo id ante Auctorem Re-
„ ſponſionis ad Tractatum de ſtudiis umquam alias
„ excogitavit. Facile vero diluitur, ſi ab eo quæra-
„ mus, an hæc extraordinaria vocatio Monachis ip-
„ ſis, qui ſic ad ſtudia ferebantur, innotuerit, nec

„ ne.

„ ne. Si eam non innotuiſſe dixerit, quid vetat quo-
„ minus hos Monachos ut teſtes afferamus ad confir-
„ manda omnium Monachorum ſtudia, cum æque
„ illi ac reliqui uno inſtinctu ac ſine ulla talis vocatio-
„ nis extraordinariæ notitia ſtudia coluerint?

„ Quod ſi hæc vocatio illis innotuit, in alias de-
„ labimur difficultatum tricas. Si enim intellexerunt
„ non licere in ſtudiis verſari niſi ex vocatione extra-
„ ordinaria; cur plures eorum erudiendis ceteris præ-
„ fecti non admonuerunt ſuos auditores de hujus ſtu-
„ dii periculo, in quod ſine ulla peculiari vocatione
„ incumbebant, viam perditionis propterea ineun-
„ tes. Quod ſi privatorum Monachorum conditio-
„ nem non egrediebantur, eos imitari neutiquam
„ licebat; non enim ut tales olim ſtuduerunt, ſed
„ ut Monachi extraordinaria vocatione cenſiti.

„ Aſſertum, quod cum hiſtorica veritate pugnat,
„ hoc eſt: quod ſupponit Reſponſionis Auctor, ſtu-
„ dia fuiſſe exculta ad evitandum opus manuale, ac
„ duo hæc, ſtudia nimirum & opus manuale eſſe in-
„ compatibilia. Id vero adeo falſum eſt, ut qui ſtu-
„ dia impenſius conſtituerunt, iidem opus manua-
„ le injunxerint, commendaverint, & diligentius
„ aliis tractaverint; quod a Bedæ, Benedicti Ania-
„ nenſis, Corbejenſi, Beccenſi, Fuldenſi, & aliis
„ Monaſteriis tum ab ipſo Benedicto Anianenſi,
„ tum a S. Bonifacio in Germania fundatis elucet,
„ in quibus labore manuum numquam intermiſſo ſtu-
„ dia pariter viguerunt.

„ Verum enim vero Trappenſis Abbatis ſententia
„ multo minus defendi poteſt relate ad tertium inter-

„ val-

„ vallum, nempe poſt Concilium Viennenſe ad no-
„ ſtra tempora. Porro hic Auctor haud alia ex cau-
„ ſa ſtudia damnat, niſi quod comparata ſint Mo-
„ nachos a Dei ordine divellere, quodque illis ſine
„ ulla peculiari vocatione operam navent.

„ Sed quæſo poterit-ne ille affirmare, Œcumeni-
„ co Viennenſi Concilio, Pontifici Benedicto XII.
„ viginti Conciliis Provincialibus, id juris non eſſe,
„ ut Monachos ſtudiis admoveant, atque eos ſtude-
„ re jubeant? Porro id ab illis factum fuiſſe conſtat,
„ & Superioribus Monaſteriorum inculcatum, ut
„ in ſuis Monaſteriis ſtudia Rhetoricæ, Philoſophiæ,
„ Theologiæ, Juris Canonici & Sacræ Scripturæ re-
„ gulariter vigere faciant. Quod expreſſe ſtatutum
„ eſt etiam in Concilio Tridentino. Seſſ. 5. c. 1. c. 4.
„ de Ref.

„ Itaque Reſponſionis Auctor quid ſequenti ar-
„ gumentationi, cujus propoſitiones vel ab ipſius
„ ſcriptis ducuntur, reſpondere poſſit, plane non
„ video.

„ Si Eccleſia forte Monachis ſtudia præciperet,
„ ejus judicio nos ſubmittere ſine ulla renitentia
„ oporteret, neque enim quod illa jubet damnandum
„ eſt; ſed potius ſpes illa fovenda, Deum auxilio
„ gratiæ ſuæ nos a ſtudiorum periculo ſervaturum.
„ Hæc propoſitio eſt ejuſdem Auctoris in libro, cui
„ titulus *Eclairciſſemens*.

„ Porro Eccleſia in Concilio Viennenſi, atque
„ aliis permultis Monachos ſtudere juſſit. Altera
„ hæc propoſitio in ultimo ejus libro reperitur.

„ Ergo ſtudia Monaſtica damnare non licet, ip-

„ ſe

„ ſe autem ea damnando quod ſibi non licebat fe„ cit.

„ Nihil ſolidi habet ejus ſolutio, quod nempe Ec„ cleſia hanc conſtitutionem juſſerit *ad duritiam cor„ dis*; imo Conciliorum ipſorum verbis & manifeſtiſ„ ſimæ rationi adverſatur. Deus enim poteſt quidem „ aliqua mala *ad duritiam cordis* permittere, ut olim „ Judæis libellum repudii: ſed ea imperare non po„ teſt, niſi rationem culpæ ab iis penitus auferat.

„ Atqui de præcepto hic agitur non de permiſſio„ ne quadam. Studia etenim ab Eccleſia non mo„ do permittuntur, ſed & imperantur, ut Auctor „ ipſe fatetur.

Aliud hic momentum adverſus Abbatis ſententiam proponamus, quod mihi videtur non ſatis hactenus inculcatum. De experientia loquor, quam in rebus facti, ſeu practicis omnes debent maxime conſulere. Quidquid illi opponitur, falſum eſt, & periculi plenum, utcumque ſolidis in ſpeciem argumentis confirmetur. Congregationem S. Mauri in exemplum ſumamus. Quod de illa dicam ceteris applicari poteſt; de illa vero ſingillatim loquor, quod magis ceteris ſit mihi cognita.

Hæc Congregatio ex ducentis circiter Monaſteriis conflata eſt, quorum unicuique Superior neceſſario præeſt. Jam ergo ducentos viros habes, qui juxta Regulam, quam profitentur, ſeligi debent præ aliis vitæ merito & ſapientiæ doctrina conſpicui, quique in lege Dei eruditi probentur, ut opportune de proprio theſauro nova & vetera proferre ſciant. Quid quod ne iſta quidem profunda ſapientia, & eximia

divinarum legum notitia ſufficiunt, niſi iis appoſitè uti noverint. Superior debet docere, exhortari, arguere, conſolari, fovere & fulcire animas ſibi commendatas, quæ ſingula exequi non niſi ſermone poteſt. Porro ſermonem, quem fructus ſequatur anteire debet rerum copia, comitari principiorum poſitio, & illationum adæquata deductio; materiæ quoque, de quibus eſt ſermo, quodam ordine ſunt diſponendæ. Nunquid iſta ſine ſtudiorum ſubſidio quiſpiam fecerit?

Plerique eorum, qui ad Noviciatum admittuntur, juvenes ſunt 18. plus minuſve annos nati, qui ex ſecunda Grammaticæ claſſe, aut ex Rhetorica Palæſtra, ut plurimum paulo progreſſi exeunt: adhæc notitia rerum quæ ad religionem ſpectant, deſtituti; nullius ſcientiæ principia, nihil exquiſiti judicii ſecum afferentes. Si nullos alios libros præter illos, quos Trappenſis Abbas permittit, in manus horum tradas, quem amabo fructum inde percipient? In primis ſiquidem cum nullus alius latinæ linguæ uſus illis ſuppetat, quam quem è claſſibus ſibi comparavere, innumera Scripturæ Sacræ aut Sanctorum Patrum loca minime intelligent, aut perperam interpretabuntur. Deinde qualicumque uſu exercitati credantur, adhuc hærebunt in multis locis, quæ ſine prævia notitia myſteriorum Fidei & Moralis diſciplinæ, quam ipſi aut confuſe aut nullo prorſus modo arripuerunt, percipi recte non poſſunt. Tertio fructum ex lectione non capient; ad hoc ſiquidem oporteret quædam collectanea adornare, ad certa capita res quaſque vocando, principia alia ab aliis ſeligen-

do, literalem Scripturæ ſenſum ab allegorico, ponderis & auctoritatis plena apud Patres a levibus & dubiis ſecernendo, veritatis & falſitatis notas in Eccleſiaſticis hiſtoriis evolvendis caute adhibendo. Quarto cum hæc collectanea, ſi ea his ſubſidiis deſtituti ſibi comparare aggrediantur, male digeſta omnino fore putandum ſit, quomodo illis appoſite uti poterunt, quotieſcumque exhortationes aut ſermones ab illis inſtitui officium ipſorum poſtulet? Numquid in eorum oratione veritas, æquabilitas, connexio & affectuum motio facile reperientur? Quinto ſi forte contingat, ut aliquis ex eorum Fratribus circa aliquod Myſterium in difficultatum tricas ſeſe conjiciat, ſuaque commenta aliquibus Scripturæ aut Patrum locis confirmare ſe putet; nihil jam illorum opera ad difficultates tollendas profutura eſt, quippe qui eamdem legendi methodum, atque eoſdem libros uſurpaverint, atque ideo Fratribus ſuis minimum ſint doctiores. Inſtar cæcorum erunt cæcos ducentium. Neque vero mihi objiciantur quidam Sancti Abbates, qui omni ſcientia deſtituti animas ipſorum regimini commendatas optime quondam moderati ſunt. Quamquam virorum hujuſmodi haud ita magnus numerus allegari poſſet. Sed utcumque eorum viginti aut amplius in medium proferantur, quid inde erit emolumenti? Ducentis opus habeo, & fortaſſe pluribus, ut in decedentium locum ſubſtituantur, aut perperam electis ſurrogentur. Numquid hujuſmodi viros extraordinariæ virtutis ſubſidio munitos valde obvium eſt invenire? An expectanda ſunt quotidie inuſitata ſupernæ diſpoſitionis miracula?

Quin

Quin & ducenti Superiores nequaquam ſufficiunt; nam in ſingulis Communitatibus adeſſe debet infra illos Monachus, qui ipſis longe agentibus, aut ægrotantibus Superiorum munera exequatur. Ceterum ſi ea quæ dixi, ſatis probant (quod reor) idoneos Superiores conſtitui non poſſe ſine ſtudii ſubſidio; jam nova rationum momenta haud neceſſe eſt afferre, ut ſtatuamus idem dicendum eſſe de Subprioribus.

Nunc ad privatos Monachos veniamus, quorum numerus in Congregatione duobus circiter millibus concluditur. In hac porro multitudine virorum vix quatuor fortaſſe reperies, qui eandem ingenii aptitudinem, eaſdem propenſiones, eumdem ſcientiarum guſtum ſortiti ſint. Interea omnes, ſi Trappenſi Abbati obtemperandum fuerit, nihil aliud librorum habebunt, preter Sacra Biblia, & quoſdam Tractatus morales Sanctorum, Auguſtini, Gregorii, Bernardi, Ephræmi, aliave nonnulla ſcripta aſcetica. Ego vero contenderim, haſce lectiones minime ſufficere, ut omnes & ſinguli in illis apte occupentur. Plerique ea quæ ex iis operibus latina lingua ſcripta ſunt, vix capient, cum poſt ſuum in Clauſtra ingreſſum nulla ad hujus linguæ cultum aut exercitium adminicula in promptu habuerint.

Præterea hujuſmodi lectiones in fructum non cedunt, neque alunt ingenia, niſi accedat meditatio, & apta mentis reflexio, ita ut quod legitur legenti adplicetur; numquid vero hujuſmodi ingenia quæ reflexioni ſtudeant legendo, plura facile inveniuntur?

Digitized by Google

Adde quod cum eædem paſſim materiæ in his libris inculcentur, ac omnis denique tractatus in humilitate, mortificatione, mundi atque ejus vanitatum abdicatione, ſubmiſſione, abalienatione verſetur: plurimi licet boni ceteroquin Monachi harum repetitionum tædio facile afficientur.

Quidquid librorum a Trappenſi Abbate permittitur, biennio ac citius legi poteſt. Quotuſquiſque vero reperietur, qui S. Ephræmi lectionem vicies iterare libenti animo valeat intra annos quadraginta?

Juxta præſentem diſciplinam omnes fere Monachi ad Presbyteratus Ordinem evehuntur: An Epiſcopi Presbyteros paſſim conſtituent eos, qui omni Myſteriorum & Traditionis Eccleſiaſticæ cognitione ſpoliati, nullam aliam ad Ordines diſpoſitionem contulerint præter Monaſticam ſpiritualitatem?

Quod ſi qui e ſæculo ad Philoſophiæ, Theologiæ, aut Mathematicæ ſcientiæ, Hiſtoriæ etiam, & Criticæ Artis ſtudia propenſi & aliquatenus diſpoſiti veniant, quod ſæpe fit: an hujuſmodi ad ſolas materias aſceticas ſe demitti facile patientur?

Ex quo aliquis Monachatum amplexùs eſt, inquies, omnes has propenſiones, quæ recta ad Deum nequaquam diriguntur, abdicare debet, ac deinceps nihil aliud meditari niſi Crucem, Mortem, extremum Animarum judicium, ſupplicia & præmia æterna. Id vero quis neget? Sed ut nihil præter iſta cogitent ac meditentur, neceſſe eſt omnes Monachos recollectionis & orationis ſpiritu præditos eſſe, quo pauci cæteroquin ſuperna diſpoſitione donantur.

Error

Digitized by Google

Error Trappenſis Abbatis inde ortum habuiſſe mihi videtur, quod Monachos inſtituere volens juxta ideam perfecti Solitarii, quam ſibi animo affinxerat, in ſpeculatione ſola defixus, ad praxin deſcendere neutiquàm dignatus ſit. Qua in re (quod mihi fas ſit loqui inviolata tanti viri memoria & reverentia) affirmare auſim, ea virtute, quam aliarum genitricem S. Bernardus & S. Benedictus appellant, quaque ſepoſita quo majori zelo Superiores accenduntur, in pluribus offendunt, ipſum deſtitutum fuiſſe. Ea vero eſt diſcretio, ſive prudens benignitas, quæ nihil jubet extremum, nihil ordinarias humanæ naturæ vires excedens; quæ apte & in tempore nonnulla permittit; quædam viciſſim æquo jure denegat, & nihil agit ex naturali affectu, aut ex quadam imaginationis vi, animique levitate & inconſtantia; quæ rationabiles neceſſitates ultro prævenit, ſubditorum infirmitatibus ſe accommodans, quas ad Dei amorem novit etiam dirigere; quæ ſine faſtu reverentiam, ſine abjecta ac nimia indulgentia amorem ſibi conciliat; quæ denique, ut uno verbo cuncta complectar, ita res omnes moderate regit, ut fortes majora in dies facere contendant, & imbecilles animum numquam deſpondeant.

Haud alius Regulæ S. Benedicti ſcopus eſt: propterea ait S. Gregorius illam omnibus Regulis antecellere virtute diſcretionis. Negari non poteſt, majores noſtros, cum ſtudia Monachis permiſerunt propius ad hunc ſcopum acceſſiſſe, quam Trappenſem Abbatem. Cum perſuaſum illis fuiſſet, omne ſtudium, quod ad Deum referri nihil vetat, atque

eſt

Digitized by Google

eſt Reip. utile, a Monachis quoque tractari poſſe; liberam iis facultatem conceſſere, ut quodcumque arrideret magis excolerent; atque omnia illis ſubſidia ad apicem ſcientiæ neceſſaria ſuppetere voluerunt. Excluſerunt tantummodo Chemiæ Artem, Aſtrologiam Judiciariam, atque alias ſcientias pernicioſas aut inanis curioſitatis plenas.

Faxit Deus, ut ardens hic ſtudiorum amor perpetuo duret in eorum ſucceſſoribus, a quibus ſtudiorum moderamen maxime pendet. Dum Superiores ipſi ſtudia amabunt; dum ipſi reliquis erunt exemplo; dum delicias ſibi eſſe duxerint ſolitudinem; dum libros in precioſiſſimæ ſupellectilis loco, ac tamquam maxime neceſſarium ſuarum domorum ornamentum habebunt; dum ſuorum Monachorum talenta dignoſcere ſtudebunt; atque ea apte exercere magni ſua intereſſe putabunt, ſtudiorum ſcopum alium aliis proponentes juxta ſingulorum propenſiones & capacitatem; dum regiminis moderatione lenibunt quidquid aſperitatis & faſtidii ſolitudo & laborioſa mentis exercitatio in ſe continent; dum perinde agent ac ſi rationem ſe reddituros putent malorum omnium, quæ otioſus Monachus lingua, cogitatione, & manu perpetrare poteſt; dum ipſorum animis jugiter obverſabitur, otium ac mentem inexercitam duo eſſe funeſtiſſima diſſolutionis Monaſteriorum principia: in magna jam ſpe eſſe debemus, fore ut ſtudia in Benedictinis Congregationibus vigere pergant, ac Reſpublica de literariis earum laboribus, & de pietatis muneribus pariter locupletetur. Nulla ferme Sodalitas deſiderabit viros, qui opera a ſe compoſi-

poſita in vulgus edere, aut aliis ſua emittentibus collaborare poſſint. Omnia hic ſita ſunt, nimirum ut ſingulorum propenſiones & captus diſcernantur, & ex hac diſcretione quilibet convenientius exerceatur.

EPI-

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLÆ LATINÆ, ET GALLICÆ circa Studia Monaſtica.

HILARIUS ROUILLE' DOMNO J. MABILLON S. P. D.

LIBRUM tuum de Studiis Monaſticis perlegi, Vir religioſiſſime, atque uno quaſi hauſtu ebibi; omiſſis interea nonnullis earum quæ mihi incumbunt curis. Unde fit ut ſit unum quod te moneam; ſcilicet non conſtas tibi ipſe dum negotiis lectionem poſthabendam cenſes, tuumque illud præceptum ea ſermonis ſerie tradis, quam nemo qui ſapit intercidere lubens patiatur. De opere ipſo quid dicam? Certe quam nactus es ſpartam ornaſti hactenus, jam & tueris, ignorantiæ Monaſticæ patronum non modo non perſtringis, ne quidem ſugillas oblique, ſed præpoſteram ejus abſtinentiam oppoſita teſtium omni exceptione majorum nube paſcere quam exprobrare ſatius duxiſti. Perge, Vir eruditiſſime, nec ſatis tibi ſit tot oblitterata monumenta eruderare. Reddito priſtinæ virtuti ſodales tuos, quos ſi erudire lucubrationibus tuis, fovere alloquiis volueris, intermortuam Societatis veſtræ gloriam ſummo Eccleſiæ decori reique litterariæ augmento plane reſtitueris. Vale & me tui obſervantiſſimum ama.

29. *Julii* 1691.

Digitized by Google

MONS.r HUET A D. MABILLON.

M. R. Pere.

JE vous remercie très-humblement par avance du préſent que vous m'annoncez. Le tems de mon retour à Paris étant incertain, je vous ſupplie d'envoier l'exemplaire de vôtre Ouvrage que vous me deſtinez, à Mr du Four Profeſſeur de Rhétorique à Harcourt rue de la Harpe, en lui faiſant ſavoir que c'eſt pour moi. Je ſuis ravi que vous aïez entrepris de deſabuſer ceux à qui on a voulu perſuader depuis quelques années, que l'ignorance eſt une qualité néceſſaire à un bon Religieux. Je ſuis dans un lieu où j'ai vû ſoutenir cette maxime, ſi favorable à la fainéantiſe des Cloîtres, qui eſt la mere du relâchement. J'ai beau alléguer vôtre exemple & celui de tant d'illuſtres Confreres que vous avez, ſi dignes de l'habit & du titre qu'ils portent. Vôtre ouvrage les pourra deſabuſer, ſi je puis obtenir qu'ils le veuillent lire: mais quand on aime ſon mal on en fuit les remedes. On vous préſentera bientôt de ma part un petit Traité que j'eſpere que vous lirez avec indulgence, puiſqu'il vient d'une perſonne qui honore vôtre mérite, & qui fait profeſſion d'etre &c.

A l'Abbaye d'Aunay le 13. *Août* 1691.

R. P.

R. P. HENR. NORIS AUGUSTINIANUS AD D. J. MABILLONIUM.

R. P.

SINGULARI ac eximiæ veſtræ Paternitatis Reverendiſſimæ erga me benevolentiæ debeo, quod delatum mihi à Summo Pontifice munus gratulatus es, & quamvis tam amica ac ſplendida gratulatio nullum apud me locum invenit, quippe qui privatæ cellulæ quiete unice delectatus, animum inducere non potui, ut ſacræ meo capiti infulæ imponerentur, eam tamen dignitatem mihi deſignatam eo ſaltem lætatus ſum, quod ejuſdem occaſione tuis me litteris poſt diuturnius ſilentium beaſti; quas quidem, non dicam, pluris facio quam Pontificium munus, ſed quæ plane tantum mihi lætitiæ ingeſſerunt, quantum mœroris ſubiiſſem, ſi iterato præcepto coactus fuiſſem oblatum honorem admittere. Porro tuas litteras tuum pariter munus ſubinde conſecutum eſt, videlicet doctiſſimus liber, quem nuper de Studiis Monaſticis evulgaſti. Hoc munus expanſo ſinu atque oſculis excepi, qui paulo ante Pontificium munus recipere recuſaveram; quo quidem illuſtriſſimus evaſiſſem, cum tuo hocce litterario munere eruditior fiam. Hoc in opere erudititiſſimo temet litteratiſſimum oſtendis adverſus hominem, qui te cæteroſque Monachos malebat illiteratos, quorum illum ſane numerum auxiſſe tot rationum pondere ac tot veterum Patrum teſtimoniis demonſtras. Imo non uno tuo tantum volumine, ſed numeroſiori Bibliotheca adverſarium oppreſſiſti, dum ejuſdem inſtruendæ exactum indicem publicaſti, in quo tamen concinnando id tantum erroris admiſiſti, qui editos à me libellos eidem inſerueris, cum viliſſimæ paginæ in nobiliſſimorum voluminum cenſum venire non poſſint, ſed nec eodem cum iſtis die nominari, quæ, ut cum poeta loquar, nigram in culinam raptæ, cordyllas tegent, vel thuris, piperiſque fient cuculli. Itaque ea meorum librorum nomenclatura tuæ quidem erga me benevolentiæ, ſed tuo tamen minus nomini conſuluiſti. Utinam peccati hujus veniam facile quemadmodum à me, à ceteris quoque impetres. Imo ipſe ego nullam

Ll 2 *tibi*

tibi veniam, ſed maximas tantum gratias debeo, qui me in litterario theatro in arena cum plebeis ſtantem, benefica abs te manu prebenſum, in quatuordecim ſeſſum deduxeris. Verumtamen tibi perſuadeas velim, malle me abs te amari, quam honore quolibet decorari, qui unice tibi maximus & debetur, & ab eruditis quibuſque tribuitur. Vale Vir doctiſſime, mihique mitiſſimum ac candidiſſimum genium tuum propitium ſerva.

Florentiæ 5. *Idus Novemb.* 1691.

MONS.

MONS.^r LE CARD. LE CAMUS
A D. J. MABILLON.

C'*AUROIT été pour moi, mon Reverend Pere, une trés-grande conſolation de vous pouvoir entretenir & de pouvoir admirer de prés le fond de ſcience & d'érudition qui éclate dans tous vos ouvrages, & qui vous font autant eſtimer à Rome qu'en France. Je vous rends mille graces du beau Livre que vous voulez bien m'envoier, & bien que vous ne ſoiez pas du ſentiment de M. l'Abbé de la Trape pour qui j'ai tant d'eſtime & de venération; je ne laiſſerai pas de le lire ſans prévention & ſans partialité, le combat des perſonnes de vôtre ſçavoir & de vôtre piété n'eſt pas dangereux, & il n'y a pas à craindre qu'on y bleſſe la charité: ainſi on ſe peut trouver à la mêlée & même être parrain comme on étoit autrefois ſans courir aucun riſque.* Ite pares animis ambo & virtutibus ambo, & certare pares & reſpondere parati.

On ne peut avoir plus d'eſtime & plus de venération que j'en ai pour vôtre perſonne & pour vôtre grande érudition, trop heureux ſi j'avois un peu de part en vôtre amitié & en vos prieres. Je ſuis mon R. P. abſolument à vous avec toute l'eſtime & la diſtinction poſſible.

De Grenoble le 10. *Novemb.* 1691.

D. MATHIEU PETITDIDIER A DOM MABILLON.

M. R. Pere.

SI j'ai tardé juſques à préſent à faire réponſe à la Lettre obligeante que vôtre Reverence a eu la bonté de m'écrire en datte du 20. Août, ce n'a pas été que je n'aie reſſenti d'abord comme je devois, les bonnêtetez qu'elle m'y fait, & que je n'aie eu toute reconnoiſſance poſſible pour la bonté qu'elle a eu de me faire préſent de ſon traité des Etudes. Mais c'eſt que j'avois de la bonte de vous écrire, mon trés-Reverend Pere, ſans pouvoir vous marquer que j'avois reçu ce Traité, & que j'ai cru pour cela devoir attendre que j'euſſe eu le plaiſir d'en faire la lecture. Un voiage que j'ai fait au mois de Septembre dernier aux eaux de Plombieres, joint à un autre que nôtre P. Procureur Genéral a fait à Fontainebleau, pendant le mois d'Octobre, ont été cauſe que je n'ai reçû vôtre Livre que depuis environ quinze jours. Je l'ai lû avec toute l'avidité poſſible & j'en ai eu toute la ſatisfaction que j'en eſpérois. Et comme nos confréres, n'avoient pas moins d'empreſſement pour le lire, j'ai été obligé pour contenter tout le monde de le faire lire dans nôtre Réfectoire, afin que chacun pût jouir en même tems du plaiſir de cette lecture. Vous ne ſauriez croire, mon trés-Revérend Pere, combien ce Livre reveille dans nôtre Congrégation l'ardeur des jeunes gens pour l'étude, & le zéle des Supérieurs pour leur en procurer les moiens. La Méthode que vous propoſez dans vôtre Traité eſt ſi belle & ſi complette, qu'en la ſuivant on ne ſauroit qu'on ne devienne ſavant, & la fin que vous inſpirez à tous les etudians eſt ſi Chrétienne & ſi ſainte, que l'Etude ne ſera jamais que trés-utile à ceux qui auront ſoin de profiter de ces avis & de joindre la troiſiéme partie de vôtre Traité avec la ſeconde. On m'écrit de Paris que Mr de la Trappe a fait une Réponſe à la premiére Partie. En vérité c'eſt une choſe un peu ſurprenante, qu'un homme qui fait profeſſion d'être auſſi éloigné de

toute

toute contention & de toute diſpute , ne puiſſe ſouffrir ſans peine que l'on ne ſoit pas de ſon ſentiment . Il devoit ce me ſemble ſe tenir bien content de la maniére obligeante dont vous parlez de ſon mérite & de ſa vertu, & cela même devoit le porter à demeurer dans le ſilence ſur le fond de la queſtion , d'autant plus qu'il ne ſauroit jamais donner atteinte à ce que vous avez établi dans cette premiere partie . On nous fait eſpérer que vous ne laiſſerez pas ſa Réponſe ſans replique . Je ne doute pas que vous ne triomphiez aiſément de cet adverſaire , quelque illuſtre qu'il ſoit . La cauſe que vous défendez eſt trop bonne pour craindre que vous puiſſiez la perdre ; & le public eſt trop perſuadé de vôtre habileté pour ſouhaiter un meilleur Avocat . Un homme qui a paſſé ici depuis peu , qui s'appelle Mr Peletré & qui dit avoir l'honneur d'être connu de vous, m'a dit qu'il a vû Mr de la Trappe depuis que vôtre traité paroît, & que pendant le ſéjour qu'il fit dans ſon Abbaye, ce fameux Abbé le fit ſonder pour l'engager à reſter deux ou trois mois chez lui pour répondre à vôtre Traité , quoique Mr l'Abbé lui eût dit auparavant qu'il ne vouloit faire aucune Réponſe à vôtre Livre. Il m'a même dit qu'il avoit remarqué étant à la Bibliotheque de cette Abbaye que la Bible de Caſtalion que vous avez miſe dans vôtre Catalogue , étoit auſſi dans cette Bibliotheque . Au reſte outre le préſent que vous m'avez fait de vôtre Livre, je me ſens obligé de vous remercier particuliérement d'avoir bien voulu y faire mention de nôtre étude & de nos remarques . C'eſt un effet de vôtre bonté à mon égard & de l'affection que vous avez pour nôtre Congrégation. J'ai reçû avec vôtre Livre & quelques autres que je faiſois venir, le dernier Tome de Mr Dupin à la fin duquel j'ai truové la reponſe qu'il fait à nos remarques . On m'écrit de Paris qu'elle ne nuit pas beaucoup à mon Libraire, cela me fait croire que le public ne la trouve pas ſi convaincante ni ſi avantageuſe à Mr Dupin , que ce Docteur paroît en être perſuadé . J'attendrai l'impreſſion du ſecond volume pour y faire une petite réplique dans la Préface . Ce ſera Dieu aidant pour l'Eté prochain . Je me fais déja par avance une joje de vous aller rendre mes devoirs & vous aller témoigner plus particuliérement la reconnoiſſance que j'ai pour vos bontez & le profond reſpect avec lequel je ſuis.

De Saint Miel le 26. Novembre 1691.

MONS.

Digitized by Google

M.r l'Archeveque d'Alby.

A D. J. MABILLON.

M. R. Pere.

A *Mon retour de nos Etats de Montpellier, j'ai trouvé il y a ſix jours la Lettre que vous avez pris la peine de m'écrire. Je la conſerverai chérement comme un heureux commencement du commerce que j'eſpére d'entretenir avec vous à l'avenir; où, ſans abuſer de vôtre loiſir & de vôtre complaiſance, je profiterai de tems à autre, dans les occaſions, des lumiéres dont vous voudrez bien me faire part. Cependant je m'enrichis de la communication des tréſors que vous avez donnez au public dans vôtre livre des Etudes Monaſtiques. C'eſt le premier auquel je me ſuis attaché depuis que j'ai eu quelque tems pour m'entretenir avec mes livres, & je ſuis perſuadé qu'en ſuivant un ſi bon guide, il n'y a perſonne de ceux qui mettront ces avis en pratique, qui ne s'aperçoive de la facilité du chemin & du progrés que vous avez facilité à tout le monde dans toute ſorte de ſciences. Je ſuis ſi plein & ſi content de cet ouvrage, que je n'ai pû m'empêcher de vous en parler, avant ce qui fait le premier ſujet de ma Lettre &c.*

D'Alby le 29. *Decembre* 1691.

M.r

D. CARD. DE AGUIRRE
AD D. J. MABILLON.

N*IHIL mihi gratius accidit , quam ubi litteras tuas accipio aut libros lego , præſertim hunc noviſſimum de ratione Studiorum Monachalium , adverſus piiſſimum illum Abbatem de Trappa . Nondum fuit mihi tempus percurrendi totum illum , ſed adhuc reſtat major ipſius pars evolvenda . Cum vero ſcriptus ſit lingua Gallica , mihi peregrina , & in qua hactenus exiguos progreſſus feci , ſolum dicere poſſum cum veteri illo Philoſopho :* Quæ intellexi , bona ſunt : credo & quæ non intellexi . *Idem mihi paſſim accidit in libris aliis Gallicis , etiam prædicti Abbatis , quos ingenti numero apud me habeo , & interdum lego , aut coram me legere facio . Certe in hac parte ſive defenſione ſtudiorum Ordinis Monaſtici , rationes tuæ , probationes & documenta ex tota fere Antiquitate Chriſtiana deſumpta , videntur plane rem extra controverſiam ponere . Si nulla utilitas , nullum meritum , nihil denique laudabile eſt in ſtudiis & exercitiis litterariis Monachorum , væ majoribus noſtris , qui tot ſæculis à tempore Benedicti Patriarchæ in iis laborarunt . Væ tibi , ac tui ſimilibus in Congregatione Sancti Mauri . Væ & mihi aliiſque meorum Fratrum in Hiſpania , & alibi fere . Profecto miſerabiliores erimus aliis hominibus , ſi tota nocte laborantes nihil cepimus . Atqui loquendo de iis , qui pietatem imprimis colunt , ac ſubinde ſtudia literaria debito modo , methodo , ac tempore in eum ſcopum dirigunt , immane paradoxon & minime tolerandum erit , ſi ab illo ſcriptore aut quopiam alio damnentur . Melius certe ac rationabilius invehi potuiſſet adverſus quoſlibet , præſertim Monachos , præpoſtero fine , modo , ac via ſtudentes , aut plus ſapere appetentes , quam oportet ſapere . Nimirum ex his capitibus peccatur frequentiſſime , ab iis etiam , qui Monaſticam vitam profeſſi , plus juſto atque incongruo modo exercitationibus litterariis ſe dedunt ; non tam in Dei obſequium , utilitatem publicam & privatam ſalutis propriæ laborantes , quam ob*

Digitized by Google

curioſitatem , ambitionem , aut illiberalem quæſtum . Quin & ſæpe , non ſolum in ſcholis publicis , ſed etiam peculiaribus Monaſteriorum , magna temporis pars inſumitur , jactura irreparabili , in quæſtionibus prorſus inutilibus , & ſimilibus aranearum telis , in quibus nihil præter ſubtilitatem eſt . Id mihi etiam contigiſſe pro more ſæculi , qui etiam in Religioſos viros , & clauſtra Monaſtica irrepſit , fateor non abſque dolore cordis mei . Multa dictavi , ſcripſi , & typis expreſſi , parum utilia , quamvis reſecaverim plurima alia ejuſdem generis . Quæcumque de cætero edere contigerit , abſque ea labe prodibunt . Quin & jam ante edita , ſi recudenda ſint , ab ejuſmodi quiſquiliis libera erunt , quantum mihi licuerit . Neque enim omnia illa , quæ primo aſpectu talia videntur , reſecari penitus debent , cum deſerviant ad exercitationem congruam ingeniorum , & viam aperiant , mentemque exacuant ad graviores alias quæſtiones , penitius intelligendas & explanandas . Laudandus itaque eſſet ſcriptor ille , ſi dumtaxat adverſus hoc ſtudendi ac ſcribendi cacoëthes , præſertim in Monachis , calamum ſtrinxiſſet : atque ea in re me conſentientem ac laudatorem inveniret . Deſervient tamen illius ſcripta & obſervationes circa eam rem , ut Monachi omnes Sancti Benedicti , memores Inſtituti noſtri , potiores curas , ac majorem temporis partem impendamus in exercitiis ſpiritualibus & ſacris , in Regula præſcriptis : ſtudiis vero litterarum dumtaxat , quantum & quatenus conferunt aut conferre poſſunt ad pietatem , perfectionem Chriſtianam , Religioſam , Monachalem , & tandem ad perfectam charitatem erga Deum ac proximos . Sed quid ego immorer iis explicandis , quæ uberius à te inſigni eruditione in hoc libro explanata ſunt ? quin & à Congregatione tua , obſervantiſſima pariter & doctiſſima , uſu ipſo ac vivido exemplo demonſtrantur ? Perge igitur Vir eximie , & proſequere , uti hactenus , ſimul cum aliis ſociis , quotquot incumbunt ſimilibus ſtudiis , & præſertim correctiſſimis editionibus Operum Sanctorum Patrum , quales profecto ſunt imprimis noviſſimæ Sancti Ambroſii & Auguſtini , quorum poſtremos tomos accepi cum ingenti animi voluptate , & non minori erga vos gratitudine . Ne prætermittas , quæſo , grates meo nomine reddere quamprimum Reverendiſſ. Patri Generali , & ſalutem multam impertiri eruditiſſi-

mis

Digitized by Google

mis Michaeli Germain , Theoderico Ruinart , aliiſque ſimilibus . Vale , & tuis ac tuorum ſacrificiis & precibus , me nimium egentem Deo commenda .

Romæ 22. *Januarii* 1692.

Digitized by Google

M.^r L'ABBE' DE LA TRAPPE A M.^r le Curé de S. Jacques du Haut-pas.

JE vous aſſûre, mon très-cher Monſieur, que quoique le monde puiſſe dire, j'ai toûjours conſidéré & eſtimé le P. Mabillon, comme je le fais encore, pour ſa vertu, pour ſa piété, comme pour ſon érudition. Deux choſes m'ont fait écrire, l'une eſt que j'ai été perſuadé que ſon Livre combat & renverſe le principal principe ſur lequel tout l'Ordre Monaſtique a été fondé, je veux dire la ſainteté & la ſimplicité, & qu'étant pénétré comme je l'étois de ce ſentiment, ma conſcience m'empêchoit de l'étouffer & de le ſupprimer, & que la volonté de Dieu n'étoit pas que je gardaſſe le ſilence ſur une matiére de cette nature & de cette importance, d'autant plus qu'il n'y avoit point d'apparence que perſonne ſe mît en peine de défendre une vérité attaquée ou plûtôt détruite, parce qu'on publioit par tout & qu'il paſſoit pour conſtant que ſon Livre étoit ſans replique. L'autre raiſon eſt que j'ai crû que ma conſcience & l'édification publique vouloient que je fiſſe connoître que je n'avois rien écrit qui ne fût conforme à la conduite de toute l'antiquité & ſelon les inſtructions. que les SS. Péres nous ont laiſſées ou par leurs exemples ou par leurs écrits, & d'empêcher par là que ma perſonne & ma mémoire ne fuſſent flétries par un des Docteurs qui ont approuvé le Livre du P. Mabillon, en me qualifiant de novateur, d'extravagant, d'ignorant & d'homme qui enſeigne des opinions erronées, que quatre des plus fameux Prélats de ce ſiécle ont approuvées. Les Saints qui en matiére de foi & de créance ont été jaloux de leur réputation, n'ont pû ſe taire lorſqu'on les a ſoupçonnez, & qu'on a donné la moindre atteinte à l'une ou à l'autre, & je ne pouvois pas mieux faire connoître avec qu'elle

elle injuſtice on m'imputoit un déreglement , dont je ne ſuis point capable , qu'en faiſant voir que l'opinion contraire aux ſentimens que j'avois avancez n'a rien de véritable ni de ſolide. Il eſt vrai que d'abord je ne m'étois propoſé que de parler à nos Religieux ; mais enfin je crûs que cela ne ſuffiſoit pas & qu'il falloit rendre ma juſtification publique : je fus ſollicité à cela & pouſſé par des perſonnes de piété qui entrérent dans toutes mes vûes & m'en ſirent voir les conſéquences . J'honore le P. Mabillon , je vous le répéte encore , & je ſuis aſſuré qu'il ne ſe ſeroit pas aviſé par lui-même d'écrire comme il a fait ſur la néceſſité des Etudes par rapport aux Moines & aux Solitaires de profeſſion . On m'a mandé que nôtre Réponſe l'avoit affligé , cela me donne beaucoup de déplaiſir ſi cela eſt , & je reſſens ſa peine plus que je ne puis dire . Au reſte je ſuis tout à fait fâché de ce que vous n'avez pas eû un livre que vous deviez avoir des premiers , & qu'on ne vous en ait point porté deux Exemplaires pour les perſonnes que vous me nommez . Enfin , mon très-cher Monſieur , j'apprends à l'heure qu'il eſt que vous avez reçû nôtre livre , & en même tems que l'on a envoie d'y répondre . J'en ſerai très-fâché dans la crainte d'être obligé à une replique . Cependant à moins que ma conſcience ne m'oblige de parler , je demeurerai dans le ſilence , & je me contenterai de ce que j'ai dit . Pour ce qui eſt de l'Approbation du Docteur , celui qui l'a faite mérite une répréhenſion publique . Les ſentimens contre leſquels il s'éléve avec tant de témérité , ſont préciſément ceux qui ont été approuvez comme je viens de vous le dire , par gens qui valent mieux que lui , & à qui il doit reſpect . Je vous avoûe que ſi quelqu'un m'avoit dit que le Pere Mabillon enſeigne des erreurs , je n'aurois pas voulu l'écouter , & pour rien du monde je n'aurois pas voulu recevoir une approbation qui l'auroit traité comme je l'ai été . S'il ne pouvoit obliger ce Docteur à rabbatre de ſon chagrin & de ſon aigreur , pour ne pas dire quelque choſe de pis , il devoit laiſſer ſon approbation , il en avoit aſſez d'autres . Tout ce qu'il y a de gens d'honneur & de piété en ſont ſcandaliſez . Dans le fond j'ai fait mon devoir de ſoutenir la gloire de l'état où il a plû à Dieu de m'engager , ou plûtôt la gloire de Dieu même qui eſt attaquée par la flétriſſure qu'on a voulu faire à la

Pro-

Digitized by Google

Profeſſion Monaſtique , en faiſant paſſer les Moines pour des gens qui travailloient à devenir doctes , au lieu que toute leur ambition a été de devenir ſaints . Adieu mon très-cher Monſieur , vous aurez bien-tôt Mr du Charmel qui vous dira de nos nouvelles.

Le 7. *Avril* 1692.

MONS.

Digitized by Google

Mr DE LA TRAPPE A MADAME LA PRINC. DE GUISE.

J'Admire, MADAME, la bonté de V. A. R. de vouloir bien donner quelques momens de ſon attention à l'affaire dont elle me fait l'honneur de m'écrire. Je n'ai jamais eû la penſée ni de bleſſer, ni de faire la moindre peine aux Religieux de la Congrégation de Saint Maur & de S. Vannes; j'ai ſeulement dit les choſes que j'ai crû propres pour appuier une vérité qui eſt plus importante qu'on ne ſe l'imagine; & comme il paſſoit pour conſtant que le Livre du P. Mabillon, étoit ſans replique, j'ai été perſuadé que je ne pouvois me ſervir de trop de raiſons pour faire voir que ſon ſentiment n'étoit pas ſi inconteſtable qu'on le penſoit; cela n'empeche pas, Madame, que je n'aie pour lui toute l'eſtime qu'il mérite, & que je ne conſidére toute ſa Congrégation au point que je le dois. Ce qui eſt de fâcheux, c'eſt que dans ces ſortes de diſcuſſions, on ne ſauroit convaincre qu'en ſe ſervant d'expreſſions fortes, qu'on attribue ſouvent à l'humeur qui n'y a point de part. Si je voiois, Madame, le Pere Mabillon, je ſuis aſſuré qu'il ſeroit content des diſpoſitions où il me trouveroit à ſon égard, qui aſſurément ſont telles qu'on les peut ſouhaiter, & ſelon Dieu, & ſelon les hommes.

Il eſt vrai, Madame, que les conteſtations ſont à éviter entre les perſonnes qui ſont une profeſſion particuliére d'être à Dieu, cependant il y a quelques fois des queſtions qu'il faut éclaircir, d'où il peut revenir des biens conſidérables, celle-ci en eſt une, & peutêtre des principales; à cauſe de ſes ſuites & de ſes conſequences; les hommes en jugeront ce qui leur plaira: mais je puis dire qu'il ne m'eſt pas échapé une parole qui ſe reſſente de l'aigreur qui ſe rencontre dans ceux qui parlent ſeulement pour diſputer & contredire. Il eſt certain, Madame, que ce ſeroit un bien ſi tout cela demeuroit aſſoupi & qu'on n'en parlât pas davantage, car ma crainte eſt que ſi on répond à ce que j'ai dit, il n'y ait des gens qui écrivent pour le ſoutenir, qui n'obſer-

veront

Digitized by Google

veront pas les meſures que j'ai gardées, & cela arrivera d'autant plus; qu'à la réſerve de quelques perſonnes prévenues, le grand nombre eſt perſuadé que j'ai raiſon & que la vérité eſt de mon côté.

Pour le Livre du P. Mabillon, je l'ai entendu comme tout le monde l'entend, & il n'y a preſque qui que ce ſoit qui n'y ait vû qu'il engageoit les Religieux à des études trop vaſtes & trop étendues; enfin, Madame, il n'y a rien que je ne ſois prêt de faire, ſans bleſſer la vérité, pour contenter ceux qui croient avoir ſujet de ſe plaindre de moi, & je puis dire à V. A. Royale, que j'ai en cela comme en toute autre choſe une entiére déference pour tout ce qu'elle voudroit m'ordonner & me préſcrire. Je la ſupplie très-humblement de croire que nous ne ceſſons point de prier Dieu pour ſa conſervation.

Ce 21. *Avril* 1692.

D.

Digitized by Google

D. JEAN MABILLON A MADAME LA PRINC. DE GUISE.

MADAME.

IL faut être autant perſuadé que je le ſuis de vôtre bonté, pour oſer préſenter à Vôtre Alteſſe Roiale un Livre qui eſt écrit contre le ſentiment de Mr l'Abbé de la Trappe. La conſidération qu'Elle a pour ſon mérite, ſans parler de la vénération particuliére que j'ai pour lui, m'auroit ſans doute empêché de rien dire contre ſon dernier Livre, ſi une juſte néceſſité de m'expliquer, & de juſtifier nôtre Ordre ne m'y avoit engagé. Si V. A. R. prend la peine de jetter les yeux ſur ces Réflexions, j'eſpére qu'Elle verra bien que ce n'a été que comme malgré moi que j'ai été obligé d'écrire, & que j'ai tâché de garder toute la modération qui m'a été poſſible. Je m'eſtimerai bien-heureux, Madame, ſi V. A. R. étant perſuadée de la diſpoſition où je ſuis pour cet illuſtre Abbé, Elle ne diminue en rien de ſes bontez ordinaires pour nôtre Congrégation, qui a reſſenti en tant de rencontres les effets de ſa protection. C'eſt la grace que je lui demande avec toute la ſoumiſſion dont je ſuis capable, en la priant de trouver bon que je me diſe avec toute ſorte de reſpect.

A Paris le 1. Septembre 1692.

M. L'ABBE' DE LA TRAPPE A M.r le Curé de S. Jacques du Haut-pas.

J'*AI reçû pluſieurs lettres ſur le ſujet du Livre de la Réplique du P. Mabillon. Un homme d'un grand diſcernement & parfaitement inſtruit des choſes Monaſtiques trouve qu'il bat la campagne ; mais qu'il ne détruit point les véritez que j'ai établies, & qu'elles ſubſiſtent malgré tout ce que lui & ceux qui l'ont aidé ont pû écrire, (car ce n'eſt pas l'ouvrage d'un ſeul homme, ſoit pour le ſtile, ſoit pour les raiſons.) Je ne l'ai point encore lû, & je n'ai point envie de le lire, parce que je tiens la cauſe que j'ai défendue indubitable: mais ſi ſa Réplique n'eſt rien que ce que l'on m'a dit en détail, qu'elle étoit, je la ſuivrois pié à pié, ſi Dieu me mettoit au cœur d'y répondre: & je le ferois avec autant de facilité & de ſuccès que dans la Réponſe. On diſoit la même choſe de ſon Traité des Etudes. Vous m'avez mandé vous-même que Mr du Bois l'avoit diſſuadé d'écrire, & qu'il n'étoit pas content de ſon ouvrage. Comme Mr Nicole l'a vû & corrigé avec beaucoup de ſoin & d'application, il ne ſe peut qu'il ne le trouve à ſon goût. Ce qui eſt de vrai, c'eſt que ſous ce prétexte que j'ai fait dire au P. Mabillon plus qu'il ne diſoit, & que j'ai porté ſes penſées plus loin, il ſe ſera prudemment retracté en ſe réduiſant à des opinions plus ſuportables. Je ne ſuis convenu de rien avec le Pere Lami, mais je n'ai point voulu diſputer avec lui ſur rien, car je ne veux diſputer contre perſonne. Je lui ai ſeulement témoigné que j'honorois ſa Congrégation & que j'avois pour elle toute la conſidération qu'elle méritoit, & c'eſt la vérité. Des gens ont dit & diſent encore qu'il y a des choſes trop vives dans ma Réponſe: d'autres diſent qu'elle eſt pleine de modération. Vous ſavez ce que vous en a mandé Mr le Cardinal le Camus, la vérité eſt que quantité de perſonnes m'ont écrit & m'ont loué de ce que j'avois pû m'ex-*

m'exprimer avec tant de force & de ménagement tout enſemble. Pour le Manuſcrit du P. Mabillon, je ne l'ai point vû. C'eſt un mauvais avis qu'on lui a donné. Les Approbateurs lui ont gardé plus de fidélité qu'il ne penſe.

Ce 8. *Septembre* 1692.

Madame de Guiſe
A D. J. MABILLON.

J'ACHEVAI hier vôtre Livre, mon Pere. Je voudrois pour beaucoup que vous euſſiez fait le voiage de la Trappe devant. Je ſuis ſûre que vous ſeriez convenu & que vous n'euſſiez point mis l'Avant-propos qui eſt trés-aigre, & qui paroît l'être pour picquer ſimplement. Il y a auſſi un trait dans le Livre de même que je croirois bien qu'il n'eſt pas de vous, mais que vous avez été pouſſé de mettre par ceux qui vous ont fait faire la Réponſe, qui ſe ſont trouvez choquez ſans ſujet par les raiſons fortes du P. Abbé de la Trappe. Il n'attaquoit que les Etudes profanes, & étoit plein d'un eſprit de charité comme S. Paul pour ſes freres, & point autre choſe. Ce n'eſt pas par prévention que j'en parle, mais c'eſt que c'eſt la vérité. Mais vôtre Avant-propos eſt d'un eſprit qui ſe veut vanger, qui eſt contre vôtre caractére: c'eſt pourquoi je ne le crois pas de vous. Je crois tout ce qui eſt d'antiquité que vous citez de vous. J'entrevois même que vous voudriez convenir, & vôtre fin eſt d'une humilité telle que je vous la connois. Si je ne vous eſtimois autant que je fais, je ne vous aurois rien écrit de ce que j'ai trouvé & d'autres que moi qui ne connoiſſent point le P. Abbé de la Trappe & qui auroient même plus panché pour vous: mais je vous eſtime trop pour vous celer ce qu'on y trouve à redire, & pourra même ſcandaliſer & faire plus de tort à vôtre Congrégation que ce que vous avez crû que le P. Abbé de la Trappe avoit dit, qui dans les eſprits pleins de raiſon ne font tort qu'a ceux qui ne vivent pas comme vous autres. Une viſite vous auroit unis de ſentiment, & auroit empêché l'aigreur du Livre. Souvenez-vous de moi en vos ſaintes priéres.

D'Alençon le 18. Sept. 1692.

MONS.^r

MONS.r LE CARD. LE CAMUS
A D. J. MABILLON.

IL ſeroit à ſoubaiter, mon R. Pere, que la guerre que nous avons en Dauphiné ne fût pas plus fâcheuſe que celle qui eſt entre vous & Mr l'Abbé de la Trappe, où la charité ſera toûjours conſervée & où il n'y aura ni fiel, ni aigreur, ni amertume. Cependant bien qu'il y ait un très-grand plaiſir à voir vos ouvrages de part & d'autre, & qu'on puiſſe beaucoup profiter de vos conteſtations, il eſt tems qu'elles finiſſent pour l'édification du public, & peut-être auroit-il été à ſoubaiter qu'elles n'euſſent jamais commencé. J'en ai écrit dans ce ſens à Mr l'Abbé de la Trappe. Il m'a promis qu'il n'écriroit plus, à moins qu'il n'y eût des raiſons de conſcience qui l'y engageaſſent, ce que je ne puis croire. J'attends avec impatience le Livre que vous m'avez envoié, je le lirai avec plaiſir, & je vous conjure de croire que rien ne peut diminuer l'eſtime & la conſidération que j'ai pour vôtre perſonne & pour vôtre rare mérite, & qu'on ne peut être à vous, mon R. P. avec plus de ſincerité & de diſtinction que je le ſuis.

De Grenoble le 14. Sept. 1692.

D.

Digitized by Google

D. PAUL PEZERON AD D. J. MABILLON.

Mon Rev. Pere.

L'ON *ne m'a rendu que depuis trois ou quatre jours, la Réponſe que vous avez faite au Livre de Mr de la Trappe, & que vous avez bien voulu m'envoier. Je vous en rends des actions de graces très-humbles, & je le fais avec d'autant plus de plaiſir, que j'en ai eû un très-ſenſible dans la lecture de cet excellent ouvrage. C'eſt une Apologie parfaite & accomplie de l'étude des Moines, à laquelle bien loin de pouvoir répondre, on ne donnera jamais la moindre atteinte, qu'on faſſe & qu'on écrive tout ce que l'on voudra. La vérité eſt maintenant connue; les preuves, les faits & les raiſons que vous rapportez pour la ſoutenir, ſont comme autant de rayons qui la mettent au jour. Aprés cela comment pourra-t'on la cacher; comment pourra-t'on l'affoiblir? L'on ſait maintenant ce que l'on doit croire de l'étude de ceux qui ſont engagez dans cette profeſſion ſainte, l'on ſait même ce que l'on peut faire en ſe conformant à cette foule de Saints & de grands hommes qui ont allié la ſcience avec la pieté dans les Monaſtéres, & qui par l'une & par l'autre ont été ſi utiles à l'Egliſe. L'Ordre Monaſtique vous aura donc des obligations immortelles, auſſi-bien qu'au grand S. Thomas, pour voir après lui ſoutenu avec tant de force une pratique, qui lui a toûjours été ſi avantageuſe. Pour moi, mon R. P. j'en ai été perſuadé par bien des raiſons, mais j'en ſuis maintenant convaincu. Cela ſera cauſe que j'étudierai déſormais avec plus de tranquillité & plus d'aſſurance que je n'aurois fait, bien que j'aie été deſtiné à cela par mes Supérieurs. Ils m'ont même élevé au Doctorat, aprés l'avoir refuſé avec une eſpéce d'opiniatreté, durant l'eſpace de ſix ou ſept ans. Je dis cela pour vous montrer que ſi je fais des études extraordinaires, je ne le fais qu'en ſuivant les regles que vous preſcrivez. J'eſpére qu'elles ne ſeront point*

un

un obſtacle à ma ſanctification, & qu'elles ne ſeront point tout à fait inutiles; ce qui me conſole & même qui m'encourage eſt que je ſens qu'elles me font plus de bien que de mal, elles me donnent une grande idée de la Religion des Chrétiens & un reſpect ſouverain pour les choſes ſaintes. Ainſi j'éprouve par ma propre expérience une partie des véritez que vous avez établies. Je crois, mon R. Pere, que vous ſerez bien aiſe de ſavoir que je vas donner bien-tôt un Commentaire littéral & hiſtorique ſur les premiérs Prophétes. L'on verra ſenſiblement par cet eſſai, que ſans le ſecours de l'ancienne Hiſtoire, il n'eſt pas poſſible d'entendre les plus belles & les plus importantes prédictions de ces hommes divins, qui regardent la réprobation de la Synagogue, & le renverſement de l'Etat des Juifs. Je ferai voir dans cet Ouvrage les coups que Dieu a donné au Royaume d'Iſrael ou des dix Tribus pour le détruire abſolument après qu'il a répudié ce peuple, & vous connoîtrez que ces coups funeſtes pour Iſrael ont été donnez par des peuples barbares, & par des Rois de Ninive & de Babylone, qu'on ne peut ſavoir que par l'ancienne Hiſtoire. Je ſuis donc perſuadé que la connoiſſance en eſt très-utile, & il ne faut qu'enviſager ce que dit là-deſſus le grand S. Jérome dans ſon Commentaire ſur le Prophéte Daniel. Vous voiez par tout cecy que je ſuis un peu de vôtre ſentiment, car vous me forcez de l'être par tant de belles choſes que vous avez dites. Mais vôtre pieté & vôtre mérite ſingulier ſont que je ſerai toute ma vie avec bien du reſpect & de l'attachement &c.

De Maubuiſſon ce 2. Octobre 1692.

Mr.

Digitized by Google

M.r L'ABBE' DE LA TRAPPE A D. J. MABILLON.

M. R. Pere.

ON *ne peut pas être plus touché que je l'ai été, de toutes les marques que vous m'avez données de vôtre amitié, dans le voiage que vous avez fait à la Trappe ; quelque ſentiment que vous puiſſiez avoir de ma reconnoiſſance, vous voulez bien que je vous diſe qu'il ſeroit beaucoup au deſſus de ce que vous l'avez, ſi vous aviez pû pénêtrer dans les diſpoſitions de mon cœur ; au reſte je regarde tout ce que vous me dites de nôtre Maiſon comme un pur effet de vôtre charité, & j'en aurois meilleure opinion que je ne l'ai eûe juſqu'à préſent, ſi je la croiois digne de celle que vous mandez que vous en avez. Je ſouhaite, mon R. Pere, que rien ne vous empêche d'exécuter le deſſein où vous êtes de nous venir voir avec plus de tems & plus de loiſir. C'eſt une grace que j'attendrai avec beaucoup d'impatience, & comme un moien de vous témoigner avec plus d'étendue que je n'ai pas fait, qu'on ne ſçauroit vous honorer plus que je fais ni être avec une eſtime plus cordiale & plus ſincére que je ſuis &c.*

Le 7. *Juin* 1693.

D. J. MABILLON
A D. CLAUDE ESTIENNOT.

IL me ſemble qu'il y a un ſiécle que je n'ai eû l'honneur de vous écrire, mon R. Pere, & de vous remercier de la continuation de vôtre ſouvenir & des Mémoires que vous avez eu la bonté de m'envoier, ſur tout des derniers que Mgr de Reims m'a fait mettre entre les mains. Vous avez ſû, que j'ai été au Chap. Genéral comme paſſevolant, & qu'au retour j'ai paſſé par la Trappe, où j'ai ſejourné le jour du S. Sacrement avec le R. P. Prieur de Compiégne. Nous y avons reçû toutes les marques poſſibles de cordialité & d'amitié du R. P. Abbé & de ſa Communauté, que l'on ne peut voir ſans en être édifié. Nous aſſiſtâmes à Matines, qui durérent quatre heures & à tout l'Office du jour. Les Complies durérent une heure. Les pauſes de cet Office durent pendant un Ave, *& un* Sancta *entier: aux autres heures de l'Office les pauſes ſont moins longues que les nôtres, & le chant aſſez rond, à la réſerve du* Salve Regina *de Complie, qui dure un quart d'heure. On ne peut rien entendre de mieux chanté. Il y a de très-bonnes voix entre les quatre-vingt Religieux de Chœur qui compoſent cette Communauté, dont il y en a douze Novices, Auguſtins, Cordeliers, Peres de l'Oratoire, Curez, enfin de pluſieurs Ordres, & ils gardent avec l'habit de Novice la Tonſure qu'ils portoient dans leur premier etat. Je parlai quatre fois à Monſ. l'Abbé, la premiere ſans dire un ſeul mot de nôtre Conteſtation. A la ſeconde Mr l'Abbé commença par dire qu'il ne ſavoit pas ſi nous n'aurions pas été fâchez de ce qu'il avoit écrit contre moi. A ces mots je l'embraſſai & lui moi, tous deux à genoux, & je répondis que ſon Ecrit n'avoit donné aucune atteinte au reſpect & à la vénération que j'avois eûe pour lui. Il m'ajoûta que lorſqu'on étoit pénetré d'une certaine vérité, on diſoit quelquefois les choſes d'une maniére un peu vive, mais qu'il me prioit d'être perſuadé qu'il avoit pour nôtre Congrégation & pour moi en particulier tous les ſentimens d'eſtime & de cordialité qu'on pouvoit avoir, & qu'il étoit bien-aiſe de faire cette déclaration en préſence du Pere avec qui j'étois. Comme je lui répliquois, on nous vint interrompre,*

Oo *& il*

Digitized by Google

veront pas les meſures que j'ai gardées, & cela arrivera d'autant plus, qu'à la réſerve de quelques perſonnes prévenues, le grand nombre eſt perſuadé que j'ai raiſon & que la vérité eſt de mon côté.

Pour le Livre du P. Mabillon, je l'ai entendu comme tout le monde l'entend, & il n'y a preſque qui que ce ſoit qui n'y ait vû qu'il engageoit les Religieux à des études trop vaſtes & trop étendues; enfin, Madame, il n'y a rien que je ne ſois prêt de faire, ſans bleſſer la vérité, pour contenter ceux qui croient avoir ſujet de ſe plaindre de moi, & je puis dire à V. A. Royale, que j'ai en cela comme en toute autre choſe une entiére déference pour tout ce qu'elle voudroit m'ordonner & me preſcrire. Je la ſupplie très-humblement de croire que nous ne ceſſons point de prier Dieu pour ſa conſervation.

Ce 21. *Avril* 1692.

D.

D. JEAN MABILLON A MADAME LA PRINC. DE GUISE.

MADAME.

IL faut être autant perſuadé que je le ſuis de vôtre bonté; pour oſer préſenter à Vôtre Alteſſe Roiale un Livre qui eſt écrit contre le ſentiment de Mr l'Abbé de la Trappe. La conſidération qu'Elle a pour ſon mérite, ſans parler de la vénération particuliére que j'ai pour lui, m'auroit ſans doute empêché de rien dire contre ſon dernier Livre, ſi une juſte néceſſité de m'expliquer, & de juſtifier nôtre Ordre ne m'y avoit engagé. Si V. A. R. prend la peine de jetter les yeux ſur ces Réflexions, j'eſpére qu'Elle verra bien que ce n'a été que comme malgré moi que j'ai été obligé d'écrire, & que j'ai tâché de garder toute la modération qui m'a été poſſible. Je m'eſtimerai bien-heureux, Madame, ſi V. A. R. étant perſuadée de la diſpoſition où je ſuis pour cet illuſtre Abbé, Elle ne diminue en rien de ſes bontez ordinaires pour nôtre Congrégation, qui a reſſenti en tant de rencontres les effets de ſa protection. C'eſt la grace que je lui demande avec toute la ſoumiſſion dont je ſuis capable, en la priant de trouver bon que je me diſe avec toute ſorte de reſpect.

A Paris le 1. Septembre 1692.

Digitized by Google

M. L'ABBE' DE LA TRAPPE A M.r le Curé de S. Jacques du Haut-pas.

J'*AI reçû pluſieurs lettres ſur le ſujet du Livre de la Réplique du P. Mabillon. Un homme d'un grand diſcernement & parfaitement inſtruit des choſes Monaſtiques trouve qu'il bat la campagne ; mais qu'il ne détruit point les véritez que j'ai établies, & qu'elles ſubſiſtent malgré tout ce que lui & ceux qui l'ont aidé ont pû écrire, (car ce n'eſt pas l'ouvrage d'un ſeul homme, ſoit pour le ſtile, ſoit pour les raiſons.) Je ne l'ai point encore lû, & je n'ai point envie de le lire, parce que je tiens la cauſe que j'ai défendue indubitable: mais ſi ſa Réplique n'eſt rien que ce que l'on m'a dit en détail, qu'elle étoit, je la ſuivrois pié à pié, ſi Dieu me mettoit au cœur d'y répondre: & je le ferois avec autant de facilité & de ſuccès que dans la Réponſe. On diſoit la même choſe de ſon Traité des Etudes. Vous m'avez mandé vous-même que Mr du Bois l'avoit diſſuadé d'écrire, & qu'il n'étoit pas content de ſon ouvrage. Comme Mr Nicole l'a vû & corrigé avec beaucoup de ſoin & d'application, il ne ſe peut qu'il ne le trouve à ſon goût. Ce qui eſt de vrai, c'eſt que ſous ce prétexte que j'ai fait dire au P. Mabillon plus qu'il ne diſoit, & que j'ai porté ſes penſées plus loin, il ſe ſera prudemment retracté en ſe réduiſant à des opinions plus ſuportables. Je ne ſuis convenu de rien avec le Pere Lami, mais je n'ai point voulu diſputer avec lui ſur rien, car je ne veux diſputer contre perſonne. Je lui ai ſeulement témoigné que j'honorois ſa Congrégation & que j'avois pour elle toute la conſidération qu'elle méritoit, & c'eſt la vérité. Des gens ont dit & diſent encore qu'il y a des choſes trop vives dans ma Réponſe: d'autres diſent qu'elle eſt pleine de modération. Vous ſavez ce que vous en a mandé Mr le Cardinal le Camus, la vérité eſt que quantité de perſonnes m'ont écrit & m'ont loué de ce que j'avois pû m'ex-*

m'exprimer avec tant de force & de ménagement tout enſemble. Pour le Manuſcrit du P. Mabillon, je ne l'ai point vû. C'eſt un mauvais avis qu'on lui a donné. Les Approbateurs lui ont gardé plus de fidélité qu'il ne penſe.

Ce 8. *Septembre* 1692.

Digitized by Google

Madame de Guiſe
A D. J. MABILLON.

J'ACHEVAI hier vôtre Livre, mon Pere. Je voudrois pour beaucoup que vous euſſiez fait le voiage de la Trappe devant. Je ſuis sûre que vous ſeriez convenu & que vous n'euſſiez point mis l'Avant-propos qui eſt trés-aigre, & qui paroît l'être pour picquer ſimplement. Il y a auſſi un trait dans le Livre de même que je croirois bien qu'il n'eſt pas de vous, mais que vous avez été pouſſé de mettre par ceux qui vous ont fait faire la Réponſe, qui ſe ſont trouvez choquez ſans ſujet par les raiſons fortes du P. Abbé de la Trappe. Il n'attaquoit que les Etudes profanes, & étoit plein d'un eſprit de charité comme S. Paul pour ſes freres, & point autre choſe. Ce n'eſt pas par prévention que j'en parle, mais c'eſt que c'eſt la vérité. Mais vôtre Avant-propos eſt d'un eſprit qui ſe veut vanger, qui eſt contre vôtre caractére: c'eſt pourquoi je ne le crois pas de vous. Je crois tout ce qui eſt d'antiquité que vous citez de vous. J'entrevois même que vous voudriez convenir, & vôtre fin eſt d'une humilité telle que je vous la connois. Si je ne vous eſtimois autant que je fais, je ne vous aurois rien écrit de ce que j'ai trouvé & d'autres que moi qui ne connoiſſent point le P. Abbé de la Trappe & qui auroient même plus panché pour vous: mais je vous eſtime trop pour vous celer ce qu'on y trouve à redire, & pourra même ſcandaliſer & faire plus de tort à vôtre Congrégation que ce que vous avez crû que le P. Abbé de la Trappe avoit dit, qui dans les eſprits pleins de raiſon ne font tort qu'a ceux qui ne vivent pas comme vous autres. Une viſite vous auroit unis de ſentiment, & auroit empêché l'aigreur du Livre. Souvenez-vous de moi en vos ſaintes priéres.

D'Alençon le 18. Sept. 1692.

MONS.r LE CARD. LE CAMUS A D. J. MABILLON.

IL ſeroit à ſouhaiter, mon R. Pere, que la guerre que nous avons en Dauphiné ne fût pas plus fâcheuſe que celle qui eſt entre vous & Mr l'Abbé de la Trappe, où la charité ſera toûjours conſervée & où il n'y aura ni fiel, ni aigreur, ni amertume. Cependant bien qu'il y ait un très-grand plaiſir à voir vos ouvrages de part & d'autre, & qu'on puiſſe beaucoup profiter de vos conteſtations, il eſt tems qu'elles finiſſent pour l'édification du public, & peut-être auroit-il été à ſouhaiter qu'elles n'euſſent jamais commencé. J'en ai écrit dans ce ſens à Mr l'Abbé de la Trappe. Il m'a promis qu'il n'écriroit plus, à moins qu'il n'y eût des raiſons de conſcience qui l'y engageaſſent, ce que je ne puis croire. J'attends avec impatience le Livre que vous m'avez envoié, je le lirai avec plaiſir, & je vous conjure de croire que rien ne peut diminuer l'eſtime & la conſidération que j'ai pour vôtre perſonne & pour vôtre rare mérite, & qu'on ne peut être à vous, mon R. P. avec plus de ſincerité & de diſtinction que je le ſuis.

De Grenoble le 14. Sept. 1692.

D.

Digitized by Google

D. PAUL PEZERON AD D. J. MABILLON.

Mon Rev. Pere.

L'ON ne m'a rendu que depuis trois ou quatre jours, *la Réponſe que vous avez faite au Livre de Mr de la Trappe*, & que vous avez bien voulu m'envoier. Je vous en rends des actions de graces très-humbles, & je le fais avec d'autant plus de plaiſir, que j'en ai eû un très-ſenſible dans la lecture de cet excellent ouvrage. C'eſt une Apologie parfaite & accomplie de l'étude des Moines, à laquelle bien loin de pouvoir répondre, on ne donnera jamais la moindre atteinte, qu'on faſſe & qu'on écrive tout ce que l'on voudra. La vérité eſt maintenant connue; les preuves, les faits & les raiſons que vous rapportez pour la ſoutenir, ſont comme autant de rayons qui la mettent au jour. Aprés cela comment pourra-t'on la cacher; comment pourra-t'on l'affoiblir? L'on ſait maintenant ce que l'on doit croire de l'étude de ceux qui ſont engagez dans cette profeſſion ſainte, l'on ſait même ce que l'on peut faire en ſe conformant à cette foule de Saints & de grands hommes qui ont allié la ſcience avec la pieté dans les Monaſtéres, & qui par l'une & par l'autre ont été ſi utiles à l'Egliſe. L'Ordre Monaſtique vous aura donc des obligations immortelles, auſſi-bien qu'au grand S. Thomas, pour voir après lui ſoutenu avec tant de force une pratique, qui lui a toûjours été ſi avantageuſe. Pour moi, mon R. P. j'en ai été perſuadé par bien des raiſons, mais j'en ſuis maintenant convaincu. Cela ſera cauſe que j'étudierai déſormais avec plus de tranquillité & plus d'aſſurance que je n'aurois fait, bien que j'aie été deſtiné à cela par mes Supérieurs. Ils m'ont même élevé au Doctorat, aprés l'avoir refuſé avec une eſpéce d'opiniatreté, durant l'eſpace de ſix ou ſept ans. Je dis cela pour vous montrer que ſi je fais des études extraordinaires, je ne le fais qu'en ſuivant les regles que vous preſcrivez. J'eſpére qu'elles ne ſeront point

un obſtacle à ma ſanctification, & qu'elles ne ſeront point tout à fait inutiles; ce qui me conſole & même qui m'encourage eſt que je ſens qu'elles me font plus de bien que de mal, elles me donnent une grande idée de la Religion des Chrétiens & un reſpect ſouverain pour les choſes ſaintes. Ainſi j'éprouve par ma propre expérience une partie des véritez que vous avez établies. Je crois, mon R. Pere, que vous ſerez bien aiſe de ſavoir que je vas donner bien-tôt un Commentaire littéral & hiſtorique ſur les premiérs Prophétes. L'on verra ſenſiblement par cet eſſai, que ſans le ſecours de l'ancienne Hiſtoire, il n'eſt pas poſſible d'entendre les plus belles & les plus importantes prédictions de ces hommes divins, qui regardent la réprobation de la Synagogue, & le renverſement de l'Etat des Juifs. Je ferai voir dans cet Ouvrage les coups que Dieu a donné au Royaume d'Iſrael ou des dix Tribus pour le détruire abſolument après qu'il a répudié ce peuple, & vous connoîtrez que ces coups funeſtes pour Iſrael ont été donnez par des peuples barbares, & par des Rois de Ninive & de Babylone, qu'on ne peut ſavoir que par l'ancienne Hiſtoire. Je ſuis donc perſuadé que la connoiſſance en eſt très-utile, & il ne faut qu'enviſager ce que dit là-deſſus le grand S. Jérome dans ſon Commentaire ſur le Prophéte Daniel. Vous voiez par tout cecy que je ſuis un peu de vôtre ſentiment, car vous me forcez de l'être par tant de belles choſes que vous avez dites. Mais vôtre pieté & vôtre mérite ſinguliér ſont que je ſerai toute ma vie avec bien du reſpect & de l'attachement &c.

De Maubuiſſon ce 2. Octobre 1692.

Mr.

M.r L'ABBE' DE LA TRAPPE A D. J. MABILLON.

M. R. Pere.

ON ne peut pas être plus touché que je l'ai été, de toutes les marques que vous m'avez données de vôtre amitié, dans le voiage que vous avez fait à la Trappe; quelque ſentiment que vous puiſſiez avoir de ma reconnoiſſance, vous voulez bien que je vous diſe qu'il ſeroit beaucoup au deſſus de ce que vous l'avez, ſi vous aviez pû pénêtrer dans les diſpoſitions de mon cœur; au reſte je regarde tout ce que vous me dites de nôtre Maiſon comme un pur effet de vôtre charité, & j'en aurois meilleure opinion que je ne l'ai eûe juſqu'à préſent, ſi je la croiois digne de celle que vous mandez que vous en avez. Je ſouhaite, mon R. Pere, que rien ne vous empêche d'exécuter le deſſein où vous êtes de nous venir voir avec plus de tems & plus de loiſir. C'eſt une grace que j'attendrai avec beaucoup d'impatience, & comme un moien de vous témoigner avec plus d'étendue que je n'ai pas fait, qu'on ne ſçauroit vous honorer plus que je fais ni être avec une eſtime plus cordiale & plus ſincére que je ſuis &c.

Le 7. Juin 1693.

Digitized by Google

D. J. MABILLON
A D. CLAUDE ESTIENNOT.

IL me ſemble qu'il y a un ſiécle que je n'ai eû l'honneur de vous écrire, mon R. Pere, & de vous remercier de la continuation de vôtre ſouvenir & des Mémoires que vous avez eu la bonté de m'envoier, ſur tout des derniers que Mgr de Reims m'a fait mettre entre les mains. Vous avez ſû, que j'ai été au Chap. Genéral comme paſſevolant, & qu'au retour j'ai paſſé par la Trappe, où j'ai ſejourné le jour du S. Sacrement avec le R. P. Prieur de Compiégne. Nous y avons reçû toutes les marques poſſibles de cordialité & d'amitié du R. P. Abbé & de ſa Communauté, que l'on ne peut voir ſans en étre édifié. Nous aſſiſtâmes à Matines, qui durérent quatre heures & à tout l'Office du jour. Les Complies durérent une heure. Les pauſes de cet Office durent pendant un Ave, *& un* Sancta *entier: aux autres heures de l'Office les pauſes ſont moins longues que les nôtres, & le chant aſſez rond, à la réſerve du* Salve Regina *de Complie, qui dure un quart d'heure. On ne peut rien entendre de mieux chanté. Il y a de très-bonnes voix entre les quatre-vingt Religieux de Chœur qui compoſent cette Communauté, dont il y en a douze Novices, Auguſtins, Cordeliers, Peres de l'Oratoire, Curez, enfin de pluſieurs Ordres, & ils gardent avec l'habit de Novice la Tonſure qu'ils portoient dans leur premier etat. Je parlai quatre fois à Monſ. l'Abbé, la premiere ſans dire un ſeul mot de nôtre Conteſtation. A la ſeconde Mr l'Abbé commença par dire qu'il ne ſavoit pas ſi nous n'aurions pas été fâchez de ce qu'il avoit écrit contre moi. A ces mots je l'embraſſai & lui moi, tous deux à genoux, & je répondis que ſon Ecrit n'avoit donné aucune atteinte au reſpect & à la vénération que j'avois eûe pour lui. Il m'ajoûta que lorſqu'on étoit pénetré d'une certaine vérité, on diſoit quelquefois les choſes d'une maniére un peu vive, mais qu'il me prioit d'être perſuadé qu'il avoit pour nôtre Congrégation & pour moi en particulier tous les ſentimens d'eſtime & de cordialité qu'on pouvoit avoir, & qu'il étoit bien-aiſe de faire cette déclaration en préſence du Pere avec qui j'étois. Comme je lui répliquois, on nous vint interrompre,*

Digitized by Google

& il ne fut plus parlé de cela dans les deux autres entretiens que nous eûmes avec lui. Nous en dîmes davantage avec un des trois Religieux à qui nous parlâmes : & le tout ſe paſſa avec toute la modération & la cordialité poſſible. Ce Religieux me dit que j'avois fait un plaiſir indicible à leur Communauté d'avoir fait cette démarche &c.

Madame de Guiſe ſe trouva à la Trappe le même jour, mais je n'ûs pas le temps d'avoir un long entretien avec elle. Elle s'attendoit ſans doute que je devois reſter le lendemain qu'elle y devoit revenir avec Monſ. l'Evêque de Chartres pour y paſſer trois jours : mais nous en partîmes le vendredi matin quelque inſtance qu'on nous fît d'y demeurer. Voilà en deux mots ce qui s'eſt paſſé dans cette entrevûe dont Monſ. l'Abbé a témoigné être extrémement ſatisfait, comme on l'a ſû non ſeulement par la lettre qu'il m'a fait l'honneur de m'écrire, mais auſſi par quelque autre.

Le 15. *Juin* 1693.

Digitized by Google

DE MONASTICORUM STUDIORUM

RATIONE

AD JUNIORES STUDIOSOSQUE CONGREGATIONIS

SANCTI MAURI MONACHOS

D. J. MABILLONIUS.

CUM animos veſtros rerum ſacrarum Studiis flagrare video, Fratres amantiſſimi, quin tam piæ cogitationi congratuler, & pro facultatis meæ modulo opem feram, temperare non poſſum. Scio quippe rem iſtam magni eſſe momenti, ſed non parum delicatam, quæ molliter tractari, & caute provideri debeat. Nam ſi tantisper, fervente adhuc ætate, langueſcere ſinatur hæc mentis agitatio, in ſocordiam & omnium rerum incuriam facile reſolvitur: ſi luxurianti animo & curioſitate laſcivienti frena laxentur, verendum eſt ne religio & pietas, qui præcipuus ſtudiorum ſcopus eſſe debuerat, ejuſdem improbitate obruatur & præſocetur. Qua propter magnopere intereſt ſcire qua ratione hi duo ſcopuli vitari queant, ut ne tam præclarum exercitium in veſtram perniciem cedat, quod ad ſalutem animæ à Patribus noſtris eſt inſtitutum.

Atque ut id paucis exſequar, ſi quid hac in re video, ſi me ipſa experientia non fallit, tria potiſſimum conſideranda ſunt in ratione ſtudiorum. Primum eſt, cujus rei gratia ſtudendum ſit. Deinde quatenus ſtudiorum intentio promovenda. Tertio quodnam ſtudiorum genus religioſis viris maxime perſequendum.

Cum finis in unaquaque diſciplina principem locum teneat, prima ſtudioſorum cura eſſe debet, ut ſtudiorum ſuorum genuinum finem & ſcopum agnoſcant, atque perſpectum habeant, ne ea vel levitate animi ſuſcipere, vel pravo exitu perficere contingat. Et quoniam non ſæculares Philoſophos, non turpis quæſtus, aut inanis gloriolæ cupidos, ſed religioſos juvenes informare aggredimur, triplicem eis ſtudiorum ſuorum finem proponimus, ſine quo inanes prorſus, immo exitioſi futuri ſunt eorum conatus. Si vis fructuoſe & religioſe ſtudiis dare operam, ſtude ad pietatem, ad actionem, ad temporis rationes. Hi ſint tibi

in animo deſcripti fines, numquam ex mentis tuæ oculis excidant; alioquin deficis, cum te profeciſſe exiſtimas.

Prima nobis ſæculo nuntium remittentibus & Religionem profeſſis cogitatio fuit, aut certe eſſe debuit, ut Deo nos totos manciparemus, ut non ſolum præcipuas actiones noſtras ipſi conſecraremus, ſed ut cogitatus & deſideria noſtra penitus à rebus ſæcularibus avocarentur, & ad Deum unum converterentur. Propterea facultates noſtras earumque vel maxime deſideria abdicavimus, ut rebus omnibus nudati, de Deo ſolo cogitare, Deum ſolum quærere ac ſpectare nobis in omnibus liceret. Uno verbo propter pietatem, id eſt ut Deo prorſus adhæreremus, reliquimus ſæculum. Pietas vero in duobus maxime conſiſtit, nempe in cogitationibus & affectibus de Deo piis, & in moribus ſanctis. Quod ſi pias illas mentis agitationes & actiones ſacras abſque ſtudiorum ſubſidio fovere & accendere poſſemus: non dubium, quin ex directo profeſſionis noſtræ ſcopo, totos nos illis dedere, neglectis ſtudiis, oporteret. At quoniam ea eſt mentis noſtræ inconſtantia, ut quod ſuſcepit facile prima quaque difficultatis occaſione deſerat; ea infirmitas, ut primos impetus & conatus pios diu ſervare non poſſit: ſit ut ad ſiſtendam hanc levitatem, ad iſtam infirmitatem confirmandam ratio identidem juvanda ſit conſiderationibus piis, & voluntas boni contemplatione denuo excitanda, & quibuſdam ſignis ſacri propoſiti refricanda & reſtituenda memoria.

Ad hoc vero maxime juvant ſacræ lectiones, ex quibus intellectus illuſtratur, movetur voluntas, memoria reparatur. Sic itaque libris utendum eſt, ut eorum ſubſidio pietas foveatur, ut rebus ſeriis, non inanibus occupetur animus, atque ut ad actionem magis idoneus reddatur.

Si corpori cibum & alimenta ſubtrahimus, cito deficiet, & ad omne opus ineptum & invalidum fiet. Cibus animæ lectio eſt, quam ſi non ſubinde ipſi ſuppedites, jejuna & languens ad omnia erit. Non experientia quævis, non labor qui corpore exercetur, non ipſa divina officia ſapient, ſi animus piarum lectionum uſu non fuerit recreatus. Inde cor ſiccum & aridum erit, pigra erunt rerum ſpiritalium deſideria, quæ flammæ inſtar, ſublato lectionis oleo & alimento, reſtinguentur. Contra ſi quis mentem rerum ſeriarum lectione & conſideratione paſcere curabit, pios affectus inde enaſcentes aſſidue experietur, quæ ipſi omnis laboris ſenſum vel minuent, vel etiam penitus auferent.

Sed

Digitized by Google

Sed etſi hæc commoda ex piis ſtudiis non redundarent, vel hoc unum ad nos animare debet, quod Deo temporis conceſſi rationes reddere nobis oporteat. Nam ſi hæc conſideratio pro ſua dignitate cogitationem noſtram occuparet, ne momentum quidem temporis à bono ejus uſu vacare ſineremus, ne conceſſi beneficii apud Deum reos (quod utinam rarius contingat) nos eſſe conſequeretur. Quod ſi verbum otioſum, hoc eſt ſine ullo Dei vel proximi reſpectu ex ore elapſum, nos Deo obnoxios facit: quid fiet de illis, qui tempus pro nihilo ducunt, idque interire non ſolum patiuntur, ſed etiam quaſi dedita opera, ſi quid agunt, interimere ſe tempus, pernicioſo verbo & exemplo, profitentur. Itane tempus, rem omnium pretioſiſſimam, quod redimendis peccatis, quod comparandæ ſanctitati & æternitati, quod denique demerendo Supremo Numini cœlitus nobis conceſſum eſt, ad inanem operam, ad interitum dari, ad interitum inquam non tantum ipſius temporis, ſed etiam ejus qui tam facile ipſo abutitur? Quippe ſecuris maledicti & damnationis poſita eſt ad radicem arboris infructuoſæ, id eſt ejus, quæ nullos Deo dignos fructus producit, excidenda utique ſecundum Salvatoris oraculum, & in ignem projicienda.

At videas juniores nonnullos, qui ut hanc foveam declinent, in aliam paulo minus periculoſam delabuntur. Nempe ut ſe ab inerti otio & temporis incuria tutos præſtare videantur; in aliorum ſalutem ſtudia ſua dirigunt, qui vix prima vitæ ſpiritalis elementa deguſtarunt. Videas illos totos ſe dedere ad componendas conciones, huc omnia ſua ſtudia, commentationes omnes torquere; & quaſi de ſua perfectione jam ſecuros, totos eſſe in procuranda ſalute aliena. Videas illos cathedram ſibi erigere in theatro cordis ſui, ubi declamationes umbraticas edunt, ſibi jam ipſis de futuro plauſu congratulantes. Non nova eſt hæc Dæmonis aſtutia quam Bernardus jam dudum in tironibus reprehendit. Verum quo pacto quis utilem alienæ ſaluti curandæ navare poteſt operam, qui necdum caritatem apprehendit, utpote vitiis adhuc ferveſcentibus plenus, & vanitate, quæ caritatis capitalis hoſtis eſt. Hoc vero ſit omnibus incipientibus perſuaſum, totum eorum negotium ac ſtudium eſſe debere de extirpanda cupiditate, & de caritate acquirenda: quam cum ſemel quis apprehenderit, jam non ſponte ſua ad tam ſanctum miniſterium ſe ingeret, ſed etiam à Superioribus ſuis & Eccleſiæ miniſtris applicatus vix acquieſcet, ut qui nempe vocationis ſuæ præcipuum finem animo defixum habebit, ſimul & ſuſ-

pecta eorum pericula, qui in aliorum ſalutem labores ſuos conferunt, nec non operis ipſius difficultatem, cui nemo niſi vocatus & cum grandi timore ſe dare debet. Felices vero terque felices, qui ſua ſorte, id eſt, privata vita contenti, ad ejuſmodi exercitia non adſpirant, nec iis implicari ſe patiuntur, niſi charitas & Eccleſiæ neceſſitas exigat, quod certe Monachi vocabulum & officium exigit.

Ex his facile quisque colligere poteſt, ut quis finem ſtudiis præfixum aſſequatur, tria eſſe maxime neceſſaria, nempe intentionem ſoli Deo placendi & adhærendi: amorem ſummum veritatis, ita ut ne minima quidem veritas negligatur: ac demum orationem frequentem, tum ut ſtudiorum obſcura percipiat, tum ut ſtudiorum exitus ac ſucceſſus Deo, qui ſcientiarum dominus eſt, commendentur. Quo uno exercitio plus profeciſſe ſe, quam propria induſtria profeſſus eſt Thomas Aquinas, qui numquam ſe lectioni, niſi præmiſſa oratione, dedit.

Expleta prima parte, nempe cujus rei gratia ſtudendum ſit, nunc quatenus ſtudiorum intentio promovenda, id eſt quouſque primus ille ſtudioſorum ardor ferri poſſit, conſiderandum eſt, ne ſcilicet in ſtudioſitatis vitium incurratur. Tria vero hac in re maxime obſervanda ſunt, ſcilicet ut pro ſua quiſque facultate ſeu pro indito talento iis ſtudiis, ad quæ natus eſt, præcipue applicetur. Nam nihil invita minerva recte fit, & fruſtra ſupra vel contra naturam niti, conatus eſt hominis tempore & otio abutentis. Qui ad ſtudia ineptus eſt, in manuali aliqua arte ſeu in labore ſe exerceat: qui ad ſtudia natus, eas diſciplinas præferat, quæ genio ſuo magis reſpondent. Quia vero paſſim in rebus noſtris cæcutimus, operæ pretium eſt, ut quis ingenii ſui modum ex viri periti judicio metiatur. Hoc loco (quod alterum conſiderandum venit) vitandum, ne inutiles & infructuoſæ artes a religioſo tirone præferantur, qui nonniſi utilibus occupari debet. Utilia voco, quæ ad propriam ſalutem vel ad perfectionem conducunt, aut ſaltem ab ea non retardant. Et primo quidem ſcientiam illam quæ in ſolis ſermonibus verſatur, fugiat veritatis amator, nec cupedias verborum, id eſt umbram pro re ipſa ſectetur. Deinde eas artes declinet, quæ totum animum rapiunt, nec eum ad res ſpiritales aptum efficiunt, quales ſunt mathematicæ, quarum elementa quidem ſtudioſis proſunt, ſed ſi ſemel his immerſus fuerit animus, vix unquam ad ſpiritalia aſſurgere valebit. Tertio denique tantum temporis ſtudiis tribuendum eſt, quantum propoſiti & ordinis ſui exercitia ſinunt, & ſtudioſus operam

ſuam

Digitized by Google

ſuam male collocatam reputare debet, cum ſtudia ſua ipſum à propriis vitæ religioſæ officiis avocant. Semper in animo defixam habeat hanc Ambroſii Autperti Abbatis piiſſimi ſententiam, ita Deum precari ſoliti: „ Qui tribuiſti ſcientiæ donum, quæſo ut tribuas etiam voluntatem, ſtudium atque virtutem quærendi bonum. Quod ſi voluntas, ſtudium, virtusque operandi bonum non proſequitur ſcientiæ donum, ſatis eſt mihi, Domine, ſtultum hebetemque eſſe. Neque enim ideo patriam parentesque reliqui, ut mihi ſcientiæ dona largireris, ſed ut perfectione virtutum ad vitam æternam perduceres. Nolo certe hanc commutationem. Quod ſi utraque non mereor, doctrinam ſcilicet atque operationem: aufer quæſo doctrinam, tantum ut tribuas operationem virtutum. „ Ita ille in fine libri decimi expoſitionis in Apocalypſim, quod utinam in omnium ſtudioſorum mentibus inſculptum eſſet in æternum pietatis monumentum: ut ſine diſpendio actionis ſtudiis incumberent.

Reſtat pars tertia, quam initio propoſuimus, nempe quodnam ſtudiorum genus Monachis ſit maxime perſequendum. Cum vero triplicem perſonam, nempe Chriſtiani, Monachi, & Eccleſiaſtici viri noſter candidatus ſuſtinet, triplici etiam ſcientia ornatus eſſe debet, Chriſtiana, Monaſtica, & Eccleſiaſtica.

Sed quoniam vita chriſtiana cæterarum fundamentum eſt, in id potiſſimum incumbat, quod homini Chriſtiano informando conveniat. Alioquin ſuper inane pingit, ſi non præmiſſo chriſtianæ pietatis fundamento Monaſticas virtutes ſectetur. Atqui tota chriſtiana ſcientia in duobus verſatur, in doctrina & in moribus, quod utrumque in ſacris litteris continetur. Prima igitur religioſi tironis cura ſit, Fidei myſteria probe cognita habere. Deinde ad morum conſiderationem tranſeat, in qua major debet eſſe ejus ſedulitas, cum Chriſtiana religio maxime ad mores ſpectet. Quapropter ei connitendum eſt, ut totum Chriſti Domini ſermonem, qui in monte habitus eſt, ſæpius meditetur, in quo tota vitæ chriſtianæ perfectio continetur: & cum in ſtudiis ſacris gradum aliquem fecerit, legat eas Patrum expoſitiones, quæ ad hunc ſermonem pertinent, præcipue Auguſtinum. Sic enim fiet ut intelligat, qua in re ſita ſit vera Chriſtianorum beatitudo, quouſque refrenanda cupiditas, qua ratione caritas inſtruenda: tum leges veræ, non umbraticæ humilitatis agnoſcet, & correctionis fraternæ, atque adeo fraternæ charitatis, in quam tam ſæpe in ſocietatibus religioſis eru-

Digitized by Google

eruditionis defectu peccatur. Deinde quo pacto moderandum ſit paſſionibus quatuor præcipuis, amori, gaudio, triſtitiæ & timori. Inter hæc linguarum ſubſidium, ſi ad hoc natus eſt, parare non negliget, ut earum ope ſacram ſcripturam facilius intelligat, rimetur, & penetret. Tunc enim demum ad veræ ſapientiæ gradum ſe perveniſſe ſciat, cum uno divinarum Scripturarum guſtu fuerit recreatus. Huc maxime tendant, huc colliment omnia ſtudia religioſorum: quibus præcipua eſſe debet cura de intellectu Pſalmorum, quos paſſim recitant, de Evangelii lectione ac meditatione, necnon Pauli Epiſtolarum, quæ ſummum Chriſtianæ doctrinæ apicem comprehendunt.

Poſt eruditionem Chriſtianam ſequi debet rerum Monaſticarum cognitio, ad quas peculiari voto adſtringimur. Et primo ſua cuique Regula attente conſideranda, & cum brevibus Commentariis comparanda. Deinde votorum obligatio perveſtiganda, ſimulque obſervationum regularium, quarum pretium & neceſſitatem non ſatis attendunt paſſim Religioſi, ob idque nunquam inſtituti ſui perfectionem aſſequuntur, ad quam non niſi hac via gradus eſt. Deinde Ordinis ſui hiſtoria conſideranda, ut ex bonis exemplis religioſus tiro proficiat, & mala deteſtetur. Neque etiam negligenda veterum Monachorum præſertim Orientalium facta, ad quorum imitationem Regulæ noſtræ auctoritate inducimur.

Denique cum Monachi inter miniſtros ſacros adſcripti ſint, etiam Eccleſiaſticæ doctrinæ operam navare debent, ut Eccleſiæ diſciplinam & regimen ſaltem aliquo modo calleant, id eſt Eccleſiaſticam hiſtoriam, Concilia minimum generalia & nationalia gentis in qua degunt, atque Juris Canonici aliqua rudimenta. Et primo quidem religioſus tiro diſcat Compendium hiſtoriæ ſacræ, cui Romanæ etiam aliquam notitiam præmittere juvat. Hiſtoria ſacra duobus teſtamentis continetur, quorum eximium Breviarium condidit Sulpicius Severus, hoc ipſum ſcilicet quod in candidatorum noſtrorum gratiam hic recudi fecimus. Quo in auctore neſcio quid amplius mirer, ſermonis elegantiam, quæ cum Veterum eloquentia comparari poteſt, an rerum tam multarum delectum, quem in contexenda hiſtoria ſua adhibuit, an denique claritatem & facilitatem, ita ut oratio nec brevitate obſcuretur, nec rerum multitudine obruatur.

IN-

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,
Quæ in hoc Volumine Animadverſionum continentur.

A

Abbates, quænam ſcire teneantur. 105. In Eccleſia Orientali cum ordinarentur ſubſcribebant damnationi hæreticorum. 108. Interſunt Conciliis, & ſubſcribunt, *ibid.* Quare. 109. & S. Synodis intereſſe debent, ut Epiſcopos conſilio adjuvent. 107. Num ſolo ambitu privilegia ſibi acquiſiverint. 113.
Abbates-Epiſcopi. 112. Pęnitentiarii, & Eccleſiarum Vicarii. 111.
Abbatiſſæ in Anglia ſubſcribunt Conciliis. 108.
B. Abbo. Apologia ſcriptorum ejus. 145.
Abelardus, quis fuerit. 201.
Abuſus neque Eccleſiaſtica lege, neque divina auctoritate niti poſſunt. 41. In res optimas irrepunt. 147.
Academiæ Monaſticæ vindicantur, 146. & eæ nominatim PP. Congregationis S. Vitoni. 185.
Adelphius hæreticus. 199.
S. Ado Epiſcopus Viennenſis, diſcipulus Lupi Ferrariarum. 70.
Agato Pontifex delegat Monachos in Angliam, ut inibi doceant. 59.
Agnellus Franciſcanorum Provincialis, an fuerit Studiis adverſus. 35.
Albigenſes a Monachis Ciſtercienſibus oppugnantur. 51.
Alexander VI. ſtudia Monaſtica auctoritate ſua fovet. 50.
Alexander Monachus electus Epiſcopus, ſedat Schiſma Meletii. 202.
Ammonius in Monaſterio educatus ad Epiſcopatum. 126.
Ammonius Monachus doctiſſimus renuit Epiſcopatum. 127.
S. Anſelmus perperam numeratur inter Relaxationis Monaſticæ introductores. 141. Ejus Apologia contra Auctorem Reſponſionis. 72. Quæ cauſa illum impulerit ad inculcandam Virgilii lectionem. *ibid.* Codices manuſcript. invicem conferebat. 174. Utrum ad Studia ex vocatione extraordinaria ſeſe contulerit. 73.
S. Antonius, ſublimiſſimo ingenio pollebat. 92. Doctrina inclaruit. 10. Ejus ſtudia, ſive lectiones. 93. Diſputationes de altiſſimis myſteriis, *ibid.* Moriens Patrum traditionem in rebus Fidei ſuis Religioſis commendat. 93.
S. Antonius Patavinus docuit ſuos Fratres juſſu S. Franciſci. 34.
Antonius Meliſſa, an ejus Opera ſuſpecta eſſe debeant. 142.
Apollo Monachus, atque ipſius diſcipuli nonniſi oratione ſeſe exercebant. 156.
Apologiæ Veterum Patrum pro Religione Chriſtiana, utrum a Monachis legi poſſint. 207.

Digitized by Google

Apoſtoli. V. Miſſio.
Armarium appellatio Indita Bibliothecis. 153.
Arnaldus Abbas Ciſtertii, cujuſdam Miſſionis adverſus Albigenſes anteſignanus. 164.
Aquiſgranenſis Conventus Abbatum, in eo ſcholæ Monaſteriorum ordinantur. 60. Opus manuale præcipitur. 64.
Artes liberales ad S. Paginæ intelligentiam neceſſariæ. 77.
S. Athanaſius acta Conciliaria circa Arianos mittit ad Cœnobitas. 109. & ſeq. Extiterit-ne Monachus. 132.
S. Auguſtinus, neminem vult a quærenda veritate repelli. 16. In Presbyteratum aſſumptus, petit ſibi dari tempus ad colenda ſtudia. 104. 126. Quas exigat diſpoſitiones ad S. Scripturæ lectionem. 77. Ait illos Deum tentare qui ad ſtudium Scripturarum nullis adminiculis freti ſe conferunt. 79. Ejus ſententia circa Dogmaticam diſciplinam. 118. Fuit Monachus. 131. Laudat ſtudia Monachorum. 33. Et doctos Monachos. 26. Libros quos ſcripſit de Gratia, ad Monachos mittit itemque Acta Damnationis Pelagii. 110. Libros Dogmaticos iiſdem nuncupat. 178. Quosnam putet a manuali labore eſſe eximendos. 180. Depingit Monachum propoſiti ſui parum tenacem. 186. Ejus ſententia circa Ethnicos Scriptores, quatenus eorum lectio ſit permiſſa. 82. Vult Julianum Apoſtatam inter Perſecutores cenſeri, eo quod humanas literas Chriſtianis interdixerit, ibid. Monachi Ordinis Ciſtercienſis hujus S. Patris ſcripta ſtudioſe legerunt. 164.
S. Auguſtinus Cantuarienſis in Eccleſia Cathedrali Cantuariæ Monachos conſtituit. 112.
Auſonius docet Tabennis. 126.
S. Auxentius, quare Concilio Chalcedonenſi intereſſe nollet. 107. Hujus Concilii Acta recognoſcit, & eidem ſubſcribit, *ibid.*

B

BAlmenſe Cœnobium, ex quo Cluniacenſe prodiit. 61.
S. Baſilius fuit Monachus. 132. & ſeq. Hujus aſſertionis momenta, *ibid.* Ex lectione Sacrarum Scripturarum ad Monaſticum Inſtitutum amplectendum excitatur, *ibid.* Ad Epiſcopatum evectus Monachos jugiter ſecum habuit. 133. Studiorum rationem Monachis ediſſerit. 22. In Monaſteriis puerorum inſtitutionem permittit. 146. Lectionem Ethnicorum approbat. 81. Ad lectionem Homeri hortatur. 73. Ligata oratione contra Julianum ſcripſit. 201.
Baſilius Abbas Neſtorianorum perſecutionem ſuſtinet. 198.
Baſilius Generalis Cartuſianorum curat tranſcribi Opera Patrum. 169.
Beccenſe Monaſterium pietate & ſcientia maxime celebratum. 61. In eo cum manuali labore Studia connectebantur. 161.
Beda Venerabilis omnem vitam ſtudendo ac docendo exegit. 57. In ſtatu ſimplicis Monachi jugiter permanſit, *ibid.* Didicit & docuit ſcientias in Monaſterio, 161. Artem Poeticam & reliquas diſciplinas docuit relate ad S. Scripturam. 57. Iis qui relaxationem induxerunt immerito connumeratur. 142.
Begardi, eorum ignorantia. 203.
Beguinæ ex ignorantia erraverunt. 203.
Benedictini, Apologia quorumdam magnorum virorum hujus Ordinis. 80. Nemo illorum adhæſit partibus Lutheri. 205. Falſæ Novatorum doctrinæ reſtiterunt,

terunt, *ibid.* In Germania Fidem ſartam tectam ſervaverunt. 117.

S. Benedictus, Sanctarum Scripturarum ſcientiſſimus. 65. An ignorantiam profeſſus fuerit, *ibid.* Studio operam dedit. 30. An ſtudia invexerit, 161. An iiſdem adverſetur. 26. Quasnam lectiones permittat Monachis. 12. An in diſtributione horarum ſtudio tempus relinquat. 155. Quantum temporis lectioni tribuat. 29. An laborem manuum præcipiat quaſi quoddam eſſentiale officium. 157. Ipſe-met prædicationi incubuit, & ſuos Monachos ad prædicandum miſit. 176. Amplexis ejus inſtitutum, quæ ipſe fecit, & quæ ipſe non interdixit, facere licet. 175. Ita ſentiunt Sancti viri, Pontifices, & Concilia, *ibid.* Reſponſionis Auctor Ordinem S. Benedicti omnibus prærogativis fraudat. 130. Quæ ſint iſtæ prærogativæ, *ibid.* Illuſtres viros qui in eo floruerunt ab eo ſubducere nititur. 131 & ſeq.

S. Benedictus Anianenſis regularem diſciplinam ac ſtudia in Monaſteriis inſtaurat. 59. Doctores inibi conſtituit, 161. Utrum id agens a puritate Regulæ deſciverit. 63. Ejus cura conjungendi ſtudii cum opere manuali. 64. 161.

S. Benedictus Biſcopus zelo flagrat reficiendæ diſciplinæ. 58. Studia in Monaſteria reducit, *ibid.* Quibus copulat opus manuale, *ibid.*

Benedictus XII. in Monaſteriis ſtudia decernit, 46. Grammaticam & Rhetoricam, *ibid.*

S. Bernardus ſtudiis operam dedit. 148. Ejus exemplum favet ſtudio Monachorum. 138. Studium humanarum ſcientiarum ipſi probatur. 165. Et Dogmatica Theologia, *ibid.* In refutatione hæreticorum Monachos alioquitur, *ibid.* Qua vocatione ad ſcribendum ductus. 171. Quam reverenter de Patribus loquatur. 72. Quomodo Cluniacenſes reprehenderit. 187.

Bibliotheca, hujus nominis varia ſignificatio. 147. & ſeq.

Bibliothecæ celebres in Monaſteriis noſtri Ordinis. 152. Arguunt ſtudiorum praxin. 146. An liceat divitem Bibliothecam in Monaſteriis habere. 55. De Bibliotheca Cluniacenſi. 153. Carthuſianorum. 168. Ciſtercienſium, 164. Librorum Catalogus ad Bibliothecam comparandam haud abs re digeſtus. 218.

S. Bonaventura fovet ſtudia Regularium. 34 Docet ſtudia Monachos decere. 17. Eorum Apologiam conficit ex juſſu Pontificis. 18. Docuit Pariſiis. 34. Ejus admonitio ad quemdam ſtudio Philoſophiæ obtrectantem. 83. & ſeq.

Bonifacius IV. Clericorum munera Regularibus eſſe permiſſa tuetur. 30. S. Gregorii Magni Monachatum aſſerit. 135.

S. Bonifacius Germaniæ Apoſtolus diſcit ac docet in Monaſterio ſine intermiſſione manualis laboris. 59. 161.

Bononienſe Collegium Franciſcanorum a S. Franciſco ſuppreſſum. 34.

Bovillius Trithemii accuſator. 204.

C

CAnones, an eorum ſtudio vacare debeant Monachi in clerum aſſumpti. 102.

Cantuaria, fundantur Monachi in hac Eccleſia a S. Auguſtino & S. Gregorio Magno. 112.

Carterius S. Joannis Chryſoſtomi præceptor vitæ Monaſticæ. 132.

Caſſianus requirit magiſtros in ſtudio Sacræ Paginæ, ut errandi periculum avertat. 95. Dogmata tractat adverſus Neſtorium. 198.

Caſſiodorus, Apologia pro magno hoc viro contra Auctorem Reſponſionis 67. Elegantiſſimam formam Monaſtici inſtituti exhibet. 149. Ad fidem manuſcript. Sacra Biblia contulit. 174.

Digitized by Google

Catalogus librorum ab Auctore Tractatus digeſtus, quare tam latè pateat. 55.
Catechiſmus. V. Doctrina Chriſtiana.
Celeſtius, ejus hæreſis. 198.
Charitas rectum ſcientiæ uſum oſtendit. 218.
Charolus Magnus ſtudia in Monaſteriis fundari jubet. 51.
Charolus V. idem decernit. 50.
Chartuſianorum ſtudia privata. 167. Eorum Bibliothecæ. 168.
Chilo Monachus, ad quem mittit Epiſtolam S. Baſilius. 85. & ſeq.
Ciſtertium, ſtudia in hoc Ordine excoluntur jam ab ipſis Ordinis initiis. 163. Viri illuſtres qui in hoc Ordine floruerunt. 164. Quoslibet bonos libros lectitabant, *ibid.* Et nominatim Dogmaticos, *ibid.* Eorum vetera ſtatuta ſtudiorum meminere. 159. Tranſcribebant codices. 152. In hoc ordine facultas Capituli Generalis requirebatur ut quis libros conſcriberet. 171. Quorumdam Ciſtercienſium Monachorum egregia humilitatis exempla. 99. Abbates hujus Ordinis diſpenſantur ab aſſiſtentia in Conciliis, in quibus non ſit agendum de rebus Fidei. 107.
Clemens IV. Pontifex mandat S. Bonaventuræ ut pro ſtudiis Regularium Apologiam conficiat, & eamdem jam conſcriptam approbat. 18.
Clericatus, Monachi ad hunc aſſumpti colendis ſtudiis arctius obligantur. 101.
Cluniacum celebre Monaſterium virtutis & ſcientiæ fama. 61. Ejus Bibliotheca. 153.
Collegia pro Monachis ſtudentibus intra urbes conſtituta. 166.
Collegium Franciſcanorum Bononienſe a S. Franciſco ſublatum. 34.
Collationes in Monaſteriis. 23. Earum leges. *ibid.*
S. Columbanus ſtudio vacabat. 41. Multi ex ejus diſcipulis ad Epiſcopatum evecti. 125.
Concilia. Vide Abbates.
Concilia Monachis ſtudiorum rationem inculcant. 49. & ſeq.
Concilium Calchedonenſe, cui ſubſcribunt Abbates & Monachi. 106.
Concilium Epheſinum, cujus Acta publicantur in Ægypti ſolitudinibus Monachorum. 107.
Concilium Lateranenſe, cui plus quam 800. Abbates & Priores ſubſcripſere. 108.
Concilia, Romanum ſub Bonifacio IV. & Nemauſenſe ſub Urbano II. decernunt munia Clericalia Monachis eſſe permiſſa. 30. 31.
Concilium Tridentinum quid circa ſtudia Monachorum ſtatuat. 49.
Concilium Viennenſe jubet Monachos erudiri primitivis ſcientiis. 162.
Critica ars, ejus uſus & neceſſitas. 122. Ejuſdem modus. *ibid.*
S. Cyrillus Acemeta, in quo S. Leo ſpem potiſſimum collocaverat ad oppugnandos hæreticos. 201.
S. Cyrillus Alexandrinus laudat Monachos ſtudio Dogmatum intentos. 121. Et eorum zelum contra Neſtorianos. 198.

D

S. DAlmatius Abbas delegatus a Concilio Epheſino ad Imperatorem. 109. Orator & patronus Concilii Epheſini vocatur. 198.
Dionyſius Exiguus laudatur. 68.
Dioſcorus Epiſcopus Alexandrinus, cujus damnationi ſubſcribunt Abbates & Monachi. 107.

Dio-

Diodorus Magiſter S. Joannis Chryſoſtomi in vita Monaſtica. 132.
Directores ſpirituales, quanti interſit ut doctrina & eruditione valeant. 192.
Diſciplina, ſola ipſius immutatio ſtudia in Monaſteria introducere recte poterat. 45.
Diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudere Monachis licet. 55.
Diſpenſationes quatenus conceſſæ Studentibus. 180. & ſeq.
Diſtractiones mentis quandonam ſint peccata. 212. 216.
Dogmatum ſtudium optime confert ad morum diſcipilnam. 120. & ſeq. Non eſt alienum ab inſtituto Monaſtico, *ibid.*
Dorotheus Monachus & Martyr partes Concilii Chalcedonenſis ſcripto tuetur. 201.

E

EDucatio puerorum in Monaſteriis S. Baſilii, & eorum in ſcientiis inſtitutio. 22. 146. S. Joannes Chryſoſtomus de hiſce pueris meminit. *ibid.* Monaſteria S. Benedicti idem factitarunt. 61. In Aquiſgrani conventu cautum fuit, ne in ſcholas Monaſterii admittantur niſi ii, qui ibidem remanſuri erant. 60.
Epiſcoporum ſcientia. 125.
Epiſcopi de gremio Monaſteriorum educti. 123. & ſeq.
S. Epiphanius, in Monaſterio uſque a prima ætate inſtitutus. 127. Sua de hæreſibus ſcripta dedicat Monachis. 121.
Errores. V. Ignorantia.
S. Eſtervinus Abbas. 58.
Evagrius, ejus Apologia contra Auctorem Reſponſionis. 137.
S. Eucherius, Epiſcopus Lugdunenſis, quid de Lerinenſi Cœnobio tradat. 128.
Euchitæ, hæretici. 199.
Eudocia Imperatrix a Sancto Euthymio Abbate ad fidem orthodoxam revocata. 200.
Eunuchus Reginæ Candacis; illius exemplo probat S. Auguſtinus ſtudium S. Scripturæ non eſſe abſque ſubſidiis externis inſtituendum. 79. Idem aſtruit S. Hieronymus. 80.
S. Euſebius Vercellenſis Monachos in ſua Eccleſia Cathedrali conſtituit. 112.
Eutyches in hæreſin incidit propter inſcitiam. 199.
Exemptiones ſtudentium. V. Diſpenſationes.

F

FAuſtus Rejenſis, ejus Apologia. 199.
Ferrariarum celeberrima Abbatia. 60. 70.
Figuræ Rhetoricæ, earum notitia ad intelligendam Sacram Scripturam neceſſaria. 77.
S. Franciſcus utrum ſuis Religioſis ſtudia permiſerit. 34. Quam magno cultu doctos viros proſequeretur. 35.
Fuldenſe Cœnobium. 59. 142.
S. Fulgentius Monachaiium ſtudiorum ſuo exemplo patronus. 139. Clericos & Monachos iiſdem ſtudiis informat, *ibid.* Eaſdem utriſque lectiones injungit. 104.

G

S. GAlli Abbatia. 142.
Gazeus commentator Caſſiani defenditur. 212.
Georgius Abbas. 202.
Gilbertus Abbas ſtudiis favet. 166.
S. Godefridus in Monaſterio humanas literas diſcit. 162.
S. Gregorius Nazianzenus Monachis annumerandus. 133. Laudat ſcientiam. 16. Ejus ſententia de conjungenda doctrina cum bonis moribus. 121. Circa ſtudia prophana. *ibid.* Ejus lucubrationes. 138.
S. Gregorius Magnus fuit Monachus. 135.
Grimlaicus, ejus Regula. 25.
Guigo Generalis Chartuſianorum ſtudium Patrum ſuo exemplo commendat. 168. Eorum ſcripta tranſcribi facit. 153. Epiſtolarum S. Hieronymi criticam adornat. 122.
Guilielmus a S. Amore eadem objecerat olim ſtudiis, quæ nuper Auctor Reſponſionis 17. Refellitur a S. Thoma, *ibid.* Et a S. Bonaventura, *ibid.*

H

HAdrianus Abbas, in Angliam miſſus, inibi doctoris officio fungitur. 59.
Henricus hæreticus. 202.
Hæreſum origo in Monachorum ſcientiam refundi non debet. 195. Verius in ignorantiam. 205.
B. Herluinus. 162.
Herodotus, Introductio ad ejus Apologiam rejicitur. 208.
S. Hilarius quid de Dogmatum ſtudio ſentiat. 119.
S. Hilarius Arelatenſis docet Lerini. 128.
Hildegunda virili amictu induta in Ordinem Ciſtercienſem recepta. 163.
S. Hieronymus fuit Monachus. 134. Sibi conficit Apologiam pro lectione Ethnicorum Scriptorum. 135. Bellum indicit ignorantiæ. 194. Nullos limites Sanctæ Monachorum ſcientiæ præſcribi vult. 28. Aſſerit, ſtudium Sacræ Paginæ ſine præviis adminiculis non procedere. 80. Ruſtico Monacho ſtudia inculcat. 23.
Hirſaugium, celebris Abbatia. 143.
Hiſtoriæ cognitio Theologo neceſſaria. 209.
Hiſtoria Eccleſiaſtica quid includat, & quatenus a Monacho noſci debeat. 210.
Homerum legi monet S. Baſilius. 73.
S. Honoratus Lerinenſis, qua ſollicitudine Monachos inſtituerit. 128.
S. Hugo Lincolnienſis Chartuſianus lectioni intentus. 167.
Humaniores literæ quatenus a Monachis excoli poſſint. 5. 8. Earum notitia Monaſticæ profeſſioni minime adverſatur. 81. Ab earum ſtudio avertit quoſdam Diabolus, eo quod rebus ſpiritualibus inſerviant, *ibid.* Julianus Apoſtata quod eas vetuerit, perſecutoribus accenſeri meretur. 82.

Igno-

I

IGnorantia mater audaciæ hæreſes induxit. 205. Perniciem attulit Monaſteriis. 192. Duodecim plagæ ab ignorantia inflictæ. 193. Invehit relaxationes in Monaſteria. 143. & ſeq. Monachos in hæreſin trahit. 196. & ſeq. Non eſt ferenda in Prælatis. 125.
Inſcriptiones, quatenus earum notitia Monacho conveniat. 172.
Joachimi Abbatis Apologia. 203.
Iſidorus, ejus Regula præcipit ſtudia. 24.
S. Iſidorus Damiatenſis ſtudiis Monachalibus favet. 140. Ethnicos frequenter citat. *ibid.*
Julianus Monachus, Concilii Chalcedonenſis defenſor. 201.
Julianus Apoſtata. 82.
Jus Canonicum in Monaſteriis tradi poteſt. 46.

L

LActantius ignorantiæ hæreſes attribuit. 205.
B. Lanfrancus Codices manuſcript. conferebat. 173. 174. Utrum Epiſcopum literarum ignarum meritò depoſuerit. 127.
Lanſpergius, quas lectiones Chartuſienſi Monacho præſcribat ad Presbyteratum. 104.
Lectio. An hæc vox ſtudium ſignificet. 9.
Lectionum neceſſitas viro Solitario. 168. Lectiones commune exercitium erant in Monaſterio S. Antonii. 93. Quas Lectiones permittat Monachis S. Benedictus. 27. Quale tempus Lectionibus aſſignet. 159. Quomodo fructus ex lectionibus percipiatur. 13. Lectiones a Trappenſi Abbate Monachis permiſſæ. 4. Ejus in hac re varia ſententia. 10.
Leidradus, Archiepiſcopus Lugdunenſis, S. Benedicti Monachus. 111.
S. Leo Magnus hortatur Monachos ut ſibi præſto ſint in defenſione Fidei. 122. Quid de ignorantia ſenſerit. 126. Eutychianam hæreſim inſcitiæ tribuit. 199.
Lerinenſe Monaſterium. 128. & ſeq. 161.
Linguarum notitia ad intelligendas S. Scripturas neceſſaria. 77.
Literas diſcere quid ſignificet. 23.
Lotharius Imperator profitetur in Ordine Sancti Benedicti in Cœnobio Prumienſi. 143.
Lupus Ferrariarum Abbas ſtudet Fuldis. 60. Ejus Apologia. 68. & ſeq. Unde cognomen illi *Servatus*. 70.
Lucubrationes, ſive ſcriptiones, utrum a Monachis elaborari poſſint. 170.
Lutherus, nec ipſe nec ejus ſectarii fuerunt ex Ordine S. Benedicti. 204.

M

MAcharii utrinſque SS. eruditio. 93.
Magiſter, ſtudia memorat in ſua Regula. 23.
Magiſtri, ſive Doctores uſque ab initio in Monaſteriis fuere. 59. & ſeq.
Manuale opus ſit-ne eſſentialis occupatio Monachi. 155. Num profeſſos regulam

lam S. Benedicti indiſpenſabiliter obliget. 156. Sancti Monachi qui labori manuum operam haudquaquam dedere. 150. 156. Viget ejus uſus in Monaſteriis. 182. An poſſit cum Studiis ſimul eſſe. 155. 158. Labor & ſtudia reipſa conjunguntur in Monaſteriorum praxi. 58. 64. 158. Cum quibus diſpenſari poſſit ab opere manuali juxta S. Auguſtinum. 180. Studia electiva ſive voluntaria non ſunt cauſa ſufficiens diſpenſandi, *ibid.* An conſtet, ab Auctore Tractatus de Studiis Monaſticis opus manuale ad nihilum redigi. 179. & ſeq. Ipſe Reſponſionis Auctor ab hoc opere quoſdam eximit propter ſtudia. 182. Librorum tranſcriptio eſt quoddam manualis laboris genus. 151. V. Tranſcriptio librorum.

Marcus poeta, S. Benedicti diſcipulus. 138.

Marcellinus Auctor ſuppoſititius. 141.

S. Martinus habuit ſub ſe Monachos tranſcriptores. 150. Ex ejus Monaſteriis plures Epiſcopi prodiere. 125.

Mathematicæ ſtudium. 8.

S. Maurus, ejus Apologia. 66.

Congregatio S. Mauri quomodo tractet ſtudia communia. 181. Ejus ſtudioſi alumni vindicantur. 100. 182. Studia nullas in eam relaxationes diſciplinæ invexerunt. 182.

S. Maximus Monachus & Martyr defenſor Fidei. 202. In aula vixerat. 150. Theologiæ ſtuduit. 85.

Maximianus Monachus, electus Epiſcopus C. P. in locum Neſtorii. 198.

Melchior Canus defenditur. 209.

Meroveus Princeps in Monaſterio ad Clericatum inſtitutus. 104.

Meſſaliani hæretici. 199.

Miſſiones Monachorum ad convertendos Infideles. 177. Requiſita ad hoc munus rite obeundum. 178.

Modeſtus Abbas Hieroſolymitanam Eccleſiam reficit & gubernat. 211.

Monachi, quæ ſint eorum officia. 31. Quam debeant in Deum intenti eſſe. 214. & ſeq. Concilium Chalcedonenſe edit canones adverſus abutentes Monach nomine, 199. Quam ſint bene de Reip. Literaria meriti ex librorum tranſcriptione. 151. Monachi aſtiterunt Conciliis. 106. Aliqui eorum fuerunt Pontificis Romani Apocriſiarii. 202. Publicis conventibus interveniebant ætate Sancti Gregorii Nazianzeni. 87. Tenentur adeſſe Synodis Epiſcopalibus. 106. V. Concilia. Monachis functiones clericales permittuntur. 30. Ad Clerum evecti ſcire debent quæ huic ſtatui conveniunt. 101. Monachi ad Epiſcopatum aſſumpti. 125. Monachi, illuſtres Scriptores. 130. & ſeq. Monachis ſtudia conveniunt. 16. Vid. Studia. Monachi ſanctitate & zelo maxime conſpicui ſtudiis operam dederunt. 57. & ſeq. Monachi errores adverſus Fidem repellunt. 121. Ideo a S. Leone laudantur. 122. Neſtorianos oppugnant. 198. Monachi Syriæ ardentiſſimi Fidei defenſores. 201. A Severianis martyrio, affecti. *ibid.* Docti Monachi Catholicam Fidem tuentur, ignorantes labuntur in hæreſes. 200. 205.

Monaſterium, aptus ſtudiis locus juxta S. Hieronymi ſententiam. 169. Studia in Monaſterio tamquam commune exercitium viguerunt. 56. Adoleſcentes ibi ad Clericatum inſtituebantur. 104.

Mons-Athos, degunt ibi noſtra tempeſtate Monachi Græci diſciplinæ regularis obſervantiſſimi. 161.

Monſ-Caſſinus, ex uſu ſtudiorum relaxationem non tulit. 142. Tempore S. Benedicti inibi ſtudia colebantur. 65.

Mo-

Digitized by Google

Moralis diſciplinæ utile ſtudium. 75. Cum dogmatica ſcientia neceſſario connectitur, 120. Convenit Monachis. 116.

N

NEphalius Abbas, Concilii Chalcedonenſis ardens propugnator. 201.
Neſtorius hæreſiarca, fueritne Monachus. 197. Monachi ejus hæreſin adoriuntur. 198.
S. Nilus, ſuo exemplo Monachalibus ſtudiis favet. 140.
Nitriæ ſolitudo Monachorum ſcientia clarorum plena. 39.
Notitiæ neceſſariæ ad intelligentiam S. Scripturæ. 75. & ſeq.
Numiſmata, an eorum ſtudium Monachos deceat, & quatenus. 172.

O

S. ODo literas docet. 61.
Orationi ſtudium nequaquam opponitur. 217. Diſtractiones in oratione quatenus culpandæ ſint. *ibid.* & ſequ. Quæ cordis puritas in ea requiratur. 214. & ſeq. Oratio ſtudio conjungenda. *ibid.*
Ordines non conferuntur Monachis niſi prævio examine. 104.
Orantes, Hæretici ex ſcientiæ defectu. 199.
Origenes quomodo docuerit Sacras Scripturas. 75. & ſeq.
Ornamenta Pontificalia Abbatibus impertita licet renuentibus. 113.
Otho Princeps, Monachus Ciſtercienſis Pariſios mittitur ad ſtudia. 165.

P

S. PAchomius, multos Epiſcopos ex ſuis Monaſteriis dedit Eccleſiæ. 125. Statuit doctores Monachos. 126. 160.
Palladius, ab Auctore Reſponſionis male exceptus. 137.
Paſchaſius Radbertus. 174.
Paulus Monachus electus Alexandrinus Epiſcopus. 202.
Paulinus tranſcribendi libros operam laudat. 152.
Paula Junior, lectionum methodum a S. Hieronymo didicit. 169.
Pelagii hæreſis. 198.
S. Petrus Damiani. 110.
Petrus Fullo hæreticus. 200.
S. Placidus, utrum fuerit ſtudiis imbutus, 65.
Pœnitentiarius, hoc munere fungebatur in Lugdunenſi Archiepiſcopatu Abbas Inſulæ Barbaræ. 111.
Poeſis Evagrii. 138. Gregorii Epiſcopi Antiocheni. *ibid.* Marci diſcipuli S. Benedicti. *ibid.* S. Gregorii Nazianzeni, *ibid.* S. Baſilii, 201. Dorothei Monachi, *ibid.* Beda docuit Poeticam relatè ad Sacras Scripturas. 58.
Pontifices Romani jubent ad Univerſitates ſtudiorum cauſa Monachos mitti, & ſtudia auctoritate ſua confirmant. 50.
Prædicationis munus Monachis conveniens. 174. Probatur S. Benedicti exemplo. 176. V. Miſſiones.

Pri-

Privilegia Abbatum. 113.
Prophani Scriptores quo ſcopo legendi. 77. Citantur frequenter a S. Iſidoro Peluſiota. 140. Sanctus Hieronymus conficit Apologiam pro eorum lectione. 135. Utrum juvenes eorum lectioni vacare poſſint juxta S. Baſilium. 81. Quinam ſint præ ceteris legendi. 76. Quatenus. 209.
S. Proterius ab hæreticis occiditur. 200.
Pyrrhus Hæreticus. 202.

R

RAbanus Maurus in Fuldenſi Cœnobio doctor. 59.
Ratgarius Fuldenſis Abbas, vir immitis. 142.
Recreationis vocabulo quid ſubſit. 211.
Ragula Monachalis permittere conſetur quod ipſa non vetat, dummodo id ceteroquin liceat. 31. 62. Regulæ an mentionem fecerint ſtudiorum. 26. & ſeq.
Regula S. Benedicti a SS. Patribus excerpta. 30. Quo ſenſu inter canonicos libros ponatur. 79. Studio & ſcientiis non eſt contraria. 26.
Relaxationes Monaſteriorum utrum a ſtudiis progerminaverint. 141. & ſeq.
Romanæ Eccleſiæ conformare nos decet. 70.
S. Romualdus Commentarium in Pſalmos ſcripſit. 41.

S

S. Sabbas promulgat Juſtini edictum Catholicæ Fidei favens. 202.
Sabbatius hæreticus, fuerit-ne Monachus. 197.
Sacerdotium utrum eximat ab opere manuali. 65.
Salonius Epiſcopus in Lerinenſi Monaſterio educatus. 128.
Scholæ Monaſteriorum. 60. & ſeq.
Scientia, ſemper utilis eſt. 194. Et neceſſaria præſertim Directoribus. 192. Non pugnat cum humilitate 118. Commoda quæ redundant ex ſcientia. 16. Scientias addiſcere utrum Monachis interdictum ſit, *ibid.* Quomodo recte contemni poſſint, quin interea earum uſus abdicetur. 19. V. Studia.
Scriptura Sacra, ejus profunditas. 80. Ejus lectionis utilitas. 77. Quæ ſubſidia requirantur ad eam utiliter legendam. 13. & ſeq. Periculoſum eſt Scripturale ſtudium aggredi ſine Theologiæ principiis, & ſine methodo. 126. Scripturæ Sacræ ſtudium præcipua Monachorum exercitatio eſſe debet. 198. Ad eam omnia ſtudia referenda ſunt. 58. Ad ejus ſtudium utiles Auctores prophani. 81. Modus ſtudendi Sacris Scripturis juxta Origenem. 75. Qua reverentia legantur Codices Sacri a Monachis Congregationis S. Mauri. 91.
Seneca quid ſentiat de liberalium artium ſtudiis. 37.
Sergius hæreticus 202.
Severus hæreſiarca. 201.
Severiani. 201.
Steganographia, opus Trithemii. 204.
S. Stephanus Abbas Ciſtercienſis adhibet Rabbinos pro corrigendis Bibliis. 123.
Studia, quid hoc nomine ſignificetur. 9. Voce *Meditationis* aliquando indicantur. 39. Monachis neceſſaria ſunt & convenientia. 17. 191. Ita ſentit S. Thomas. 17. Neceſſaria contemplativis ad errores vitandos. 205. Quæ rationes
impu-

impulerunt ut in Monaſteriis ſtudia inſtituerentur. 47. A Pontificibus & Conciliis injunguntur. 46. Quam ſint anteferenda ignorantiæ. 203. Utrum Regulæ Monachales Studiorum meminerint. 21. & ſeq. Traditio Studiorum in Monaſteriis. 36. Refelluntur objecta. 39. & ſeq.

Studiorum uſus in Monaſteriis probatur ex Epiſcoporum & clarorum virorum numero, qui è Monaſteriis prodierunt. 123. 130. SS. Patres ſtudiis favorem conciliant. 136. Studiorum elegans methodus a S. Hieronymo deſcripta. 169. Viguerunt ſtudia in Monaſteriis ante S. Benedictum, & ejuſdem temporibus, 27. Exinde vero haudquaquam frequentari deſierunt. 61. Traditio ſtudiorum in Monaſteriis Ordinis S. Benedicti. 56. & ſeq.

Studia a SS. Viris inſtituta cùm maxime ferveret Monaſtica obſervantia. 56. 57. Studia in omnibus Reformationibus inſtaurata. 162. Eorum uſus apud Carthuſianos. V. Carthuſiani. Apud Ciſtercienſes. V. Ciſtertium.

Studia Monaſteriorum communia quid includant. 55. & ſequ. Eorum utilitates. 189. A S. Baſilio indicuntur. 22. 55. Neceſſaria ſunt junioribus Religioſis, quo poſſint deinceps ad ſuas lectiones animum adjicere. 55. & ſeq Studia voluntaria apud Monachos quid ſint. 180. Studia particularia, ſive privata. 55. 95. Studia extraordinaria. 55. 170. Qua vocatione ad illa opus ſit. 170. & ſeq. A Superiorum directione pendent. 180. Studium utrum ſit cum labore manuum incompatibile. V. Manuale opus.

Studium perfectioni nequaquam adverſatur. 16. Neque humilitati 217. Neque Orationi, *ibid.* Studia nos ad Deum extollunt. 214. Orationis loco inſervire poſſunt. 215. Studiis quomodo uti debeant Monachi. 191. An evitari poſſint ſtudiorum incommoda. 188. Circa ſtudiorum rationem quid inter P. Abbatem Trappæ, & Auctorem Tractatus interſit. 13. 14. Monachorum S. Mauri, qui ſtudia colunt, apologia. 183. Eorum Congregatio minime paſſa eſt propter Studia relaxationem. 184. V. Scientiæ, Ignorantia, Manuale opus.

Superiores Monachorum egent ſcientia. 105. Quid potiſſimum eos ſcire deceat, *ibid.* Moderantur ſubditorum Monachorum officia. 99. & eorum ſtudia. 7. Ab ipſorum Superiorum nutu Monachi vocationem ad ſtudia expectare debent. 99.

T

Tabennæ Monachi doctiſſimi. 39.

Temeritas ignorantiæ filia juxta S. Gregorium Nazianzenum. 205.

Tempus aſſignatum ſtudio in Regula S. Benedicti. 107.

S. Thereſia exigit præ omnibus doctos animarum directores. 192.

Tertullianus quid ſentiat de Chriſtianorum ſtudiis. 36.

S. Theodorus Studita. 144.

Theodorus Monachus a Papa Agathone in Angliam miſſus. 59.

S. Theodoſius Abbas Concilium Chalcedonenſe contra Imperatorem propugnat. 201.

Theologiæ dare operam licet Monachis. 84. Quomodo inſtituendum ſit illius ſtudium 85.

Theologus noſſe debet Traditionem & Hiſtoriam, 209.

B. Theophanes Codices tranſcribebat. 144.

S. Thomas, quomodo ad ſtudia vocatus fuerit. 42. Aſſerit, Religioſos non teneri ad alia quam ſæculares, niſi propter Regulæ profeſſionem. 31. Docet, Mona-

Digitized by Google

Monachis ſtudium convenire. 17. Studiorum Monachalium apologiam ſcribere jubetur a Papa. 17. 18. Quid ſenſerit de manualis laboris obligatione. 157.
Timotheus Ælurus hæreticus. 200.
Traditionis notitia, neceſſaria Theologo. 209.
Tractatus ſtudiorum quid complectatur. 6. Multa tribuuntur Auctori Tractatus a P. Abbate quæ in eo non leguntur. 5. 8. 207. Qua occaſione ad eum ſcribendum ſe contulerit Auctor. 15.
Tranſcriptionis librorum labor commendatur. 151.
Tranſcriptores, ſeu Librarii inter Monachos, eorum apologia, *ibid.* & ſeq.
Trithemius a magiæ ſuſpicione purgatus. 204. Ejus Bibliotheca. 155. Præpoſtero ſenſu citatur ab Auctore Reſponſionis. 143.
Trumbertus Magiſter Bedæ. 58.

V

Vercellenſis Eccleſia a Monachis tenebatur. 112.
Veritas, nemo ab illius inquiſitione cohibendus eſt. 16. Veritatum aliæ in Scriptura ſacra manifeſtæ, aliæ occultæ. 190.
S. Victoris Pariſienſis Cœnobium uſque a primæva fundatione colentes ſtudia Monachos habuit. 32. Laudatur. *ibid.*
Vincentius Lirinenſis laudatur. 129.
Virgilii Poetæ lectio quare a S. Anſelmo ſuadeatur. 73.
Univerſitates, ad eas mitti Cœnobitas Concilia jubent. 50. V. Collegia.
Vocatio ad ſtudia, qualis Monachis expetenda ſit. 98. Ex nutu Superiorum ſit manifeſta. 99.
Walfredus hæreticus a Durando Abbate expugnatus. 117.
Wlſtanus Epiſcopus. 127.

X

Xenophon a S. Iſidoro Peluſiota paſſim citatur. 140.

Finis Indicis rerum præcipuarum.